DISSERTATIONES ARIOVISTI ET VENANTII

DE SCRIPTO QUODAM,

Tum prout ſub nomine Doctoris HENNEBEL ſparſum eſt, tum prout mutatâ phraſi ac ordine eſt typis editum ab aliquot Belgis Theologis,


Collectæ & digeſtæ

PER

NICEPHORUM BORRADIUM

Sac. Theologiæ Profeſſorem.





LEODII,
Apud HENRICUM STREEL.
1699.



AD LECTOREM.

Scriptum tam Doctoris Hennebel, Lector benevole, quàm aliquot aliorum Belgarum Theologorum, quod haud ita pridem comparuit in Belgio, examinatum est in hisce Dissertationibus, quas in lucem emitto, non ad defendendum Memoriale Palazolii contra Censuram (quidquid enim Eminentissimi Patres in eo improbandum censuerunt, ego pariter improbo) sed ad multiplices ejusdem Hennebelli aliorumque jam dictorum Theologorum detegendas fraudes. Nam hi per speciem criminandi Palazolii, liberè in suo Scripto propugnant totam doctrinam eorum qui adversantur Belgii Episcopis, & palam prædicant nullas esse in Belgio Novitates, nullum Rigorismum, nullum Jansenismum.

Quod quidem istiusmodi hominum consilium

lium non videtur posse spectare aliò, quàm ut nullum contra eas pestes afferatur ab Ecclesiæ Moderatoribus remedium, atque ita universa Baii, Jansenii, aliorumque recentiorum illis adhærentium doctrina de Summorum Pontificum Bullis ac Constitutionibus aliquando triumphet, & ex Belgio Fides profligetur Catholica. En tibi, Lector, totum & unicum scopum hujus scriptionis. Si quid incauto excidit, quod meritò quis possit judicare alio fine Scriptum, aut ulli Pontificio Decreto utcumque contrarium, id planè erasum & inductum cupio.

Verùm est & aliud quod te monitum velim. Inter multa ac varia Typothetarum errata, quorum Elenchum invenies ad calcem hujus Operis, ponitur pag. 24. vers. 11. virgula interpunctionis post hæc verba Propositiones ex libro Jansenii excerptas, *quæ sunt verba S. D. N. Innocentii XII. in Brevi Apostolico, 6. Februarii anni 1694. edito. Dele, obsecro, illam interpunctionis virgulam, utpote quæ in exemplari Româ misso non cernitur.*

Hic error multis fortassè videbitur levior neque ullius momenti. At talis visus non est Illustrissimo ac Reverendissimo Antverpiensium Episcopo Joanni Ferdinando Van Beu-

Beughem venerabilis memoriæ : quippè cum error iste in Exemplaribus, quæ pro usu suæ Diœceseos imprimenda curaverat, pacto nescio quo irrepsisset, illa Exemplaria omnia perpetuis damnavit tenebris, & jussit imprimi alia, eamque interpunctionis virgulam expungi. Metuebat profectò Antistes ille vigilantissimus, ne quando subdoli Cavillatores istac interpunctione abuterentur ad rudiores fallendos. Et meritò quidem hoc metuebat, quia illis non est novum ad interpunctionem cavillari, eamque more Arianorum transponere pro libidine.

Item pag. 362.*circa medium pro* posteriore modo *lege* priore modo; & *è contrario pro* priore *lege* posteriore. *Deniq; pag.*380.*vers. ultimo dicitur Concilium Brabantiæ publico Decreto prohibuisse Theses D.Gummari Huygens de Castitate. Ego autem (id quod pace Ariovisti dixerim) multum dubito, an istæ Theses à Concilio verè ac propriè prohibitæ sint. Videntur potius ab eo tantum suspensæ & quasi sequestratæ. Ecce quàm nolim rebus incertis à quopiam fidem adjungi.*

Hæc sunt, Lector benevole, quæ præfari debui, neque æquum est te à me detineri pluribus, ubi te Ariovistus & Venantius cum suo Lovaniensi Baccalaureo expectant.

OR-

ORDO
DISSERTATIONUM

DISSERTATIO I.

DIS-

DISSERTATIONES
ARIOVISTI ET VENANTII
CONTRA SCRIPTUM
QUODDAM SUB NOMINE
DOCTORIS HENNEBEL
ROMÆ SPARSUM,

DISSERTATIO I.

De Libello supplice Hennebelli.

ARIOVISTUS & VENANTIUS duo doctissimi eruditissimique homines, & summo necessitudinis vinculo juncti inter se, secesserant tantisper in hortum suburbanum, ut à severioribus studiis relaxarent animum. Ecce autem, ubi primùm eo pervenerant, Venantio redduntur Româ litteræ, quas cum perhumaniter, petitâ ab Arioviſto facultate, coram resignasset, iis adjunctum vidit Scriptum quoddam sub nomine Hennebel Romæ sparsum, & ut præ se fert, oblatum sanctissimo D. N. Innocentio XII.

Hoc Scriptum aliquamdiu secum legit tacitus, ac deinde cernens quid rei contineret, en, inquiebat, fidissime Arioviste, quid Româ accipiam. Lucubratio est Hennebelli continens accusationem, quantum apparet, bene longam Memorialis à P. Palazol Societatis Jesu oblati Regi Catholico nomine Rever. admodum P. Thyrsi Gonzalez ejusdem Societatis præpositi Generalis.

 Istud

Istud Scriptum, ait Ariovistus, vidi jam inde à diebus facilè duodecim. Missum fuit ad nescio quem Lovaniensis Academiæ Doctorem ab aliquo qui Eminentissimo D. Cardinali..... à secretis est. Eodem cursore accepi ego aliquot in istud scriptum Animadversiones, quæ dicuntur Romæ pariter per manus vagari. Accusator, ut video, inquit Venantius, liberè & audacter profitetur se esse *Joannem Libertum Hennebel Academiæ Lovaniensis Doctorem.*

Tum Ariovistus; quis est, Venanti, quem Doctor ille accusare non audeat? Nec Regi quidem suo parcit, nec universo Concilio statûs, neque suo Ordinario Archiepiscopo Mechliniensi, nec denique ipsis Sanctis in Cœlo quod velut olim Gigantes aggreditur. Subridens Venantius dixit; hic non iniucundè alludis ad Theses, quas Hennebellus edidit Lovanii ad obtinendam Doctoris Lauream: nam in iis non exhorruit S. Salesio labem Semipelagianismi aspergere, licet Ecclesia in Officio Canonico dicat ejus libros esse *Cœlesti doctrina refertos.* Sed bene habet. Parem etiam Gigantibus pœnam luit, quia hæ theses ictæ sunt Vaticano fulmine.

Hoc antiquum est, inquit Ariovistus, & notum omnibus; dicam ego aliquid recentius minusque notum. Belgii Hispanici Antistites omnes & Vicarius Apostolicus Silvæ-Ducensis scribunt huic Accusatori dicam calumniæ in communibus litteris ad Innocentium XII. datis 19. Julii 1696. *Denique* (inquiunt) *Beatissime Pater, est aliquid, quòd nos & bonos omnes gravissimè affligit, dignitati Episcopali ab uno Hennebello in conspectu Romanæ Curiæ illata per calumniam injuria: ausus hic est in quodam à Sanctitate Vestra directo libello supplice prorsus indignè, irreverenter & falsò Archiepiscopum ordinarium suum sub falso Universitatis Lovaniensis nomine traducere & denigrare, inter cetera, quasi non promulgasset decretum & breve Sanctitatis Vestræ, de quo supra; & quidem eo processisse dicitur ejusdem Doctoris temeritas, ut criminationem pertinaciter prosequi ausus sit, postquam testimoniis publicis evidenter elisa est: quæ profecto audacia cum non modo Italiæ, sed etiam*

toti Belgio, per quod descripta, & ex Latino in Italicum translata exemplaria passim vagantur, sit notissima, non potest non ingenti scandalo fovere calumniatorum impudentiam, & Episcopalem dignitatem & autoritatem cujusvis subditi insultibus exponere, si relinquatur impunita: contra hanc, Beatissime Pater, Sanctitatis Vestræ pro Episcopali dignitate vindicanda zelum atque æquitatem omnes imploramus: ut juxta Canonem Clericus 3. *q.* 14. *& Canonem* Si quis 11. *q.* 1. *vel aliter, prout Sanctitati Vestræ ad publicum exemplum fuerit visum, puniatur: ut pœna docente semel tandem cognoscat quantum per similes inverecundas, notorias, publicas & atroces calumnias in suum Antistitem displiceat Vestræ Sanctitati, & pœna illius sit metus aliorum, præsertim dum videmus, & indubiè Sanctitati Vestræ innotescit, quod conniventiâ indies fiant deteriores: utque etiam antequam ad nos redeat, expiet ejusmodi excessus, si forte nondum sit plenè incorrigibilis, cessentque majores difficultates, quæ forent, si non publicè Romæ punitus ad nos rediret.*

Rursus iidem omnes Antistites cum eodem Vicario Apostolico querelam instaurant in Epistola ad Pontificem data 23. Aprilis 1697. *quod à Sanctitate Vestra*, inquiunt, *per ultimas nostras rogaveramus, rogamus iterum & speramus fore ut non tam verbo quam facto responsum accipere digni simus, videlicet ut exemplum statuatur in Doctore Hennebel, qui Archiepiscopo & Ordinario suo in conspectu urbis & orbis calumniam impegit tam enormem, & nondum tamen de illo statutum intelligimus, uti temeritas illius mereri videbatur.*

Hisce auditis, Venantius non potuit, quin Ariovistum interpellaret, eique applauderet, dicens; Hennebellum minimè parcere suo Archiepiscopo, Arioviste, non meliùs demonstraret Archimedes. Quid enim ad hoc demonstrandum afferri potest uberius, quid magis efficax, quàm istorum Episcoporum & Vicarii Apostolici concors querela? Nihil, respondet Ariovistus, quia summi momenti est talium virorum auctoritas. Sed non minus apertas & intolerabiles calumnias esse, quas in Regiam Majestatem & supremos ejus Ministros

jacere ausus est, videbimus posteà. Jam enim juvat novam ejus accusationem inspicere; fallor si non & hic antiquum Hennebellus obtineat, & probæ accusationis loco non afferat perpetuam fraudum & calumniarum seriem.

Istud equidem, inquit Venantius, fecero libentissimè. Quamquam hic putem falli te, vel certe adhibere auxesim: non est enim credibile illam fraudum calumniarumque seriem nusquam interrumpi. Ut ut est, inspiciamus. Saltem initium ducitur à palmari & manifestissima calumnia. Criminatur Hennebellus P. Joannem de Palazol in suo ad Regem Memoriali, & Reverendum admodum P. Thyrsum Gonzalez Societatis Præpositum Generalem, qui illud offerendum mandavit, *manifestè infringere, & evertere studere, quidquid ad sanciendum inter Belgii Theologos pacem, Sanctitas*, inquit, *Vestra jam pridem decrevit.* Imò potius, quisquis hoc Memoriale legit (uti genuino, quo compositum est idiomate legi ego) clarissimè perspicit, unicum illius scopum esse accuratissimam Constitutionum omnium Pontificiarum observationem: ad quam in Belgio obtinendam & stabiliendam in perpetuum utilissima, & quodammodo necessaria est inviolata Regiorum decretorum contra novitates executio. Cum autem tam contra saluberrima hæc decreta, quàm contra Apostolicæ Sedis sanctiones turbulenti inauditâ hactenus audaciâ insurgant, neque potentiorum quorumdam & quidem Senatorum patrocinio destituantur, Regi supplicat Memorialis auctor, ut, quemadmodum in gravioris momenti negotiis assolet, ne gravetur designare Theologos aliquot & Ministros statûs, pietate ac sapientiâ præstantes, præsertim ex iis qui in Belgio aliquando habitarunt, ut facta, quæ referuntur, examinent, omnibusque maturè perpensis, Regi suggerere possint adjumenta quæ ad continendos in fide, religione, ac debita Sedi Apostolicæ legitimoque suo Principi obedientia populos opportuniora judicaverint. Quænam hic est species *infringendi ac evertendi quidquid ad sanciendam inter Belgii Theologos pacem Sanctissimus Dominus non ita pridem decrevit?* Nec

Nec ego, subdebat Ariovistus, id inter legendum assequi ullo modo potui. At major te, Venanti, tenebit admiratio, ubi expenderis quas Hennebellus hujusce suæ accusationis affert probationes. Cedo mihi, obsecro, Hennebellianum scriptum. Lege ista verba: *Imprimis, Beatissime Pater, exautorare volunt breve Sanctitatis Vestræ die 6 Febr. 1694. ad Episcopos Belgii missum: siquidem art. 4. dicunt, illud magnorum clamorum vi, multorumque adhærentium potentiâ esse extortum: & iterum n. 13. dicunt illud per importunas querelas & sinistras informationes fuisse impetratum, adeo ut mirum non sit, quod brevi sic extorto parum admodum deferant.* Verum tantum abest, ut Memorialis Auctor velit *exautorare istud Breve* vel *non multum ei deferre*, ut eodem num. 4. vocet illud Breve *Decreta sancta* & quæ adversarii *perperam jactant sibi favere.* Amplectitur Memorialis Autor brevia tum primum, tum secundum, ut *sanctissima & utilissima.* Num. 8. disertè sic profitetur, *non intendit hoc Memoriale, ut Vestra Majestas manuteneat decreta sua, opponendo illa brevibus Apostolicæ Sedis, quod sine maxima erga Majestatem Vestram verè Catholicam irreverentia proponi non posset, estque remotissimum à mente ejus, qui libellum hunc supplicem offert illi Monarchæ, qui in summa potentia, propriæ sibi laudi & gloriæ ducit filialem præ ceteris omnibus & submississimam erga Christi Vicarios reverentiam.* Hæc omnia declarat Memorialis Autor in eodem prorsus paragrapho, in quo juxta Hennebelli criminationem, *vult breve* Sanctissimi Domini *exautorare.* Deinde eodem illo numero ita prosequitur idem Autor: *Finis unicus est demonstrare, quod decreta Vestræ Majestatis contra Jansenistas justissima sint, utpote eisdem decretis Pontificiis ad amussim conformia.* Ubi evidens fit per Decreta intelligi secunda Pontificis mandata, quæ brevibus Innocentii XII. ad Belgii Episcopos continentur.

Doctor Hennebellus, prosequebatur Ariovistus, legit hæc omnia eodem quem accusat, paragrapho & quasi non vidisset, truncata quædam profert Autoris verba, quæ

ſi jam citatis conjuncta retuliſſet, perſpicua fuiſſet vanitas accuſationis. Sed & immediatè præcedentia nihilo minus confirmant accuſatorum verborum innocentiam. Num. 3. Autor totus in hoc eſt, ut oſtendat inſignem eſſe adverſariorum fraudem, dum *ubique miſerabiliter lamentantur quaſi ob vagam & minime fundatam Janſeniſmi ſuſpicionem, dignitatibus & officiis omnibus excludantur viri piiſſimi & doctiſſimi & meritis undique excellentes*: tum num. 4. dicit quòd *ejuſmodi clamoribus*, quibus tribunalia paſſim fatigant, *& ſibi adhærentium autoritate effecerunt ut quædam ſancta, & quæ immeritò ſibi favere divulgant, decreta à Sede Apoſtolica emanarunt.* Quod autem ea querulis iſtis minimè faveant, neque in ullo apice mandatis Regiis opponantur, demonſtratum eſt in motivo Juris pro iiſdem decretis, c. 6 & 7. & à P. Palazol §. 4 atque à nobis fortè amplius videbitur ſuo loco, ſi me, amiciſſime Venanti, hac ſuper re diſſerentem audire ſæpe placuerit. Interea, quid in tota ſuperiore oratione reperias, quod Patrem Palazol & P. Generalem Pontificio Brevi parum tribuere, nedum illud *exautorare velle* vel per umbram aut ſomnium ſignificet? Alloqui Hennebellum liceat verbis Vigilii Papæ ex lib. 4. contra Eutychetem: *Inhoneſto uteris officio, religioſis callidè inſidiaris, ut ſuperiora demendo, & ſequentia non addendo, ita media eligas, ut verba ſententiis exuens, de eorum nuditate, pro arbitrio ludas: redde igitur ſuis omnia locis, & propria ſententiis indumenta reſtituas, & noli inſidioſis fraudibus calumnias innectere.*

Hæc vigilii verba, ait Venantius, in Hennebellum conveniunt, quàm in quem maximè. Ex his quoque apparet, cujus veſtigia Hennebellus premat. Apage illiberale artificium, quia nullus eſt error, nulla opinionis labes, nulla hæreſis, cui ipſas ſacras Tabulas patrocinari eodem artificio non faciam. Sed antequam magis hic meus concitetur animus, tu proſequere Arioviſte.

Extemplo Arioviſtus, cui nihil erat jucundius quàm in ſimilibus obſecundare amico, ſic proſequutus eſt: Ipſi Hennebelli ſequaces non modo voce, verùm & ſcriptis

ſcriptis publicis, ut nuper Abbas du Manoir ubivis prædicant & gloriantur, quod primum breve, de quo propriè controverſia eſt, informationibus ſuis obtinuerint: ſunt autem informationes illæ, quas tot libellis & ſcriptionibus ab iis explanatas legimus, quaſque dein in pauca contulerunt Autores duorum Memorialium, alterius impreſſi, alterius manuſcripti, quæ contra decreta Regia offerre Bruxellis à biennio & eo amplius auſi ſunt Statibus Brabantiæ, ſed ab iiſdem repulſam paſſi, uti & ante paſſus fuerat Hennebellus ab Academia Lovanienſi, cujus nomen mentitus, obtulerat Innocentio XII. famoſum iſtud memoriale, propter quod *calumniator* ab omnibus Belgii Epiſcopis declaratus eſt, & indignationem Lovanienſis Academiæ incurrit, ſi non & eandem ob rationem, licet hæc expreſſa non fuerit, delegati autoritate in Comitiis generalibus exſpoliatus.

Quid juvat repulſa, quærit Venantius, quid iſta exſpoliatio, ſi Hennebellus malitioſis ſuis commentis adhuc nocere pergat? Hic dicit quod P. Palazol *reſtituere velit rejectas additiones Archiepiſcopi Mechlinienſis*, nempè ad jurandi formulam quæ ab Alexandro VII. præſcribitur. Commentum eſt quo non poteſt ullum excogitari malitioſius: nec enim P. Palazol *Additionum* ullarum ſive Archiepiſcopi Mechlinienſis, ſive ullius alterius uſquam mentionem facit; imo putem ego quod quænam eæ *additiones* fuerint, numquam in Hiſpania audiverit, nec legerit. Et ſanè R. Adm. P. Generalis, cujus nomine & juſſione ille P. Palazol Memoriale compoſuiſſe & Regi exhibuiſſe ſe dicit, de additionibus ad juramentum inſtaurandis ne cogitavit quidem.

Hic æquus Arioviſtus non ſtatim aſſenſit ſuo Venantio, ſed dixit: contrarium ait Accuſator *abundè patere ex eo, quod dicunt num.* 60., *ubi cum faſſi fuiſſent Theologos, quos exagitant, in Academia Lovanienſi juraſſe, quod recipiant, ac religioſè obſervaturi ſint Bullas contra* 5. *propoſitiones, nihilominus eos toto Memoriali tanquam hæreticos & ſectarios traducunt, non aliam*

ob causam, ut ex contextu patet, quam quod suspicentur Bullas Pontificias alio sensu ab iisdem Theologis accipi, quam in his additionibus eas exposuit Mechlniensis Archiepiscopus. Ipsum scriptum, Venanti, si lubet, consule.

Quod ubi Venantius paululum inspexisset, sic locutus est: ait id quidem Accusator, sed non probat. Et certe si vel verbulum aliquod, eo saltem per umbram collimans, reperisset Hennebellus; censen futurum, Arioviste, ut illud prætermisisset accusationi suæ inserere, quemadmodum undique conquirit alia quæ truncata & explicata dolosiùs, duriorem reddant Memorialis sensum, & ab Autoris mente, etiam prout in Memoriali ipso expressa est, prorsus alienum? Putavit forte Hennebellus Memoriale, utpote Hispanico contextum idiomate, à paucis Romæ legendum, sibique tantâ confidentiâ apud Sedem Apostolicam asserenti fidem ab omnibus vel plerisque habendam. Sed bene habet. Romæ visa est Memorialis in linguam Italicam versio, & typis quidem edita, ut ad me Româ scribit Abbas aliquis. " Illic cernere est n: 5. & sequenti-„bus, scribebat ille Abbas, veras causas easque non in „sola suspicione, sed in horrendis dogmatibus sitas, ob „quas non soli Jesuitæ, sed quilibet, qui novitatum fur-„fure aspersus non est, recusabit, ejusmodi Theologos in-„ter genuinos Catholicos & S. Sedis, quales se prædi-„cant, reverentes atque obedientes filios numerare.„ Nec immerito sic scribit: quis enim Arioviste, tales prædicet eos, qui subreptitias & nullius roboris hodiedum vocant Pii V. & Gregorii XIII. constitutiones in quibus 79. propositiones condemnantur ut hæreticæ & aliis respectivè censuris afficiuntur? Quis tales prædicet eos, qui universam Baii doctrinam mordicus propugnant velut Augustinianam, postquam ipse Baius scripto publico professus est *plurimas ex iisdem sententiis in nonnullis libellis à me olim & ante emanatam Sedis Apostolicæ super iis censuram, conscriptis & in lucem editis contineri & defendi, etiam in eo sensu, in quo reprobantur. Denique declaro me,* inquiebat, *in præsentiarum ab iis omnibus recedere, & damnationi à S. Sede factæ acquiescere, neque*

neque posthac ullas docere, asserere, aut defendere velle. Quis tales prædicet eos qui Bullam Alexandri VIII. contra propositiones 31. hæreticas, schismaticas &c. respectivè, dicunt esse nôn *modo inutilem*, sed etiam *perniciosam Ecclesiæ, injustam, & ipso jure nullam?* Quis tales prædicet eos qui effutiunt, ut Eugenius de Gelder Brugensis in ultima voce zelatricis innocentiæ pag. 115., *multas propositiones Molinos vix à propositionibus fundamentalibus ab Augustino propositis distingui posse; ita ut Jesuitæ per condemnationem Molinos & prætensæ ejus doctrinæ videantur voluisse eliminare illud parum quod restat supernaturalis operationis spiritus Dei vivificantis:* Quis tales prædicet eos qui Bullas Urbani VIII., Innocentii X., & Alexandri VII. contra Cornelium Jansenium obreptionis postulant, qui *universam* ejusdem *Jansenii doctrinam*, quamvis, ut digito demonstrari potest, continentem plusquam 5c. propositiones à Sede Apostolica variis constitutionibus fulminatam retinere pergunt, & declarant *non esse aliam, quam S. Augustini, S. Thomæ, & Ecclesiæ Catholicæ:* denique eas quotidie tradunt propositiones, quas Eminentissimus Cardinalis de Aguirre & alii probè Catholici Theologi testantur, se nullâ ratione posse à proscriptis in Jansenio opinionibus discernere?

Interim ubi ad suscipiendum vel gradum Academicum, vel Ordinem sacrum, vel Ecclesiasticum beneficium, necesse est, aiunt omnes, *se obedientiam & reverentiam promittere constitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. contra 5. propositiones*: & quamvis perspicuum sit, eos proprium istarum sensum, etiam obvium, non alium agnoscere, quam commentitium, & à nullo unquam in Ecclesia Theologo traditum vel defensum, is tamen qui hac qualicumque obedientiæ larvâ contentus non est, is, inquam, juxta Hennebellum reus est impugnati Brevis Apostolici & restituere machinatur *rejectas Archiepiscopi Mechliniensis additiones*, quamvis de iis ne cogitet quidem, & fortè nesciat, quænam fuerint.

Hic pœnè risus excussus fuit Ariovisto, non quod adhuc

huc existimaret Memorialis Autorem velle restituere dictas additiones, sed quod ista Venantius declamaret tam patheticè tantáque contentione tum animi, tum corporis. Unde satis facetè dicebat: Hic tibi, Venanti, nihil defuit præter pulpitum. Usque adeò omnes fontes eloquentiæ aperuisti. At quid mihi cum immodicis istis clamoribus? Non his ego moveor, sed rationum momentis quæ adduxisti longè gravissima. Non igitur, ut video, P. Palazol molitur istas additiones instaurare; verùm (si velimus dicere id quod res est) Hennebellus hoc suo verborum involucro machinatur instaurare Epistolam suam ad Archiepiscopum Mechliniensem datam 27. Februarii 1694. & jussu congregationis S. Officii à se retractatam 14. Septembris ejusdem anni.

Hæc porrò Epistola in hoc tota erat, ut persuaderet sufficere condemnationem 5. propositionum in sensu obvio, præscindendo à sensu cujuscumque libri vel autoris, non indagandum nobis quis sensus libri Janseniani fuerit, satis esse librum aperte non defendere, licet ejus doctrina quanta quanta est, tamquam innoxia retineatur. Quod solicite Hennebellus ubique cavet ne dum propositiones 5. nominat, unquam eas adscribat Jansenio. Non ita profectò Romani Pontifices, etiam Innocentius XII. qui ut eas in sensu obvio damnatas esse declarat, ita etiam ex libro Jansenii *Augustinus* appellato pronuntiat *excerptas in sensu obvio*, ne quis videlicet cavillator concludat; ergo alio sensu damnatæ sunt, alio apud Jansenium tenentur atque defenduntur. Id ipsum & sibi in mentem venisse asserebat Venantius, cui continuò Ariovistus aiebat; *Magna ingenia sæpè conspirant.*

At verò, prosequebatur idem Ariovistus, transeamus jam ad argumentum alterum, quo Hennebellus probet Memorialis Autores *exautorare velle Breve* Innocentii XII. Est autem hoc, quod, inquit, *religionis interesse putent, ut ipsi non servent silentium eodem Brevi præscriptum, quia, ut ajunt n. 34., cum favore apparente istius Brevis vellent Theologi quos im-*

pug-

pugnant, dolosè imponere silentium parti Catholicæ, Regi Regiisque Ministris. Istud argumentum quî tibi arridet, Venanti? Reponit Venantius; Ne minimi quidem momenti instar habet. Nam ex iis verbis nullus argumentator, quamtumvis subtilis, unquam conficiet, quod illi Autores velint præscriptum illo Brevi silentium rumpere, multo minus quod *religionis interesse putent* mandatum istud pessumdare. Hoc autem ut planum fiat, accipe Brevis Pontificii verba quibus silentium indicitur. *Ad præcavendas*, inquit Pontifex, *omnes dissidiorum causas, quæ Christianam pacem dilacerant, nos quoscumque alios sensus Formularii, præter eum quem ipsius verba per se exhibent afferri vel usurpari, aut de his disputari interdiximus, ac super ejusdem formularii interpretatione sicut & prædictarum propositionum in alios sensus præter eum, quem ipsa verba per se exhibent, perpetuum silentium imponimus, ut ex nostris decretis tam super ipso silentio, quam super prohibitione omnium librorum editorum & edendorum in hac materia plenius innotescet; cum ad Summum Pontificem duntaxat pertineat sensum, quem in his propositionibus damnaverit, & ut damnatum à fidelibus credi censuerit, declarare.*

Ita & illi Autores, non obstantibus verbis quæ ex eorum Memoriali supra adduxit Hennebellus, censere possunt, & quantum ego ipsos novi, ita reverà censent; ac propterea longissimè refugiunt ab omni Formularis & c. propositionum sensu allegando præterquam obvio. Nullum, inquam, alium sensum volunt in controversiam disceptationemque deducere. De quovis alio cupiunt sileri; atque adeò plene cumulatéque observari quidquid illo Brevi præcipitur. Quid enim? An quia illo Brevi indicitur tale silentium, ideò quóque prohibetur Catholicis, ne hujusmodi constitutionum Pontificiarum audaces prævaricatores verbo aut scripto reprimant? An ideo vetatur, ne Rex decreta ulla edat ad vindicandam Apostolicarum definitionum autoritatem? ne sibi, ne statui suo, ne Monarchiæ, ne subditorum tranquillitati salutique prospiciat? Ne probatissimæ vitæ, fidei, ac doctrinæ viros in officiorum Bene-

neficiorumque distributione anteponat suspectis? ne hanc regulam servari à Ministris suis & subjectis sibi Magistratibus imperet? Vultne Hennebellus, ut Catholici Principes quà Ecclesiastici quà seculares cum Theologis omnibus immoti & muti hæreant, dum inauditâ post hominum memoriam temeritate, quidquid decretorum Episcopalium est, quidquid constitutionum Pontificiarum contra hujus temporis novitates infamibus libellis indignè proscinditur & conculcatur? Ita scilicet homines novi Breve Pontificium aliis explicari vellent, ut interim ipsi quidquid libet, possent impunè. En tibi sensum, Arioviste, quo, ut in Memoriali dicitur, adversarii nostri *favore* non vero, sed *apparente istius Brevis, vellent dolose imponere silentium parti Catholicæ, Regi, Regiisque Ministris.*

Æque ac tu, subdebat Ariovistus, persuasum habeo non præcipi in Brevi Pontificio istud silentium quod modò exposuisti: quippè istud tale est, quale execratur vates Isaïas cap. 6. dicens, *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutis labiis ego sum.* Et Ezech. cap. 13. *Væ Prophetis insipientibus.... qui nihil vident. Quasi vulpes in desertis Prophetæ tui Israël erant: non ascenditis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israël, ut staretis in prælio in die Domini.* Nam ut ait Hieronymus præfat. in Dialogum contra Pelag. *Minoris peccati est sequi malum, quod bonum putaveris, quam non audere defendere, quod bonum pro certo noveris.* Idem in Apologia adversus Rufinum, sub finem: *In uno tibi consentire non potero, ut parcam hæreticis, ut me Catholicum non probem. Si ista est causa discordiæ, mori possum, tacere non possum.* Tamen non satis possum assequi, quare loqui debeant aliqui Monachi, quare Jesu Societas.

Ego verò, respondebat Venantius, non satis possum assequi, quare tu Arioviste, qui tam versatus es in priscis historiarum monumentis, ista mihi objicias, quasi non sit memoriæ proditum vetustos Monachos, relictis silvis ac solitudine, repetiisse urbes & populi frequentiam, ut ingruentes hæreses coërcerent. Ad Societatem Jesu quod attinet, de ea sic testatur Ecclesia in Canonico

nonico S. Ignatii Officio: *Constans fuit omnium sensus, etiam Pontificio confirmatus oraculo, Deum sicut alios aliis temporibus Sanctos Viros, ita Luthero ejusdemque temporis hæreticis Ignatium, & institutam ab eo Societatem objecisse*, adeo ut nisi hic loqueretur, à primævo suo spiritu &vocatione deficeret. An tibi factum est satis?

Scrupulus, infit Ariovistus, mihi alius injicitur, dum lego illud Hennebelli; *Quibus verbis satis apertè significant*, nolle se servare *silentium à S. V. præscriptum in Formularii negotio: neque enim præfati Theologi aliud unquam ab eis exegerunt silentium, quam quod præscribit præfatum Breve Sanctitatis Vestræ, quodque ipsi disertè dicunt non placere parti Catholicæ.*

Hoccine, inquit Venantius, tibi scrupulum injicit? Quot sunt in illa oratione verba, tot mihi videntur esse falsitates: nam primùm, toto illo numero, qui hic ab Hennebello accusatur, nihil omnino est de formulario sive de formula jurandi. Deinde nihil consequenter est de silentio circa eamdem formulam. Tertium agitur illic contra Memorialia, quæ Hennebelliana factio Bruxellis obtulit Statibus Brabantiæ, & Madritum misit ad impugnanda Decreta Regis contra suspectos de *Jansenismo*, *Rigorismo* & *Novitatibus*: & quidem in uno ac præcipuo ex illis Memorialibus toto §. 2. conqueruntur Hennebelli commilitones, quod pridem à Jesuitis traducti sint ut Jansenistæ; toto §. 3. dolent se ab iisdem ubique describi ut Rigoristas; toto §. 4. conantur à se propulsare infamem titulum *Novatorum*. Atqui satis norunt omnes quod non propter formularium vocentur Rigoristæ, & quod plura alia complectatur titulus *Novatorum*. Postremùm quis ignorat, quod antequam Episcopi in Belgio de proponendo formulario cogitarunt, Theologi aliqui propter propositiones nihil de formulario tractantes habiti sint tanquam suspecti Jansenismi nomine, & quod eam de se suspicionem non in solo Belgio, sed & in Hispania, & alibi motam esse sæpè acerbissimè *deplorarint*, tum voce, tum etiam scriptis & impressis apologiis, quæ usque adhuc omnium mani-

manibus teruntur. Quæ jam tibi, Arioviſte, ſurgit ſententia· Nonne dum hæc conſideras, mirabilem vides eſſe confidentiam Hennebelli aſſerentis *præfatos Theologos aliud nunquam ſilentium à nobis exegiſſe, quam quod in Brevi præſcribitur* circa formularium? Silentium quod *Regi & Regiis Miniſtris* impoſitum Hennebellus voluit, nequaquam ſpectat *formularium*, verum abolitionem Decretorum, *de non promovendis iis, qui Janſenii doctrinam tenere deprehenſi fuerint, vel de hac ſuſpecti habiti*, uti & de *Rigoriſmo aliiſque novitatibus*. Tale ſilentium imponi *parti Catholicæ*, *Regi*, *Regiiſque Miniſtris* ſi Hennebellus dixiſſet nobis non placere; nihil dixiſſet à veritate alienum: clarum enim eſt atque evidens de hujuſcemodi ſolum ſilentio agi toto numero 60. qui reprehenditur.

Hæc vix dixerat Venantius, cum Arioviſtus ſubjunxit: Rectiſſimè hunc mihi ex animo ſcrupulum exemiſti. Et verò (jam memini) hæc omnia ante legi in illis, quas ſupra mihi Româ miſſas commemorabam, animadverſionibus. Has animadverſiones & abs te lectas eſſe jurarem, ſi adjunxiſſes neminem citiùs magiſque perniciosè infregiſſe legem de ſilentio, quàm Hennebellum ipſum. Ubi, interrogat Venantius, Hennebellus hanc legem unquam infregit? In illa famoſa, reſpondet Arioviſtus, ad Archiepiſcopum Mechlinienſem Epiſtola, de qua ſupra aliquam mentionem fecimus. Etenim paucis pòſt diebus, quàm Pontifex legem illam ſilentii ſanciverat, ſcripſit epiſtolam; atque ea quatuor priùs menſibus, quam redderetur Mechlinienſium Archiepiſcopo cui inſcripta erat, aperta & in Gallia & in Belgio per Confœderatorum manus ambulare debuit, ut omnes de modo intelligendi formularium & jurandi erudirentur.

Non illepida iſtæc animadverſio eſt, infit Venantius; ſed hæc Epiſtola Hennebello quam caro ſtetit! In declaratione, quam juſſu S. Congregationis dedit die 14. Septembris debuit fateri *Epiſtolam ſuam S. Congregationi multum diſplicuiſſe, utpote quam Eminentiſſimi Patres Decreto Apoſtolico die 6. ejuſdem menſis* (Februarii) *emanato con-*

contrariam esse judicaverint; Et ibidem declaravit, *quod huic S. Congregationis de Epistola* sua *judicio per omnia* se *submittat improbans quidquid Eminentissimi Patres in præfata Epistola improbandum censuerint &c.* Ea quóque declaratio typis edita est atque divulgata.

Scio, inquit Venantius, & adhuc ejus declarationis exemplar unum domi reconditum habeo in scrinio. Sed ideone putas, optime Arioviste, prædictam Hennebelli Epistolam nihil damni attulisse parti Catholicæ? Ego certè timeo, ne plurimi pertinaciter teneant ea quæ ex illa Epistola didicerunt. Timeo, inquam, ut aliter execrentur 5. propositiones, aut aliter Formularium accipiant, aut aliter in illud jurent, quàm secundùm sensum qui ibidem ab Hennebello adstruitur. Nec panicus meus ille timor est: id enim apertè præ se ferunt iu scriptis publicis, quibus quidquid in illa Epistola traditum est, liberiùs instauraut, jamque ea omnia satis indicata & inculcata esse profitentur, ut omnes non aliter ac secundùm distinctiones & interpretationes, quas semper prætenderunt, jusjurandum suum intelligere aut debeant aut possint, etiamsi illæ modò, vetante Innocentio XII., inter jurandum exteriùs non proferantur. Denique jam pridem Cornelius Segers apud Cardinalem de Aguirre in Defensione Cathedræ S. Petri disp. 19. sect. 2. de Lovaniensium quorumdam juramento dicebat esse negotium ambulans in tenebris? Ad silentium autem, quod aliqui ab hoc Eminentissimo Cardinale optabant circa Bajanismum & Jansenismum, ita respondet ipse Cardinalis tom. 1. Theologiæ S. Anselmi in Prolegomenis pag. 11., *si ii* (Theologi Belgæ) qui damnatas ab Alexandro VII. opiniones *instaurare videntur totidem pœne verbis, religioni non ducunt tergiversari, resistere, aut nolle plane assentiri Apostolicæ Sedis judicio in ea re, quamvis prætextu multiplici aut variis coloribus quæsitis, cur non liceat cuilibet Theologo Scriptori communem Orthodoxorum Matrem fideliter amanti, autoritatem illius sartam tectam servare, ac novis lucubrationibus rejicere ea dogmata*, & quædam alia cum iis connexa; *donec refractariis quibuslibet mutis esse liceat.*

Au-

Auditâ tali Cardinalis responsione, non se Ariovistus cohibuit, quin exclamaret; Mascula oratio, planéque digna viro tam egregio! Si quis, ille saltem scrutatus est Ecclesiæ Concilia & priscas historias, adeoque pernovit quàm noxium sit communem orthodoxorum Matrem non defendere. Sed nos repetamus textum Hennebelli: *Sic partem sibi addictam*, ait Hennebellus, *eamque solam vocare audent Catholicam; partem autem contrariam vocant numero* 101. *damnatam, & passim per totum Memoriale Sectarios, Hæreticos.*

Ad hoc è vestigio respondit Venantius; Jure meritò nostram partem vocamus Catholicam, quamvis Jansenii & Baii defensores hoc tempore non pertimescant scribere, quòd *Ecclesia ferè tota sit Pelagiana*, idque ut ajunt, culpâ Romanorum Pontificum, utpote in quibus *Apostolicus vigor deferbuit.* Ita sustinet Martinus du Chesne in disquisitionibus duabus anno 1696. pag. 78. Quid, quòd invictam fidei custodem Romam ipsam, in arcana Clavi prope Aldenardam inventa, appellent *Massiliam* seu nidum & receptaculum Semipelagianorum; Pontificem autem *Patrem Generalem*, nempè Massiliensium. Si tales doctrinæ Jansenianæ à tot Pontificibus damnatæ ut hæreticæ propugnatores post damnationem obstinatos non annumeremus Catholicis, quis Catholicorum id nobis vitio verterit? Prorsus nemo, reponit Ariovistus.

Sed, cum pergebat idem, præproperâ tuâ responsione impediveris, quo minus Hennebelli textum supra recitaverim integrum, cum nunc pace tua prosequar: *Partem contrariam num* 14. *vocant Theologos obstinatissimè addictos doctrinæ damnatæ sui Jansenii, quorum dissimulatus Spiritus, ut ajunt num.* 29. *superat dissimulatum spiritum Calvini; quo Hæresiarcha ille Belgio extremam perniciem attulit, aliique ejusmodi flosculi toto Memoriali sparguntur contra Theologos, quorum partes agit Doctor Hennebel, postquam jurarunt formulam Facultatis Theologicæ Lovaniensis contra* 5. *propositiones, omniaque præstiterunt, quæ ad eluendam Jansenismi notam fieri præscribit Sanctitas Vestra, adeò ut non*

pot-

possint autores Memorialis manifestius, quam invidiosis istis nominibus infringere, quod Breve Sanctitatis Vestræ Belgii Episcopis præscribit: ne scilicet quemquam vagâ istâ accusatione & invidioso nomine Jansenismi traduci aut nuncupari sinant, nisi priùs suspectum esse legitimè constiterit aliquam ex quinque propositionibus docuisse aut tenuisse. Hactenus Hennebellus, rectène an secus nostrum est jam discutere. Non alii *Theologi* hìc dicuntur *obstinatissimè addicti doctrinæ damnatæ sui Jansenii*, nisi qui tales esse probantur adductis pluribus eorum sententiis in tota Memorialis serie atque contextu, præsertim à num. 57. ad 97. usque? Quod si plures desideras, adi libellum tibi satis familiarem, cui titulus est: *Propositiones per Belgium disseminatæ*, parte 4.

Hoc tamen, Venanti, hic notatum velim: quemadmodum Pontifices, dum in multas simul propositiones censuras varias, puta hæreseos, schismatis, impietatis, temeritatis &c. indefinitè distringunt, non singulas volunt propositiones onerare universâ censuratum istarum congerie, sed respectivè eas intelligendas monent; ita etiam dum Theologi, Scriptores polemici, & nominatim Memorialis Autor censuras aliquas à Sede Apostolica pronuntiatas adhibent, aliisque subinde ad illarum normam utuntur nomenclationibus durius sonantibus, non ita hæ intelligendæ sunt, tamquam si omnes convenirent in singulos istarum partium Theologos, quos impugnant, sed respectivè prout relatæ ex eorum scriptis vel aliter testificatæ opiniones promereri censebuntur.

Notasti hæc, subdit Venantius, subtiliter perque acutè. At verò quid dices ad *dissimulatum spiritum*? Mox Ariovistus ait: Nihil mihi potest esse facilius, Venanti, quam & tibi & Hennebello hac in re respondere. Quid enim? An non constat in promptuque est omnibus, quod *dissimulatus* ille quorundam recentiorum *spiritus* superet *dissimulatum spiritum Calvini*? Non potuit hic indomitum suum adversus Apostolicam Sedem totamque Ecclesiam furorem tamdiu alto corde premere; non potuit damnatos suos errores, ancipitum ver-

Auditâ tali Cardinalis responsione, non se Ariovistus cohibuit, quin exclamaret; Mascula oratio, planéque digna viro tam egregio! Si quis, ille saltem scrutatus est Ecclesiæ Concilia & priscas historias, adeoque pernovit quàm noxium sit communem orthodoxorum Matrem non defendere. Sed nos repetamus textum Hennebelli: *Sic partem sibi addictam*, ait Hennebellus, *eamque solam vocare audent Catholicam; partem autem contrariam vocant numero* 101. *damnatam*, *& passim per totum Memoriale Sectarios*, *Hæreticos.*

Ad hoc è vestigio respondit Venantius; Jure merito nostram partem vocamus Catholicam, quamvis Jansenii & Baii defensores hoc tempore non pertimescant scribere, quòd *Ecclesia ferè tota sit Pelagiana*, idque ut ajunt, culpâ Romanorum Pontificum, utpote in quibus *Apostolicus vigor deferbuit.* Ita sustinet Martinus du Chesne in disquisitionibus duabus anno 1696. pag. 78. Quid, quòd invictam fidei custodem Romam ipsam, in arcana Clavi prope Aldenardam inventa, appellent *Massiliam* seu nidum & receptaculum Semipelagianorum; Pontificem autem *Patrem Generalem*, nempè Massilienfium. Si tales doctrinæ Jansenianæ à tot Pontificibus damnatæ ut hæreticæ propugnatores post damnationem obstinatos non annumeremus Catholicis, quis Catholicorum id nobis vitio verterit? Prorsus nemo, reponit Ariovistus.

Sed, cum pergebat idem, præproperâ tuâ responsione impediveris, quo minus Hennebelli textum supra recitaverim integrum, cum nunc pace tua prosequar: *Partem contrariam num* 14. *vocant Theologos obstinatissimè addictos doctrinæ damnatæ sui Jansenii, quorum dissimulatus Spiritus, ut ajunt num.* 29. *superat dissimulatum spiritum Calvini, quo Hæresiarcha ille Belgio extremam perniciem attulit, aliique ejusmodi flosculi toto Memoriali sparguntur contra Theologos, quorum partes agit Doctor Hennebel, postquam jurarunt formulam Facultatis Theologicæ Lovaniensis contra* 5. *propositiones, omniaque præstiterunt, quæ ad eluendam Jansenismi notam fieri præscribit Sanctitas Vestra, adeò ut non*

pof-

possint autores Memorialis manifestius, quam invidiosis istis nominibus infringere, quod Breve Sanctitatis Vestræ Belgii Episcopis præscribit: ne scilicet quemquam vagâ istâ accusatione & invidioso nomine Jansenismi traduci aut nuncupari sinant, nisi priùs suspectum esse legitimè constiterit aliquam ex quinque propositionibus docuisse aut tenuisse. Hactenus Hennebellus, rectène an secus nostrum est jam discutere. Non alii *Theologi* hìc dicuntur *obstinatissimè addicti doctrinæ damnatæ sui Jansenii*, nisi qui tales esse probantur adductis pluribus eorum sententiis in tota Memorialis serie atque contextu, præsertim à num. 57. ad 97. usque? Quod si plures desideras, adi libellum tibi satis familiarem, cui titulus est: *Propositiones per Belgium disseminatæ*, parte 4.

Hoc tamen, Venanti, hic notatum velim: quemadmodum Pontifices, dum in multas simul propositiones censuras varias, puta hæreseos, schismatis, impietatis, temeritatis &c. indefinitè distringunt, non singulas volunt propositiones onerare universâ censuratum istarum congerie, sed respectivè eas intelligendas monent; ita etiam dùm Theologi, Scriptores polemici, & nominatim Memorialis Autor censuras aliquas à Sede Apostolica pronuntiatas adhibent, aliisque subinde ad illarum normam utuntur nomenclationibus durius sonantibus, non ita hæ intelligendæ sunt, tamquam si omnes convenirent in singulos istarum partium Theologos, quos impugnant, sed respectivè prout relatæ ex eorum scriptis vel aliter testificatæ opiniones promereri censebuntur.

Notasti hæc, subdit Venantius, subtiliter perque acutè. At verò quid dices ad *dissimulatum spiritum*? Mox Ariovistus ait: Nihil mihi potest esse facilius, Venanti, quam & tibi & Hennebello hac in re respondere. Quid enim? An non constat in promptuque est omnibus, quod *dissimulatus* ille quorundam recentiorum *spiritus* superet *dissimulatum spiritum Calvini*? Non potuit hic indomitum suum adversus Apostolicam Sedem totamque Ecclesiam furorem tamdiu alto corde premere; non potuit damnatos suos errores, ancipitum ver-

borum involucris, fucis, pigmentis & quasi obedientiæ larvâ occultare; non potuit aliud apud Ecclesiæ Rectores fingere, aliud docere plebem; non potuit, tam constantèr mentiri pietatem & submissionem, non hærere in sinu Ecclesiæ, eíque in speciem abblandiri, dum Sanctæ Matris viscera adjnstar viperæ crudelissimè discerperet. Sed hos dolos, has fraudes versare didicerunt ab Arianis defensores Baii & Jansenii, ob eamque caussam magis idonei sunt qui circumveniant non solum rudem & imperitum populum, verum etiam Sacerdotes, Theologos & Præsules Ecclesiæ. Quare liceat mihi usurpare verba S. Ambrosii. lib. de orthodoxa fide contra Arianos, *multas quidem*, inquiunt, *& graves hæreses novimus à pluribus ebullire, & veneni vice ad intimam pectus canceris sui virus infundere, sed vinci illi vel facilè possunt, vel facilè vitari, quorum prima propositione omne consilium pectoris proditur. At verò his quibus multa nobiscum paria sunt, facilè possunt innoxias mentes & soli Deo deditas; fraudulenta Societate percutere, dum malorum suorum virus per bona nostra defendunt; nihil enim periculosius his hæreticis esse potest, quam qui integrè per omnia decurront; uno tamen verbo ac si veneni gutta meram illam & simplicem fidem Dominicæ & exinde Apostolicæ traditionis inficiant.* Et ut addit S. Bernardus serm. 45. in Cantica. *Longè plus nocet falsus Catholicus, quam si verus appareat hæreticus.*

Substitit hic subitò Ariovistus, cumque meditaretur plures SS. Patrum locos in hanc rem adducere, illum Venantius sic affatus est. Si talium *Theologorum partes agat Doctor Hennebellus*, video verum esse id quod nuperrimè offendi apud Autorem nescio quem, nempè nulla est tanta fœditas, quæ non alicubi patronum inveniat. Sed edissere mihi, doctissime Arioviste, quinam sint illi Theologi quorum partes Hennebellus hic agit. Nullum eorum omnium elenchum, respondet Ariovistus, Hennebellus edidit usqueadhuc; quare nihil est necesse de his omnibus sigillatim respondeam. Autor verò Memorialis solummodo insectatur eos, quorum sententias & facta refert constitutionibus Apostolicis & De-

cretis

cretis Regiis Pontificia ſtabilientibus apertò adverſantia.

Quoniam mihi, inquit Venantius, non vis illos Theologos prodere, ſciſcitabor ex aliis, aut ipſe proprio marte inquiram. Interim quicumque illi ſint; teſte Hennebello, *jurarunt formulam Facultatis Theologicæ Lovanienſis contra 5. propoſitiones, omniaque præſtiterunt quæ ad eluendam Janſeniſmi notam fieri præſcribit ſanctiſſimus Dominus.* Nunc ſaltem videtur Hennebellus dicere aliquid. Itane vero? ait quaſi indignatus Arioviſtus. An ergo tibi excidit iſtud Priſcillianiſtarum axioma; *Jura, perjura, ſecretum prodere noli?* An excidit quod de Henricianis dicit D. Bernardus ſerm. 65. in Cant. *Indixère latebras ſibi; firmaverunt ſibi ſermonem nequam*, prædictum ſcilicet axioma? An quod S. Hieronymus epiſt. 65. ad Pammachium & Oceanum de ſuæ ætatis novatoribus; *Facilè dicunt cum juramento, quod poſtea aliò ſolvunt perjurio?* Venantius reſpondit ſe iſtorum neutiquam oblitum eſſe; ſed quo minus aliquid tale de illis Theologis ſuſpicaretur, religione impediri.

Ad hæc illico Arioviſtus; & mihi aliquando fuit iſthæc religio, at eâ me exſolvi, poſtquam legi Epiſtolam 2. Antonii Arnaldi ad Andegavenſem Epiſcopum quæ anno 1696. typis vulgata eſt. Ibi de ſuis propoſitiones 5. in ſenſu Janſenii ſeu libri ejus externè ejurantibus ſic loquitur Arnaldus; *ſubſcriptiones illas, quaſi meras ceremonias ſpectant, quibus neceſſe non ſit congruere interiorem mentis aſſenſum; atque adeo hac perſuaſione imbuti, licet quinque propoſitiones in Janſenio extare non credant, tamen in ſubſcriptione ſua confirmare nihil verentur. Notum eſt magnam eruditorum partem, ex quibus ejuſmodi ſubſcriptiones extortæ ſunt, hoc animo quod poſtulabatur præſtitiſſe.* Accedit Leonardus Gautius qui in theſibus publicis Lovanii anno 1696. 23. Jul. ſuſtinebat, *mendacii malitiam nequaquam ab oppoſitione cum jure alterius, cui loquimur repetendam; quare*, inferebat, *ceſſante hoc, aut ab alio eminentiore abſorpto, nulla fuerit hæc malitia.* Quid jam dicis? An adhuc ea tibi remanet religio? An nondum vides, Venanti, nondum ſentis, quòd ſubſcriptio

formularii quæ in aliis videri posset non obscura Jansenismi detestatio, suppositis ejusmodi principiis aliisque cavillationibus, potius videatur Apostolicarum constitutionum elusio & pallium Jansenismi? Quamquam neque solis quinque illis propositionibus veluti suis limitibus ac cancellis, damnata Jansenii doctrina circumscribitur. Plures alias continet damnatas in Baio; & longè adhuc plures accusantur in novis Theologis, quarum absurditatem piæ aures exhorrescunt.


Hanc Arnaldi Epistolam, aiebat Venantius, priùs numquam legeram, uti nec theses Leonardi Gautii. Hinc semper conatus fui istam à me propulsare suspicionem. Reliqua autem quæ supra ex Hennebello recitasti, frivola sunt ac prorsus inania: nec enim in Memoriali uspiam improbatur lex Pontificia de nemine vocando Jansenista, *nisi quem priùs suspectum esse legitimè constiterit aliquam ex 5. propositionibus docuisse vel tenuisse.* In his verbis quidem exultat & triumphat Hennebelli oratio, sed quam nullâ de causa, videbit quisquis hæc Pontificis verba penitiùs inspexerit. Quid enim? An putat Hennebellus propositiones illas necessario iisdem planè vocibus efferri debere, & efferentem de hoc debere antè in judicio *convinci*, quam habeatur *legitimè suspectus*? nemo profectò dixerit tantum ad *suspicionem legitimam* requiri & postulari, quantum ad *criminis convictionem*. An putat non fore *legitimè suspectum* qui apertè profitetur se tenere universam Jansenii doctrinam velut apprimè sanam & orthodoxam? Certè si ego in Calvinismi suspicionem vocavero quempiam, quem videro pro Calvino & universa ejus doctrina tamquam Catholica seriò ac pertinaciter decertantem, unusquisque me temeritate absolvet, idque etiamsi nullum particulare traditum à Calvino dogma expressisset.

Ita est, ut dicis, inquiebat Ariovistus. Atqui, subsumebat Venantius, non est ovum ovo similius, quam hic casus similis est nostro qui in disceptatione versatur. Eia age, fingamus animo illum qui ob jam dictam causam suspectus est de Calvinismo, esse candidatum alicujus gradûs in Academia Catholica, aut Ordinis Sa-

cri;

cri, aut Ecclesiastici beneficii; atque ut eò perveniat, offerre se ad pronuntiandam formulam fidei ordinariam à Concilio Tridentino præscriptam. Quin imo fingamus illum exteriùs sacramentum dicere. Tamen si hoc dicto sacramento, eumdem illum Calvini defensorem rursum identidem audiamus pro Calvino ejusque doctrina tota non secùs ac priùs, veluti pro aris & focis contendentem; an immeritò suspicabimur quod illud sacramentum parum candidè & sincerò dixerit? An immeritò, inquam, suspicabimur quod sub tam generali Calvini & totius ejus doctrinæ defensione *defendat* ac *teneat* non aliquod solummodo ejus dogma, verùm etiam omnia quæ S. Mater Ecclesia in Calvino execratur? Non, non Hennebelle. Igitur de Calvinismo talis legitimè suspectus foret, licet definitiones Ecclesiæ & fortè sua opinamenta ita involveret locutionibus ambiguis & cavillis, ut sensum præ se ferrent duplicem, alterum in speciem Catholicum erroribusque Calvini repugnantem; hæreticum alterum & cum universis ejusdem Calvini erroribus facilè conciliandum.

Tum Ariovistus subjungit; ita & mea fert sententia: quis enim nesciat Arianos, Pelagianos, aliosque nobis ætate conjunctiores hæreticos, usos fuisse versipelli istâ ambiguitate verborum? In omnes convenit illud Justiniani in edicto de tribus Capitulis: *solent hæretici, ut simpliciores decipiant, vocibus quidem uti, quæ ab Orthodoxis piè dicuntur; rectum autem eorum intellectum, & expositionem ad suam impietatem transferre.* Juvat, Venanti, quædam ex singulis libare specimina. Nihil istud necesse est, reponit Venantius, tum quod ea ipse non ignorem, tum quod expediat redire ad eum, quem de Calvinismo legitimè suspectum fecimus: nam hujus appositione exempli clariùs veritas patefiet. Attende itaque. Quid si dein talis, ubi propter doctrinæ Calvinianæ suspicionem se ad munia & dignitates inter Catholicos non promoveri perspexerit, sed aliis non suspectis postponi; quid si, inquam, talis conqueratur se immeritò excludi, injustè in suspicionem Calvinismi vocari, postquam juravit in formulam *Tridentini omnia-*



que præstitit, quæ ad eluendam Calvinismi notam fieri præscribit istud Concilium? Eritne, te Arioviste judice, statim ab omni suspicione liber existimandus, neque in promotionibus postponi poterit aliis integerrimæ ac probatissimæ fidei & doctrinæ Viris? Hæc, ut facilè possunt, Jansenismo applicantor, & cernet Hennebellus nihil habere se, cur conqueratur. O utinam hîc adesset atque ista audiret!

Exploderet ista omnia, inquit Ariovistus, diceretque in te esse *præcipitem accusandi intemperiem*, quemadmodum dixit de Autoribus Memorialis. En tibi ejus verba, " Hic tamen, Beatissime Pater, non sistit præceps ,,eorum præfatos Theologos accusandi intemperies; sed ,,plus audent & dicunt num. 34., eos toties ac tam ,,manifestè à principio suæ sectæ sprevisse & adhuc quo-,,tidie spernere tot Decreta Pontificum summorum Pii ,,V., Gregorii XIII., Urbani VIII., Innocentii X., ,,Alexandri VII. & Alexandri VIII.; & num. 106. su-,,stinent, inquiunt, Theologi isti sententiam à duo-,,bus Pontificibus contra Jansenium latam esse temera-,,rariam, & æquitati contrariam, ob defectum legalem ,,quod una tantum pars audita fuerit: hinc & prose-,,quuntur 107. intendit inflexibilis istorum homi-,,num audacia reformabiles esse definitiones doctrina-,,les summorum Pontificum ex Cathedra. "

Post hæc Venantius: hanccine Hennebellus vocat *præcipitem accusandi intemperiem*? Næ ille mirabilis vir est: nam si Memoriale legit, sicut profectò legit, illic debuit videre singula manifestis probationibus convicta. Cur probationes illas supprimit? cur non refutat? cur non ostendit vel sententias, quas adversarius adducit, non esse citatas fideliter; vel fideliter citatæ si sint, non esse sat absurdas, ut earum Autores dicantur Bullas ac definitiones Pontificias contemnere? Cur convertit se ad arma muliebria, ad solos planctus, ad lamenta? Non diu hic hæsit Ariovistus, sed è vestigio respondit, & peracutè quidem, hunc in modum; Iste Hennebelli planctus, ista lamenta debent nobis, Venanti, argumento esse, quod & fidelissimè citatæ sit illæ sententiæ, & manifestior sint hic Pontifi-

ciarum

ciarum definitionum contemptus, quàm ut ullis cavillationum fucis obduci aut occultari queat: nam si quas Doctor Hennebellus habuisset rationes, etiam has ad commovendum benignissimum optimi Pontificis pectus adhibuisset; non indulsisset solis planctibus, lamentis, miserabilibusque querimoniis, armis viro tam indignis.

Sed heus Arioviste, inquit Venantius, hîc uterque fallimur: quippè Hennebellus videtur mox aliquid probationis aggredi, dicens.

„ En Beatissime Pater calumnias prorsus intolerabiles, „ad quas manifestè revincendas, scire tantum opus est, „quomodo præfati Theologi nuperrimè Sanctitatis Ve„stræ Brevia amplexi fuerint; sed hæc omnia dissimu„lant inverecundi eorum accusatores, quibus sufficit si „Catholicæ Suæ Majestati sive per jus, sive per nefas „persuadere possint, quod dicunt num. 110. aliud cu„randum non esse, quam ut observentur constitutiones „doctrinales Innocentii X. & Alexandri VII., compri„mendo & castigando eos, quos legitime constat esse „contumaces earum transgressores. Ceterum, ut ajunt, „n. 9. & 109., rem esse claram, quod coram S. Sede „actum non fuerit de puncto ullo doctrinali, nec ul„lum esse tale punctum, ob quod partes ad judicium „S. Sedis remittendæ sint. "

Probatio illa, ait Ariovistus, ut inanis est, ita statim corruet. Quamquam quos hîc iterum, per *præfatos Theologos*, Hennebellus intelligat, haud equidem satis assequor; utpote quorum nomina neque hic neque usquam alibi recensentur. Interdum quidem de Theologis Lovaniensibus Hennebellus indefinitè loquitur, perinde ac si omnes vel plerique saltem à sua starent parte. Sed id falsum esse probè novimus: non enim sola Facultas Theologica præcipuè egit, ut Hennebello adimeretur potestas Delegati; verum etiam compertum est plerosque Theologiæ Professores Academicos, & ex Religiosis omnes, uno alrerove excepto, communes contra eum ejusque doctrinam litteras Romam aliquando dedisse. Quod si inter *præfatos* illos, quos appellat *Theologos*, com-

plectatur eos, quorum sententias auditu horridas commemorat Memoriale, præsertim à num. 65. usque ad 88., vide an non de multis eorum dici possit susceptionem illam duorum Brevium esse *protestationem actui contrariam*, adeóque apud jurisperitos esse nullius ponderis aut fidei. Quomodo E. C. Ignatius Eykenboom Pontificia Brevia *amplexus est*, qui post Breve, quod Innocentius XII. anno 1694. 6. Februarii edidit & in quo declarat se *constitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. firmiter inhærere, eas in suo robore fuisse & esse:* nempè contra 5. *propositiones ex Libro Jansenii excerptas, in sensu obvio*: quomodo, inquam, Ignatius ille Eykenboom Breve istud amplexus est, qui post istud, nimirum an. 1696., in Libro, quem inscribit " Adumbratam Ecclesiæ Romanæ defensionem contra Leydeckerum Calvinistam, *sic scribit pag.* 33. Si intelligit Jansenium ob Augustini doctrinam Jesuitis, aliisque recentioribus Pelagianis invisum, & eos illam ob causam animo tacitè retentam ursisse, ut illa ob errorum, quos ipsi affricabant obtentum, Romæ damnaretur, nemo, qui, quæ ea in causa gesta sunt, novit, Leydeckero dissentiet. *Et eadem pag.* 33. *ait* Jansenii nomine vulgò intelligi hæresim, quem Jesuitæ & alii Jansenii hostes ipse adscripserint, quamque Pontifex damnavit in Jansenio, etsi nec Jansenius, nec alius quis Ecclesiæ Romanæ Theologus eam uspiam tenuit & docuit. Inde Phantasmatis nomen obtinuit iste Jansenismus seu fictitia hæc hæresis Janseniana. *Ibidem dicit*, se *vanam ridere* Leydeckeri gloriationem, veram simul ejus cæcitatem lugendo aut detestando malam fidem, si id vel nescivit, vel nescire se finxit:" atqui ut jam fidem fecimus, etiam Innocentius XII. id nescivit in suo Brevi, ubi contrarium planè exprimit; sic igitur Innocentii XII. *cæcitatem ridet* iste Theologus: plura ejusmodi tum ex ipso, tum ex aliis proferri possunt: Amicissime Venanti, nunquid id belle est *amplecti Brevia* Innocentii XII. & cum illis constitutiones Innocentii X. & Alexandri VII.? Præterea credisne, ullum propter Brevia ista mutasse sententiam?

Qui

Qui id fassus sit, dicit Venantius, hactenus legi neminem; neque ullum mihi assignare poterit ipse Hennebellus, *sudet multum frustraque laboret.* Et hoc observare fortasse è re nostra fuerit, videlicet quod Pontificiis Constitutionibus repugnent complura, quæ non pertinent ad 5. propositiones Jansenii, & de quibus nullus in utroque Brevi sermo instituitur. Hoc rectè observasti, inquit Ariovistus; sed, ingeniosissime Venanti, nonne & observasti Hennebellum fœdissime imponere quando asserit dici num. 110. "Aliud curandum non esse „quam ut observentur constitutiones doctrinales Alexan„dri VII. & Innocenti X. comprimendo & castigando „eos, quos legitimè constat esse contumaces earum „transgressores." Obsecro, Memoriale inspice, & invenies illic dici quidem tales "esse comprimendos & ca„stigandos, sed Belgii Episcopos diligentissime à Rege „monendos, ut non procedant secundum accusationes „vagas de Jansenismo, neve tali prætextu affectato „Theologos aliquos à promotionibus excludant. " *Ita, „addit P. Palazol*, " Majestas Vestra plenè ac cumulatè „impleverit quidquid circa hoc particulare noster San„ctissimus Pater decernit. Vides, Venanti, *circa hoc particulare ?* Hoccine idem est atque asserere simpliciter *nihil aliud curandum esse* in quacunque materia?

Sed nondum hic se cohibuit imponendi libido; quod ut cernas, Venanti, velim iterum inspicias Memoriale num. 9. quem Hennebellus supra appellabat. Illum inquam, numerum inspice iterum iterumque & scrutare, an ibi sit vel apex aut jota unum, ex quo colligi possit ibi vel formaliter vel æquivalenter " dici rem „esse claram, quod coram S. Sede actum non fuerit de „ullo puncto doctrinali, nec ullum esse tale punctum, „ob quod partes ad judicium S. Sedis remittendæ sint.

Porrò Venantius sicut aliàs, ità & nunc Arioviсто voluit dicto audiens esse; cumque Memorialis numerum perlêgit semel, iterum, tertiò; ac tandem sic pronuntiavit; jam video luce clariùs hic agi tantummodo de re pertractanda in *juncta* ut vocant seu cœtu Ministrorum Regiorum & Theologorum : " Non petitur, *inquit*

plectatur eos, quorum sententias auditu horridas commemorat Memoriale, præsertim à num. 65. usque ad 88., vide an non de multis eorum dici possit susceptionem illam duorum Brevium esse *protestationem actui contrariam*, adeóque apud jurisperitos esse nullius ponderis aut fidei. Quomodo E. C. Ignatius Eykenboom Pontificia Brevia *amplexus est*, qui post Breve, quod Innocentius XII. anno 1694. 6. Februarii edidit & in quo declarat se *constitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. firmiter inhærere, eas in suo robore fuisse & esse:* nempè contra 5. *propositiones ex Libro Jansenii excerptas, in sensu obvio*: quomodo, inquam, Ignatius ille Eykenboom Breve istud amplexus est, qui post istud, nimirum an. 1696., in Libro, quem inscribit ".Adumbra- „tam Ecclesiæ Romanæ defensionem contra Leydec- „kerum Calvinistam, *sic scribit pag.* 33. Si intelligit Jan- „senium ob Augustini doctrinam Jesuitis, aliisque re- „centioribus Pelagianis invisum, & eos illam ob cau- „sam animo tacitè retentam ursisse, ut illâ ob errorum, „quos ipsi affricabant obtentum, Romæ damnaretur, „nemo, qui, quæ ea in causa gesta sunt, novit, Leydeckero „dissentiet. *Et eadem pag.* 33. *ait* Jansenii nomine vulgò „intelligi hæresim, quem Jesuitæ & alii Jansenii hostes „ipse adscripserint, quamque Pontifex damnavit in Jan- „senio, etsi nec Jansenius, nec alius quis Ecclesiæ Ro- „manæ Theologus eam uspiam tenuit & docuit. Inde „Phantasmatis nomen obtinuit iste Jansenismus seu fi- „ctitia hæc hæresis Janseniana. *Ibidem dicit*, se *vanam* „*ridere* Leydeckeri gloriationem, veram simul ejus cæ- „citatem lugendo aut detestando malam fidem, si id „vel nescivit, vel nescire se finxit:" atqui ut jam fidem fecimus, etiam Innocentius XII. id nescivit in suo Brevi, ubi contrarium planè exprimit; sic igitur Innocentii XII. *cæcitatem ridet* iste Theologus: plura ejusmodi tum ex ipso, tum ex aliis proferri possunt: Amicissime Venanti, nunquid id belle est *amplecti Brevia* Innocentii XII. & cum illis constitutiones Innocentii X. & Alexandri VII.? Præterea credisne, ullum propter Brevia ista mutasse sententiam?

Qui

Qui id fassus sit, dicit Venantius, hactenus legi neminem; neque ullum mihi assignare poterit ipse Hennebellus, *sudet multum frustraque laboret*. Et hoc observare fortasse è re nostra fuerit, videlicet quod Pontificiis Constitutionibus repugnent complura, quæ non pertinent ad 5. propositiones Jansenii, & de quibus nullus in utroque Brevi sermo instituitur. Hoc rectè observasti, inquit Ariovistus; sed, ingeniosissime Venanti, nonne & observasti Hennebellum fœdissime imponere quando asserit dici num. 110. "Aliud curandum non esse „quam ut observentur constitutiones doctrinales Alexan„dri VII. & Innocenti X. comprimendo & castigando „eos, quos legitimè constat esse contumaces earum „transgressores." Obsecro, Memoriale inspice, & invenies illic dici quidem tales "esse comprimendos & ca„stigandos, sed Belgii Episcopos diligentissime à Rege „monendos, ut non procedant secundum accusationes „vagas de Jansenismo, neve tali prætextu affectato „Theologos aliquos à promotionibus excludant." *Ita*, „*addit P. Palazol*, "Majestas Vestra plenè ac cumulatè „impleverit quidquid circa hoc particulare noster San„ctissimus Pater decernit. Vides, Venanti, *circa hoc particulare?* Hoccine idem est atque asserere simpliciter *nihil aliud curandum esse* in quacunque materia?

Sed nondum hic se cohibuit imponendi libido; quod ut cernas, Venanti, velim iterum inspicias Memoriale num. 9. quem Hennebellus supra appellabat. Illum inquam, numerum inspice iterum iterumque & scrutare, an ibi sit vel apex aut jota unum, ex quo colligi possit ibi vel formaliter vel æquivalenter " dici rem „esse claram, quod coram S. Sede actum non fuerit de „ullo puncto doctrinali, nec ullum esse tale punctum, „ob quod partes ad judicium S. Sedis remittendæ sint.

Porrò Venantius sicut aliàs, ità & nunc Ariovisto voluit dicto audiens esse; cumque Memorialis numerum perlêgit semel, iterum, tertiò; ac tandem sic pronuntiavit; jam video luce clariùs hic agi tantummodo de re pertractanda in *juncta* ut vocant seu cœtu Ministrorum Regiorum & Theologorum: " Non petitur, *inquit*

„*inquit P. Palazol* ut in iſta juncta examinentur & de-„terminentur puncta doctrinalia cenſurando propoſitio-„nes: novit enim, *inquit*, Veſtra Majeſtas, neque nos „ignoramus iſtud privativè pertinere ad ſupremam au-„ctoritatem Vicarii JESU-CHRISTI, ſucceſſoris S. Petri, „in quo ſtat Columna & Firmamentum Veritatis cum „judicio falli neſcio circa controverſias fidei. Tantum „petitur, ut illa juncta poſſit informare Majeſtatem Ve-„ſtram de quæſtione facti, an doctrina toties à Ponti-„ficibus condemnata defendatur etiam in Belgio cum „contemptu definitionum Eccleſiæ. " Hic igitur, concludebat Arioviſtus, nihil inveniſti eorum, quæ objicit criminator Hennebellus, nihil reprehenſione, nihil cerâ miniatulâ dignum.

Sed videamus, proſequebatur idem Arioviſtus, an melioribus avibus accuſaverit numerum 109. Illo numero diluitur calumnia, quam Hennebellus in ſuo ad Pontificem Memoriali impegerat Decretis Regiis, quaſi hæc " non modo ſuſpenderent Sedis Apoſtolicæ Man-„data pro executione eorum quæ per definitivam ſen-„tentiam illa determinaverat, ſed etiam omnia ſtatue-„rent contraria. *Et quidem*, in materiis doctrinalibus, „atque ad fidem pertinentibus, circa quas Rex utramque „contendentium partem ad Sedem Apoſtolicam ſpon-„tè remiſerat: Ad hoc reſpondendum eſt, *inquit Palazol*, „quod Doctor ille affectet manifeſtam æquivocatio-„nem: evidens eſt enim hic non agi, neque cum Apo-„ſtolica Sede actum eſſe de aliquo puncto doctrinali fi-„dem concernente, ſed de quæſtione facti, an accuſa-„tiones quas Epiſcopi circa Theologorum quorundam „Janſeniſmum Madritum mittunt, ſint accuſationes „vagæ & prætextus affectati, vel non: & ubi conſtite-„rit, quemadmodum conſtat Majeſtati Veſtræ, quod „accuſationes legitimæ ſint & innixæ factis veriſſimis, ut „in hoc Memoriali demonſtratur, clariſſimum eſt De-„creta Majeſtatis Veſtræ eſſe Brevi Innocentii XII. in „nullo contraria. " Huc oculos, huc animum, Venanti; an hic ullo modo dicitur, " quod nullum ſit „punctum doctrinale, ob quod partes ad judicium S.

Sedis

„Sedis remittendæ ſint?" Minimè gentium, reſpondet Venantius, Hoc autem, inquit Arioviſtus, hîc tantum dicitur, quod *quæſtio facti* ſuperius memorata poſſit examinari à Miniſtris Regiis Theologiſque deputatis, doctrinæ verò quæſtiones ad Sedem Apoſtolicam neceſſario remitti debeant: neque ibi negat Palazol miſſas ad Sedem Apoſtolicam ejuſmodi quæſtiones atque de iis agi cœptum; ſed negat ad doctrinam ſpectare iſtud, quod Hennebellus ajebat eſſe in judicio contradictorio ab Innocentio XII. definitum, & cui dicebat adverſari Decreta Regia.

Quod ſi vis Hennebellum adhuc videre clarius convictum, adi, Venanti, Memorialis numerum 111. ubi Palazol ita interrogat: " Quomodo Mandatum Epiſ- „copis impoſitum de nemine afficiendo ulla infamia „aut moleſtia ob accuſationes vagas, & prætextus affe- „ctatos, poteſt intelligi ſententia definitiva Suæ Sancti- „tatis, niſi in Schola D. Hennebel idem ſit mandare „ac definire? Aut quomodo perſuadere mundo poterit „Sanctiſſimum Dominum ſententiâ definitivâ declaraſ- „ſe, quod Reverendiſſimi illi Epiſcopi juxta accuſatio- „nes vagas proceſſerint ſubditos bene meritos injuſte „repellendo ob prætextus affectatos de Janſeniſmo, quod „præterquam quod ſit falſiſſimum, quid habet commu- „ne cum puncto doctrinali ad fidem pertinente? & quo- „modo poterit haberi judicium contradictorium in ob- „ligatione tam perſpicua;" quam habent Epiſcopi non repellendi quempiam ob accuſationes vagas & prætextus affectatos? Ibidem " quomodo induci in animum „poteſt, quod Rex tam Chriſtianus & pius miſiſſet „Decreta adverſantia tali præcepto? Quod etiamſi à „Chriſti Vicario non emanaſſet, ratio naturalis dicta- „bat ejus obligationem irrefragabilem?" *Et num.* 110. „*dictum fuerat*:" Videtur, ſpectare proprie ad Regem „tanquam Eccleſiæ protectorem efficere, ut definitio- „nes doctrinales Innocentii X. & Alexandri VII. ob- „ſerventur reprimendo & caſtigando eos, quos legiti- „me conſtiterit eſſe contumaces illarum tranſgreſſores." „*De hoc ita quærit*:" quodnam punctum iſtud erat ob „quod Regia Majeſtas neceſſario debuiſſet partes re-

mittere

mittere ad Judicium Sedis Apostolicæ ? " Videsne nunc, Venanti, depulsis ambiguitatum & truncationum tenebris, ubique patescere pudendas calumnias?

Video, reponit Venantius, nec satis mirari possum, quod hæc Hennebellus inspectante Româ audeat. Inspectante Româ dico ? Imo verò quod hæc audeat Sanctissimo Domino obtrudere. Sed nondum statim finis, subdebat Ariovistus; hæc hæc præterea Hennebellus effutit : " Sane, Pater Sancte, aliud agere non videntur hujus Memorialis Autores, quam ut exautorato „primo Brevi Sanctitatis Vestræ, nunc quoque evertant secundùm, die 24. Nov. 1696. ad eosdem Belgii Episcopos missum, quo tam expresse declarat Sanctitas Vestra varias circa Sacramentorum administrationem controversias coram Apostolica Sede pendere, „& in præsens magna solicitudine discussioni propositionum, quæ inter alias abunde delatas, ad hoc argumentum spectant, allaborari à Consultoribus & Qualificatoribus supremæ Inquisitionis, difficultates autem „quæ Formularium seu Constitutiones Innocentii X. & „Alexandri VII. spectant, nullo negotio posse terminari, si executioni mandetur primum Breve, quod nulla prorsus egere explicatione, aptumque esse, ubi in „ipso præscripta adimpleantur, efficax atque opportunum afferre remedium, à Sanctitate Vestra constanter asseritur; adeò ut vix capi possit, qua fronte dicant Memorialis Autores, solum laborandum esse pro „exequendis Constitutionibus Innocentii X. & Alexandri „VII., ac de cetero nullas esse controversias doctrinales, „quæ vel coram Apostolica Sede pendeant, vel ad ejus „judicium à Catholica Sua Majestate remittendæ sint."

Hîc Venantius veritus ne Ariovistus actum ageret, sic ajebat : Apertam calumniam esse, quod P. Palazol meditetur primum Breve exautorare, satis superque, Arioviste, superiùs demonstrasti; quare hæc missa facito & ad alia progreditor.

Non ita festinato opus est, Ariovistus inquit; igitur pace tuâ, Venanti, dixerim quòd iis quæ superiùs protulimus, adjungi possit totus Paragraphus quartus qui sic

ſic inſcribitur: " Integra conformitas inter Decreta Re-
„gis Noſtri Caroli II., & Breve SS. Patris Noſtri In-
„nocentii XII." *Paragraphi autem hoc eſt initium*; ". per-
„venimus ad principale hujus Memorialis aſſumptum,
„ut universo Orbi evidentiſſimè conſtet, omni etiam
„apparenti ratione deſtitutam eſſe audaciam Doctoris
„Hennebel in accuſando Rege Noſtro, ejuſque Mini-
„ſtris Madritenſibus de inobedientia erga Breve San-
„ctiſſimi Patris Noſtri Innocentii XII., quaſi non ſo-
„lum peccaſſent omiſſione, ſed etiam commiſſione, vi-
„delicet non tantum non obediendo, verum etiam man-
„dando contrarium." Quam P. Palazol hic fidem ad-
ſtingit, eamdem ſolidiſſime clariſſimeque liberat à
num. 45. uſque ad 57. quos potes recolere, ſi viſum
fuerit.

Nil cunctatus Venantius numeros illos integros legit elata voce. Et cum abſolviſſet, exclamavit; hic certè Hennebellus convictus eſt de calumnia in Regem ejuſque Miniſtros. Atque ideò, Ariovistus ſubjungit, de Decretis Regiis jam altum ſilet; & calumniam convertit in Memoriale. Sed ſi hic adeſſet, ſic eum aggrederer: Dic modò Hennebelle; vultne P. Palazol evertere Decreta Regia? Minime gentium, reſponderet: nam nihil Patri illi iſtis Decretis carius eſt. Tum ſubſumerem; atqui *principale aſſumptum iſtius Memorialis*, ut Pater ipſe Memorialis Autor teſtatur, eſt oſtendere *integram conformitatem inter Decreta* illa *Regia & Breve Innocentii XII.* ergo evidens eſt; quod nulla ratione evertere velit illud breve, cum nullo modo velit everti Decreta Regis, eidem Brevi ubique conformia. Nervoſum profectò illud argumentum eſt, ait Venantius, neque Hennebellus omni ſuâ Chryſippæa arte, ejus vim aut robur infringeret. At verò quid eſt, Arioviſte, de ſecundo Brevi? An Autor Memorialis conatur illud ſaltem evertere, ut eum ſupra arguit Hennebellus?

Autor Memorialis, inquit Ariovistus, de illo ſecundo Brevi ne meminit quidem. Tantum abeſt, doctiſſime Venanti, ut illud evertere moliatur. E contrario illud firmiſſimè corroborat, quando ubique prædicat re-

reverentiam & obedientiam summam indefinitè & illimitatè exhibendam esse mandatis Supremæ Sedis, quam obedientiam meritis laudibus extollit in Rege Catholico, sibique sacrosanctam esse ac fore profitetur num. 8. ac toto passim Memoriali: verba quædam ejusce huc facientia supra dedimus.

In memoria habeo, subjungit Venantius. Verum non æquè recordor, an Autor Memorialis non dixerit " so-„lum laborandum esse Cardinalibus & Pontifici pro exe-„quendis Constitutionibus Innocentii X. & Alexandri „VII. ac de cetero nullas esse controversias doctrina-„les, quæ vel coram Apostolica Sede pendeant, vel ad „ejus judicium à Catholica Sua Majestate remittendæ „sint.

Ubinam, interrogat Ariovistus, Autor ille hoc dixerit? quo Paragrapho? quo numero? Ait quidem ille Autor num. 110., " quod videatur spectare propriè ad „Regem tanquam Ecclesiæ protectorem efficere, ut de-„finitiones doctrinales Innocentii X. & Alexandri VII. „observentur. " Istud quidem non negaverim, sed hoccine est dicere in hoc solum laborandum etiam Pontifici, etiam Cardinalibus? Pontificis est, non Regis, definire quæ credenda sint. At Regis est Pontifici auxilio esse, ut " definitiones serventur, contumaces autem „& refractarii puniantur ac reprimantur, " ut citato numero 110. habet ille Autor.

Venantius curiositate ductus hunc numerum perlegit totum, ac deinde dixit; video, Arioviste, verum esse id quod asseruisti. Video præterea eumdem illum Autorem ibidem dicere quod in *Brevi*, videlicet primo, ubi agitur de " non repellendo quoquam ob accusationes „vagas & prætextus affectatos, non agatur punctum do-„ctrinale, quod remittere Rex debeat ad Pontificem, „ut determinetur, sicut in omni casu remittere deberet, „si ita foret; " id est, si foret punctum doctrinale. Tum Ariovistus sine mora inferebat: Non ergo affirmat P. Palazol, " nullas esse controversias doctrinales, quæ „vel coram Apostolica Sede pendent, vel ad ejus judi-„cium à Catholica Majestate remittendæ sint: " cum

solum

solum asserat, quod ejusmodi punctum, non sit istud" „de reprimendis & castigandis iis, quos legitimè con„stiterit esse Constitutionum Innocentii X. & Alexan„dri VII. contumaces transgressores," ut idem numerus 110. habet.

At cedo mihi, inquit Venantius, an variæ quæ Romæ coram Apostolica Sede pendent controversiæ, sunt tantum de Sacramentorum Administratione? Respondit Ariovistus: ita quidem Hennebellus videtur hic supponere, vel certe nescire se simulat eas etiam esse de variis dogmatibus. Quod quî facere potuerit, ego non intelligo. Non enim ignorat dogmaticas propositiones amplius mille collectas esse curâ Archiepiscopi Mechliniensis., & non modò ad Summum Pontificem & S. Congregationem, verùm etiam ad Regem missas, ut hic earum examen & censuram, apud Sedem Apostolicam urgere dignaretur. Non ignorat, inquam, examen illud fuisse promissum Archiepiscopo ab Innocentio XII., & jam inde eò promotum, ut ex immenso illo numero excerptæ fuerint ducentæ circiter, quæ videbantur præcipuè promereri censuram, ab Archiepiscopo omnibusque bene Catholicis, atque in primis Societate avidissimè expetitam. Has propositiones intelligit Autor Memorialis à Pontifice dici in 2. Brevi *aliàs abundè delatas*, utpote quarum copia maxima est, neque ad solam pertinent administrationem Sacramentorum, sed & ad Constitutionum Apostolicarum, Autoritatis Pontificiæ, & SS. Congregationum contemptum, ad Jansenismi, Bajanismi, imo & Quietismi restaurationem.

Usque adeone, inquit Venantius, imponere Hennebellus amat? Sicut vides, reponit Ariovistus. Istud autem quod ait, " difficultates quæ Formularium seu „Constitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. spe„ctant nullo negotio posse terminari, si executioni man„detur primum Breve, quod nulla eget explicatione, „aptumque est, ubi in ipso præscripta adimpleantur, „efficax atque opportunum afferre remedium, " à nemine negatur, nisi à Paulo Aurelio in Panegyri Janseniana.

Imo

Imo puto ego, inquit Venantius, quod vel sola Innocentii X. Constitutio efficax erat remedium contra 5. Jansenii propositiones, si ab omnibus, ut par est, mandata fuisset executioni. Sic & difficultates circa Jansenii sensum, essetne damnatus & Catholicis omnibus execrandus prout in Jansenii Libro exprimitur, nullo negotio terminatæ fuissent, si omnes attendissent ad Constitutionem Innocentii X. datam an. 1653. pridie Kal. Jun. & ejus Decretum an. 1654. 12. Apr. quo declarat Sanctissimus Dominus " condemnatam in 5. pro-„positionibus esse Augustini Cornelii Jansenii Episcopi „Iprensis doctrinam: & ne occasione doctrinæ prædi-„ctæ in mentes Christi fidelium aliquod dubium vel er-„ror irrepat, eundem Augustinum Cornelii Jansenii &c. „iteratò.....prohibet & damnat, " sed propter cavillationes *filiorum iniquitatis*, ut eos vocat Alexander VII., opus fuit Bulla ad SACRAM an. 1656. quid hac prudentius? quid fortius dari vel excogitari pôterat? adeòque extinguendo Jansenismo sufficiebat quidem adundè Bulla ista, si ab omnibus religiosè observata fuisset; verum, cum (ut testatur idem Alexander Pontifex in Constitutione *Regiminis Apostolici* data octo annis pòst) nempè an. 1664. " Janseniana hæresis, in Galliis præ-„sertim serpens....adinstar colubri tortuosi, cujus ca-„put attritum est, in varios gyros & cavillationum de-„flexus iret, " necessaria fuit Constitutio nova cum Formulario, " quia 5. propositiones ex Cornelii Jansenii „Libro, cui nomen Augustinus, excerptas, & in sen-„su ab eodem Autore intento, prout illas per dictas „Constitutiones, Sedes Apostolica damnavit, sincero „animo rejicere ac damnare, & ita jurare " jubebamur. Quod si ab omnibus adimpletum fuisset, non opus fuisset Brevi Innocentii XII., & quantumcunque id efficax sit, quamdiu tamen cavillari aliquibus libuerit, ut Hennebello imprimis libuit, qui ut jam diximus, eodem quo Breve datum est mense Epistolam dedit, quam" Emi-„nentissimi Patres Decreto Apostolico die 6. ejusdem „mensis emanato contrariam esse decreverunt." Et quamvis eam Epistolam ex Mandato S. Congregationis re-

tracta-

tractaverit: tamen cum hæc retractatio quasi coacta sit, nihil movet ipsi adhærentes. Pergunt quò cœperunt, Libellos Pseudonymos spargunt in vulgus, atque omnes planè easdem cavillationes intolerabili audaciâ instaurant. Sic itaque, spectatis quorundam ingeniis in cavillationes pronis, ut semper vel antiquas recuscitent, vel parturiant novas, minimè mirum foret, neque contra prioris Brevis dignitatem, si, quantúmcumque illud in se efficax fuerit, tamen sive ab eodem Innocentio XII. sive ab ejus Successoribus nova aliquando constitutio opportuna & fortè necessaria censeretur.

Hæc Venantii dicta suspexit Ariovistus, maximoque opere dilaudavit: gravis, inquiebat, & cedro digna hæc tua oratio est, Venanti, quamque ego protulissem, nisi tu me prævenisses. Jam sola superest Hennebelli conclusio, quamquam haud scio an operæ pretium sit, in ea legenda aliquid temporis ponere: quippè cum non aliis nitatur basibus ac fundamentis, quàm falsis suppositis ac calumniis quas modò funditùs evertimus, necesse est his labentibus illam quoque labi per se atque concidere. Juvat tamen illam legere, ait Venantius, quia quemadmodum quo minimè reris gurgite, interdum piscis delitescit, ita etiam ubi minimè reris, nova fortè calumnia aut falsitas se prodet.

Faciam ut tibi lubet, dicit Ariovistus, totamque recitavit Hennebelli conclusionem, quam cum Venantius audiret, Deus bone! quot indignantis animi indicia præ se tulit. Sic autem sonabat conclusio: " Verum, „Pater Sancte, hæc fingere oportuit ad imponendum „illudendumque Suæ Majestati, & ab ea extorquendam „prætensam Junctam, seu Congregationem de qua num. „6. quam aliàs à Sua Majestate, cujus pietas in Apo„stolicam Sedem notissima est, postulare nunquam au„si essent. Cum autem indignissimum sit per tot artifi„cia, fraudes ac figmenta exautorando, infringendo, „ac planè evertendo Brevia Apostolica, sic iludi Catho„licæ Suæ Majestati, atque ad obtinendam ab ea Jun„ctam seu Congregationem, quæ Belgii dissidiis finem „imponat, sic dissimulari verum rerum statum, totque

„Innocentiſſimos Theologos, Apoſtolicæ Sedi addi-„ctiſſimos, & obedientiſſimos tanquam graviſſimo-„rum in eam criminum reos, traduci ſcripto pu-„blico, quod in capite præfert, nomen ac mandatum „Generalis Societatis JESU, cujus vocem magno cla-„more innumeri alii ſequuntur, niſi quantocius con-„gruum atque efficax adhibeatur remedium; ſeſe ite-„rum ad S. V. pedes orator proſternit humillime ſup-„plicans mandari Nuntio Hiſpaniæ, ut Catholicam „Suam Majeſtatem melius informet de toto rerum ſta-„tu, impediatque ne Juncta ſeu Congregatio petita con-„cedatur, ac eodem tempore mandari Congregationi S. „Officii, ut diem dicat Patri Thyrſo Gonzales Societa-„tis JESU Præpoſito Generali, eique præſcribat reſpon-„dere ſuper articulis ſupra memoratis; ut reſponſis ejus „à S. Congregatione auditis, examinatis, ac relatis, de-„cernat Sanctitas Veſtra, quid in illum, quid in Joan-„nem Palazol Procuratorem ejus & Memoriale ab iis „Catholicæ Suæ Majeſtati oblatum ſtatuendum ſit.

Legerat hæc Arioviſtus, cum ſubdit: Nonne ut ante dixi, iſta concluſio eodem quo ſuperiora, labefacta motu tota concidit? Concidit, aiebat Venantius, & mox Arioviſtum ſic interrogabat: In quo Arioviſte, ea Juncta ſeu Congregatio, ſi impetretur, contraria poteſt eſſe Regiæ pietati vel autoritati Sedis Apoſtolicæ? E contrario ad hanc contra tot Libros & Scriptores famoſos, contra contemptores & impugnatores audaciſſimos omnium paſſim Bullarum, definitionum, Decretorumque Pontificiorum ac SS. Congregationum ſtabiliendam ſimul & avertendam à Provinciis perniciem cavendamque rebellionem contra Deum & legitimum Principem, ut à ſimilibus initiis ſuperiori ſeculo experti ſumus, unicè à Rege inſtitueretur, & ut confidere licet de Miniſtris ac Theologis à Rege in juncta illa conſtituendis, eorum ſcopus & conſilia conſentanea eſſent Regiæ pietati.

Neque ego capio, addit, Arioviſtus, quid in juncta illa tantopere horreat Hennebellus, ut tanto contra eam feratur impetu & quidquid eſt ſummæ in Eccleſia auto-

to-

toritatis, contra eam commoveat? Si *Sedi Apostolicæ* sit *addictissimus*, si *obedientissimus*, deberet cum suis omnibus quocumque potest modo collaborare, ut Memorialis Autores junctam illam quam citissimè adipiscerentur. Quid enim scandalosius? quid perniciosius magisque infame Sedi Apostolicæ & omnibus ejus constitutionibus, etiam maximè dogmaticis scribi potest, quam quod innumerabilibus libellis, quibus redundat Belgium, scriptum est & sparsum annis hisce posterioribus? In illa juncta sanciri poterit, quo modo Scriptores isti conscii-que typographi, & distributores detegi possint, quomodo in eos inquiri, quomodo deprehensi castigari, quomodo provideri, ne impedimentum injiciatur à quibusdam Magistratibus.

Præterea, inquit Venantius, si Hennebellus ejusque Theologi tam innocentes sint, ut passim jactitant, si nihil ad eos istorum librorum pertineat, si potius ab adversaria parte ad conflandam eis invidiam conscripti sint, quid timent? Quid contra junctam vociferantur? Hæc poterit eorum innocentiam & adversariæ partis, si verè ejus sit, malitiam ac fraudem in lucem protrahere. Et tum facilè cessabunt accusationes vagæ, quin imo adversariis plenis & oppressis confusione, ora in perpetuum obstruentur. Contra verò tanta Hennebelli anxietas, tot machinæ, tot clamores contra *Junctam* tantorum bonorum procreatricem, & quæ nulli, nisi quem conscientia redarguit, potest esse formidabilis, sicut & clamores nuperi ac calumniæ contra Decreta Regia, quibus nemo nominatim impetebatur, sed soli Jansenistæ, Rigoristæ, Novatores, eisque adhærentes, & merito suspecti, causam illorum apud quoslibet alioquin indifferentes longè deteriorem reddunt, plurimis vel ex hoc solo sinistram de iis opinionem concipientibus.

Sic est, inquit Ariovistus, tanta Hennebelli anxietas, tanta formido aliaque quæ nunc recensuisti, sunt signa mentis sibi non rectè consciæ.

At, dicit Venantius, quid jam de Hennebelli temeritate censes? Hanc, respondet Ariovistus, relinquamus castigandam aliis. Nobis satis esse debet detexisse frau-

des hujus libelli supplicis. Velim tamen, infit Venantius, tecum discutere Hennebelli prolixius Responsum ad Memoriale ejusdem P. Palazol. Ne quid nimis, ait Ariovistus; oportet jam relaxare animum. Quare consabulemur potius de rebus aliis, & lustremus tuum hortum tot amœnissimis distinctum areolis, tot ornatum statuis, & dulci salientium fontium susurro resonantem. Itaque eò itum est, & inter illos convênit de revertendo ad Hennebellianum scriptum postridie, quamquam hoc factum non sit nisi post dies aliquot, propterea quòd Ariovistus eodem vespere acciperet litteras quæ eum multo mane domum revocarent ad peragenda quædam alia summi momenti negotia.

DISSERTATIO II.

De Proœmio quod Hennebellus præmittit suæ Responsioni ad Memoriale Patris de Palazol.

UBi Ariovistus negotia sua confecerat, nihil habuit potius quàm redire ad Venantium, ut pactas de prolixiore Hennebelli Responso dissertationes cum eo auspicaretur. Quem in finem scripta secum attulerat varia, Jansenismo repugnantia alia, alia faventia. Venantium autem offendit adhuc occupatum volvendo scripto Hennebelli, ipsique assidentem aliquem Academiæ Lovaniensis Baccalaureum, qui Hennebellianæ factioni favebat impensius. Ingressus Ariovistus, hem amicissime Venanti inquiebat, quid jam de ista Hennebelli Responsione judicas.

Illico respondit Venantius, ejus libellus supplex, quem nos proximè examinavimus, est hujus Responsionis compendium, neque adeo mihi opus est examine longiore. At isti doctissimo Domino Baccalaureo opus est. Quare si hoc examen coram illo Domino mecum instituere volueris, multam à me inibis gratiam. Volo, ait Ariovistus: hoc enim & data fides & necessitudo nostra postulat. Et quo cuncta discutiamus accura-

accuratiùs. hæc mecum monumenta afferenda curavi.

Factum bene, inquit Venantius, age incipiamus; & ſtatim cœpit recitare Procemium, in quo R. D. Hennebellus Lectorem ſuum edocet *de vero*, ut ait, *rerum ſtatu*. Initium ergo Procemii tale eſt: "Tanta confiden-„tia Theologos illos (quorum partes agit Doctor Hen-„nebel) in ipſo Memorialis ſui limine pernicioſiſſimæ „diſſimulationis accuſat Reverendus Pater de Pa-„lazol, ut ſi fides illi habeatur, nec Ariani, nec Va-„lentiniani, nec perditiſſimi quilibet Hæretici artificio-„ſiùs unquam Eccleſiæ illuſerint. Fallitur autem vehe-„menter bonus ille Pater, ſi inverecundâ tantum accu-„ſandi licentiâ opus eſſe arbitretur, ut perſuadeat diſſimu-„laſſe eos Romæ ſenſum ſuum, quem eos illic non tantum „non diſſimulaſſe, ſed nec diſſimulaſſe potuiſſe, res ipſa lo-„quitur. Sextus enim annus eſt, ex quo Romæ cauſam „ſuam agunt per Doctorem Hennebel deputatum ſuum, „accuſante eos ibidem Mechlinienſi Archiepiſcopo, qui „contra eos commovere nititur omnes Belgii Epiſco-„pos, omnes mundi Poteſtates, omnes Regulares, ſed „præcipuè Patres Societatis Jesu. Res tota palam agi-„tur in facie Eccleſiæ &c. Qua de re agitur? Utique „de graviſſima, & quæ Apoſtolicam Sedem proximè „tangit. Quæſtio enim eſt, an præfati Theologi circa „Pontificias Conſtitutiones ac præcipuè circa Conſtitu-„tiones Innocentii X. & Alexandri VII. ſenſum ſuum „diſſimularint: Ego vero ingenuè fateor, quod ſi in cir-„cumſtantiis jam memoratis ſenſum illi ſuum circa præ-„fatas Conſtitutiones diſſimulaſſe dicendi ſint, ignora-„re me, quid tandem ad mentem, ſenſumque clariſ-„ſimè aperiendum requiratur. "Ita, optime Arioviſte, „ſcribit Hennebellus.

Sed cur ſuos *illos Theologos in ipſo Memorialis limine* à P. Palazol tam atrociter accuſari dicat *pernicioſiſſimæ diſſimulationis*, ut *nec Ariani*, *nec Valentiani*, *nec perditiſſimi quilibet Hæretici artificioſius unquam Eccleſiæ illuſerint*, non ſatis perſpicio.

Hoc eſt, dicit Arioviſtus, quod nec ego ſatis poſſum admirari: nam *in Memorialis limine* agitur de ſolis *ob-*

firmatis sequacibus doctrinæ Cornelii Jansenii de Heresi ab Ecclesia condemnatæ:" Hic nullus ex Theologis istis nominatur alius, sicut nec in Decretis Regiis, contra quæ Hennebellus tantos civit strepitus, tantos clamores.

Hoc loco hærebat uterque quasi mutus & cogitabundo similis, cum ex improviso exclamat Ariovistus: Heus tu, Venanti; mihi succurrit illud S. Hieronymi ad Ctesiphontem, " *nullius in hoc opusculo nomen tangitur, adversus Magistrum perversi dogmatis locuti sumus, qui si iratus fuerit, atque rescripserit, suo quasi mus prodetur indicio.* " Quid si ergo suspicemur Hennebellum suis clamoribus, *muris* illius instar proditum? Et certe si famoso contra Decreta Regia Memoriali non prodidisset se esse eorum, adversus quos Decreta Regia edita erant, protectorem, forte ne toto quidem scripto Patris Palazol expressum legeretur *Doctoris Hennebelli* nomen: quid enim opus erat illius nominis aliàs meminisse?

Sed Hennebelli temeritas, inquit Venantius, alicubi in illo Memoriali reprehenditur. Quid tum? Reponit Ariovistus; anne propterea erat consultum sibi ultro attrahere, quidquid toto illo opere in obstinatos Jansenii propugnatores jacitur? Neque etiam quidquid his propugnatoribus indefinitè & verè tribuitur, id statim de singulis intelligendum est? Quippè multa de factione aliqua & gente sive in laudem sive in vituperium dicuntur, quæ non in omnes distribûtive, sed copulatim seu collectivè tantummodo acceptos conveniunt. Non procul accersendum est exemplum; quamvis Janseniana factio omnes Hæreticorum sectas dissimulatione & artibus verè superet; quis tamen est, qui ignoret quod inter Jansenii defensores aliqui nec simulationis nec moderationis regulas satis noverint, ut minimè noverat Eugenius de Gelder, & à biennio Pastor N. in Flandria, qui coram Episcopo non suo, & pluribus viris honoratissimis optabat, *ut omnes essent Jansenistæ*; nec tamen erubescebat in venerando isto cœtu effutire & gloriari, quod eodem die antè sacrificum extendisset manus ad ubera duarum Virginum, ac nihilominus sacrificasset non præmissâ confessione. Testimonium autenti-

tenticum Episcopi aliorumque qui scurrilem istam gloriationem coram cum summa indignatione audiverunt, penes me est, adscripto nomine Pastoris, & illud legitimè rogatus exhibebo. Gloriationem autem illam non inanem fuisse fassa est pariter altera ex virginibus, quæ tum aderat, & à Pastore per insidias id sibi insciæ factum protestabatur. Etiam in Missione Hollandica quædam ad concionem palam in laudem Jansenii ejusque doctrinæ confirmationem dicta esse plurimorum testimoniis perhibentur; quæ nec Dominus Hennebel, nec quisquam alius haud planè imprudens publicè & tam crudè declamari approbaverit.

Sæpè fuit, addit Venantius, hæreticorum Doctorum ea calamitas, ut quod ipsi tectè timideque docent ne quis orthodoxus audiat, id omne in lucem efferant minus cauti discipuli, & *quæ in aure audiunt, prædicent super tecta.* Sensit calamitatem Pelagius, parum dissimulatè loquente Cœlestio; senserunt alii hujusce farinæ homines.

Ne abeamus à proposito, inquit Ariovistus. Quamvis & inter Jansenistas, non satis dissimulaverint aliqui, ut jam vidimus; nunquid tamen magna ars est, & quâ Janseniana & Bajana Secta omnibus aliis longè præcellit, quod, cum suam doctrinam plusquam in centum articulis damnatam perspiciat, atque eam mordicus semper sustinere decreverit, idque scriptis & typis passim evulget, tamen plusquam seculo integro se contineat in Ecclesiæ sinu, & nescio quâ pietatis, submissionis, rigoris specie, aliisque dolis, machinis, fallaciis ac præstigiis fascinet oculos etiam non prorsus imperitorum, atque utinam populi tantum, & non Magistratuum ac Principum! Quænam, amabo, Hæreticorum Secta tamdiu Ecclesiæ adhæsit, blandita est, illusit? Neque difficile foret fidem facere, quod fere quidquid dolorum & fraudum per omnes alias Sectas dispersum fuit, nova Secta simul collectum, nec levibus cumulatum auctariis in praxim redigat. Si adhuc dubitas, percurre omnium hæresum fraudes, quas collegit Franciscus Simonis. Nemo est rerum, quæ à novis Theologis

geſtæ ſunt, utcumque gnarus, qui in ſingulis illic fraudibus velut in ſpeculo, novam Sectam non contemplctur. Idem & ego cenſeo, inquit Venantius.

Baccalaureus autem ratus hæc ultro citroque dici ad ſui ludibrium, infremuit, & diuturnioris ſilentii impatiens; quid, inquiebat, oratio veſtra in hiſce luxuriat? *Fallitur vehementer*, ut Eximius Dominus ac Magiſter meus Hennebellus affirmat, *bonus ille Pater* Joannes de Palazol. Plura Baccalaureum proloqui non ſinebat ira, quam animo conceperat maximam.

Porrò hunc perquam modeſtè affatus eſt Venantius hoc pacto: Mi Domine Baccalauree, non adeò vecors eſt P. de Palazol, ut arbitretur, *inverecundâ tantum opus eſſe accuſandi licentiâ*: novit ipſe, quibus id proprium ſit, & ſpero te quoque id intellecturum ex hac noſtra diſſertatione. Scimus probationibus legitimis opus eſſe ut perſuadeamus adverſarios Romæ *ſenſum ſuum diſſimulaſſe*, neque probationes ejuſmodi prætermittit ille Pater, preſertim §. 5. ubi enormes Pontificiarum Conſtitutionum contemptus magnâ accuratione ex recentioribus producit; & tamen quot artibus Romæ inculcatur, nullam eſſe in Eccleſia novam Sectam, niſi in Jeſuitarum cerebro, nullos Theologos legitimè de Janſeniſmo, Bajaniſmo, aut ejuſmodi novitatibus ſuſpectos, nullum periculum, quod Eccleſiæ ab iis imminere jam pridem denuntiarunt omnes Epiſcopi Belgæ, ſeptem ordinum Provinciales, & non pauci nec infimi inter Lovanienſes S. Theologiæ Profeſſores etiam Academici.

Notum Romæ eſt, addebat idem Venantius, & quibuſdam Eminentiſſimis Patribus exhibitum ſcriptum quoddam typis editum, cui titulus "*ſpecimen doctrinæ traditæ ab an.* 1691. *ad uſque annum* 1696. *incluſivè*;" illic & abſurdiſſima leguntur & fideliſſimè citata; primò de reſuſcitata & ſummopere laudata univerſa doctrina Michaëlis Baii contra Bullas Pii V., Gregorii XIII., & Urbani VIII. Secundò de pertinaciter defenſa tota doctrina Janſenii contra Conſtitutiones Urbani VIII., Innocentii X., & Alexandri VII. Tertiò de contemptu Conſtitutionis Alex-
andri

andri VIII. & contra 31. propositiones. Quartò de pertinaci & scandalosa defensione novi Testamenti Montensis à Clemente IX. gravissima censura perstricti. Quintò de vilipensione aliorum Decretorum contra libros noxios. Sextò de promiscua lectione Scripturæ Sacræ in lingua vulgari contra prohibitionem Indicis Tridentini, autoritate Pii IV., aliorumque Pontificum confirmatam.

Non dubito, inquit Baccalaureus, quin sagax Hennebellus, *speciminis* istius exemplar Romæ viderit. Neque ego dubito, ait Venantius, ideòque miror, quod tam confidenter insultet Patri Palazol tamquam experti omnis probationis, dum plurimas eum habere non ignorat, easque meridianâ luce clariores. Illud autem, quod addit Hennebellus: " *non potuisse Theologos istos Romæ sensum suum dissimulare, res ipsa loquitur:* " facilè difflatur, quia ab actu ad potentiam semper valida argumentatio est. *Sextus*, quidem, *annus est, ex quo Romæ*, ut idem Doctor gloriatur, *causam suam agunt per Doctorem Hennebel.* Sed quinam illi? Agedum, Domine Baccalauree, illos nobis pande. Nihil est quod scire tam intoleranter desiderem, ut abhinc diebus aliquot indicabam Ariovisto.

Sed Baccalaureus tantum quinque nominavit, nempè Gummarum Huygens, Guilielmum vande Nesse, Baerts, Baxs, Geet. Quibus auditis, dicit Ariovistus: nihil affers novi: nam hos quinque viros ante scivimus nominatos in Commissione Hennebello data. Et quod animadvertendum est, ex his solus primus Theologiæ Doctor est; nullus Professor publicus, nullus qui in Theologia vel controversiis aliquid unquam scripsit præter solum primum, cujus *Methodus remittendi & retinendi peccata* ab Inquisitione Hispanica gravibus censuris notata est, Compendium Theologicum Romæ prohibitum, uti & quædam ejus Theses. Quare huic soli videbatur opus esse, ut ejus causam Hennebellus ageret. Alii qui antea vix noti erant, capita quodammodo factionis videri voluerunt committendo Hennebello & commissioni subscribendo *suo & plurimorum aliorum* sed innominatorum *nomine*, nisi quod dicantur esse *Lovanien-*

ses,

ses, *Bruxellenses*, *Mechlinienses*, *Antverpienses*, *Gandenses*: quinam innominati illi sint, dic nobis, Domine Baccalauree. Hoc est quod scire cupimus & quod inquiri curabit Juncta, si hæc impetretur, uti & quinam sint illi Autores & distributores tot novorum quotidie librorum anonymorum, qui Belgium implent & pessumdant. Numquid horum Patroni saltem indirectè sunt & Ecclesiæ præsertim Belgicæ & seculari quoque statui perquam perniciosi, qui tantum malum Præsules Ecclesiæ celari volunt, & inculcando quod malum in Belgio nullum sit, impediunt, ne remedia efficacia adhibeantur. Cum, ut observat Pallavicinus lib. 14. cap. 25. ubi de Luthero: " *homines distenti negotiis*, *adeoque Principes lubenter inducant in animum id*, *quod ipsos curarum molestiâ.... liberat.*

Desinat itaque Hennebellus, pergebat Ariovistus, verbis ambiguis ludere. Quosnam per Theologos suos, *quorum partes agit*, intelligat, cum ipse non explicet, non est nostrum examinare operosiùs, neque, etiam divinare lubet. Interea Societatis Generalis & P. Palazol contra librorum perniciosorum Autores potissimum agunt, sive pro suis eos Hennebellus agnoscat sive non; Agunt autem contra Hennebellum quoque, quatenus Decreta Regia calumniando & quantum in se fuit, subvertendo, omnium novatorum patronum ac defensorem se præstitit, & quidem adversus legitimum Principem atque omnes Belgii Episcopos, quorum precibus & informationibus fuerant obtenta: sic verè omnium, quos hi insectantur, causam sustinet, quidquid alibi dicat, se libellos anonymos eorumque Autores pro suis non agnoscere.

Ariovisto hæc dicenti Venantius applausit, ac dein conversus ad Baccalaureum, quid est, inquiebat, quod in hoc Ariovisti sermone castigari queat? Aut ergo Hennebellus desinat *similes libros & Autores* contra Regem ac Episcopos defendere, aut patiatur se inter eorum fautores non infimo loco numerari. Interim bonus Baccalaureus partes sese in omnes versabat, ut inveniret aliquid quod ad hæc omnia responderet. Tandem sic dicebat; quidquid hactenus attulistis, solvit ipse Hennebellus, inquiens supra: " „Erit qui credat, quod ipsa Apostolica Sedes tanto tempore

„tempore dissimulationem, Ecclesiæ & statui tam per„niciosam, sibique injuriosissimam tolerarit? Qua „enim de re agitur? utique de gravissima, & quæ Apo„stolicam Sedem proximè tangit: quæstio enim est, „an præfati Theologi circa Pontificias Constitutiones „Innocentii X. & Alexandri VII., sensum suum dissimu„larint."

Risit Venantius dixitque: ô Patheticam Hennebelli exclamationem! sed quid ista conficit? credisne tu Domine Baccalauree, Pelagium & quidem postquam ab Innocentio, ejusque decessore & Africanis Conciliis damnatus fuerat non exiguo tempore illusisse Zozimo Pontifici? Dissimulatio ejus & ficta obedientiæ professio planè similis erat isti, quâ quidam erga S. Sedem Apostolicam utuntur hoc tempore: fidei sua confessionem his conceperat hæreticus terminis, qui doctrinæ orthodoxæ apprimè congruerent in sensu obvio, hæreticum vero dolosiùs occultarent. Articulos sic concludebat: " „Hæc est fides, Papa beatissime, quam in Ecclesia Catho„lica didicimus, quamque semper tenuimus, in qua si „minus peritè aut parum caute aliquid fortè positum sit; „emendari cupimus à te, qui Petri & Sedem & Fidem „tenes: sin autem hæc nostra confessio Apostolatus tui „judicio comprobatur, quicumque me maculare vo„luerit, se imperitum vel malevolum, vel etiam non „Catholicum, non me hæreticum comprobabit." Hæc Pontifex intelligens non continuit se præ gaudio, nec moratus est quin ad Africanos Episcopos statim scriberet, ut eis eximere niteretur sinistram, quam de Pelagii fide opinionem ante conceperant. " Litteras, inquit, „suas Pelagius purgationem continentes abundantissimè „misit...... Utinam ullus vestrûm, dilectissimi Fratres, „recitationi litterarum interesse potuisset! quod Sancto„rum Virorum qui aderant gaudium fuit? Quæ admi„ratio singulorum? Vix fletu quidem se & lacrymis „temperabant. Tales etiam absolutæ fidei infamari po„tuisse? Estne ullus locus, in quo Dei gratia vel adju„torium prætermissum sit?" Tandem ab eodem Pontifice detectâ fraude Pelagius iteratâ sententiâ condem-

natus

natus eſt. Credisne Wicleſſum, ubi malè cœperat audire in Anglia, ea ſcripſiſſe ad Urbanum VI. Pontificem, quibus ad ſinceriſſimæ obedientiæ profeſſionem nihil deeſſet? " Gaudeo, inquiebat, planè detegere cui-
„cumque fidem meam, & ſpecialiter Romano Pontifi-
„ci, quia ſuppono, quod ſi ſit orthodoxa, ipſe fidem
„meam humiliter confirmabit: &, ſi ſit erronea, emen-
„dabit...... Volo humiliter etiam per mortem, ſi opor-
„tet, emendari, & ſi in perſona propria ad votum po-
„tero laborare, vellem præſentiam Romani Pontificis
„humiliter viſitare: " Credisne Lutherum Theſium ſuarum analyſim inſcripſiſſe Leoni Pontifici? " Hic verò,
„Beatiſſime Pater, inquit, proſtratum me pedibus tuæ
„Beatitudinis offero, cum omnibus, quæ ſum & ha-
„beo. Vivifica, occide, voca, revoca, approba, repro-
„ba, ut placuerit. Vocem tuam, vocem Chriſti in te
„præſidentis & loquentis agnoſcam. Si mortem merui,
„mortem non recuſabo."

Arioviſto autem viſum fuit exemplum adjungere multo recentius, credisne, inquiebat, quod Michaël Molinos plus quam *ſex annis* ſpurciſſimam ſuam hæreſim ſub pietatis ſpecie velaverit? Nondum omnes, bone Baccalauree, occubuere ſoles, & futurum certo confidimus ut adverſariorum hypocriſis non ſolum in Belgio, ſed etiam Romæ aliquando detegatur: illuc fortè conferre aliquid poterunt nuperæ Epiſtolæ Religioſiſſimi & pro Fide Catholica, quam ad infideles propugnaturus tendit, zeloſiſſimi Antiſtitis Ancyrani. Sic ex Belgio Hollandico ad amicum Romam Italicè ſcripſit die 6. Nov. 1697. " Commendo Dominationi Veſtræ
„maledictam illam Janſeniſmi radicem, quæ per haſce
„Provincias nimium propagata eſt. Hanc ob cauſam
„velim Pontificem adeas meo nomine, atque dicas,
„me tamquam Eccleſiæ filium, quamvis indignum,
„jurare; quod eò malum excreverit, ut quando exſtir-
„pare illud voluerit, futurum non ſit ut poſſit. Tres
„modo menſes ſunt, cum dego in his Belgii Provin-
„ciis: egi cum perſonis nullo ductis partium ſtudio aut
„paſſione; egi cum omnibus Legatis Catholicis, & cum
Chriſtia-

„Christianis hujus Regionis maximè zelosis: omnes au-
„tem uno ore proclamant, tolle tolle.... Romæ videri
„volunt zelosi Catholici, negant quod hîc prædicant
„atque divulgant. Dic istud meo nomine Pontifici &
„Cardinalibus quibus judicaveris convenire: Non se
„decipi sinant: Sunt enim ex eorum numero, qui ve-
„niunt in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt
„lupi rapaces: sufficiunt hæc, ut conscientiam meam
„exonerem, Dominationis autem Vestræ obligem."

Ita scripsisse Ancyranum adhuc audivi ex aliis, ait Baccalaureus. Sed illum malè à quibusdam edoctum arbitror. Nam demus tantisper Jansenianam hæresim non esse merum phantasma; unde obsecro, hæc irrepat in Missionem Hollandicam? Non ab his, inquit Ariovistus, qui Romæ studuerunt in Collegio de Propaganda Fide, aut in Academia Coloniensi, ubi quid Bajus, quid Jansenius docuerint, vix auditur: non ergo apparet unde ejusmodi merces in hanc Missionem invehi potuerint, nisi ex tua Academia Lovaniensi maximè vicina, & ex qua veluti ex equo Troiano maxima Missionariorum turba hoc tempore egreditur. Atque de his præcipuam querelam esse accipio. Et quid mirum? In Hollandia multo tutiùs, majori successu & plausu diffunditur quidquid haustum fuit alibi & tantisper premi oportuit silentio. *Sola hæc hæresis est*, scribebat olim Hieronymus ad Ctesiphontem," quæ publicè erubescit loqui, quod se-
„cretò docere non metuit: Magistrorum silentia profert ra-
„bies discipulorum, quod audierunt in cubiculis, in te-
„ctis prædicant, ut si placuerit auditoribus quod dixerint,
„referatur ad gloriam Magistrorum; si displicuerit, culpa
„sit discipuli, non Magistri: ideò crevit vestra hæresis &
„decepit plurimos..... qui semper docetis, quod negatis."

Hic miser Baccalaureus, quò sese verteret nesciebat: neque enim carissimam sibi factionem deserere ullo pacto volebat, neque in Ariovistum & Venantium audebat invehi acerbiùs, propterea quod non desperaret de opulento ab iis sacerdotio obtinendo. Dum pendet animi, venit ipsi in mentem illius parœmiæ *Medio tutissimus ibis*. Igitur interrogavit dumtaxat & satis timidè,

timidè, an possent appositione aliquot exemplorum ostendere factionem illam *semper docere quod semper negat.* Imo verò, respondet Ariovistus, & *de re* quidem, quam Hennebellus confitetur esse " *gravissimam & quæ Apostolicam Sedem proximè tangit*, videlicet *de Constitutionibus Apostolicis.*" De his quemcumque Romæ interrogaveris, imo & in Belgio, saltem publicè sive in iis circumstantiis, in quibus castigatio vel offensio metuenda Novatori est, respondebit se admittere & revereri Constitutiones omnes Apostolicas & Decreta, sive libros feriant sive sententias: sed quid revera iidem illi sentiant, quid loquantur, ubi tutis loqui licet, quid scribant & typis divulgent tacito vel mutato nomine, planum fit ex iis quæ improbo labore ex variis illorum scriptis aliquando collegi, & digessi in ordinem. Habeo autem ea penes me, & tibi prælegam.

Primò, de Constitutionibus Pii V. adversus propositiones 79. Baii & quorundam aliorum hæreticas, & aliis respective censuris notatas, Autor editionis operum Baii cum notis & vindiciis an. 1696. parte 2. pag. 233." Animadvertendum, inquit, nihilominus primò quod illi „delatores & impostores suis fraudibus ac mendaciis „Pium V. ita circumvenerunt, ut tandem ab eo censuram ac diploma adversus has sententias extorserint, „Michaëli Baio non solum inaudito, nec vocato, sed „nulla quæ sciatur nisi levissimâ institutâ disquisitione & „absque librorum Michaëlis Baii examine, quos si vel „aperuissent fraudem delatorum comperissent & nequitiam." Sic olim, Venantius interpellat Autor, Apologiæ pro Petro Abailardo, " damnatur, pro dolor! absens „inauditus & non convictus. Quid dicam? Quidve non „dicam? .....Cujus unquam, Jesu bone, culpa tam „cæcos habuit Judices, ut non utrimque causæ latera „ventilarent?....Isti clausis oculis palpant negotium, „& quasi oculati rerum cognitores, arcu iniquitatis intento, toxicum subito jaculantur." Querela hæc, ait Ariovistus propria reorum est, præsertim hæreticorum, ut cernere est etiam in multis aliis, nominatim in Luthero, qui ubi Leonis X. Constitutione afflictos sensit

errores

errores suos, negavit in ea servatum esse stylum & processum Romanæ Curiæ, asseruitque " verosimillimum „esse, hanc prolem esse monstri illius Joannis Eckii, „hominis ex mendaciis, simulationibus, erroribus, hæ„resibus confusi & consuti. " Sed in gratiam Domini Baccalaurei prosequamur audire recentiorem nostrum Baii contra Pii V. Bullam audacissimum defensorem. Eâdem parte secundâ & eâdem pag. 233. sic habet: " „Animadvertendum secundò hac Pii V. Bullâ articu„los, in quibus vix aliquis pravus sensus potest depre„hendi, & qui intellectum fidei ac Catholicæ S. Augu„stini doctrinæ planè consentaneum præ se ferunt, nu„dè ac simpliciter proscribi in multam Sedis Apostoli„cæ injuriam, & grave omnium eruditorum scandalum. pag. 234. " Ex quibus æquiores arbitri deducunt, non in„utilem modò, sed fovendis & augendis, quàm sedandis „ac componendis contentionibus aptiorem, imo magis in „Catholicæ veritatis perniciem, quàm in errorum extir„pationem latam arbitrantur esse censuram, „hanc &c. "

Secundò, de Bullis Gregrorii XIII. & Urbani VIII. superiorem Pii V. confirmantibus: Ignatius Eykeboom in Adumbrata Ecclesiæ Romanæ defensione an. 1696. pag. 17. " in eo, *ait*, falsus est ac fallit (*adversarius*) „quod à Gregorio XIII. in prædicta Bulla confirmatam „asseverat Pii V. Bullam, rursumque damnatos articu„los, qui in Piana notati sunt: scimus quidem ipsam „Urbani VIII. Bullam id declarasse...verùm id malis ar„tibus Jesuitarum, Urbani VIII Bullæ ab Albizio eorum „cliente insertum; imo nemo est eruditorum, qui dubitat „&c. " Sic ubi quælibet nefanda contra Pii V. Bullam effutisset pag. 20. subjungit: " hoc est eruditorum inter Catholicos de Piana Constitutione judicium.

Tertiò, de Bullis Urbani VIII., Innocentii X. & Alexandri VII. contra doctrinam Jansenii Eugenius de Gelder Brugensis an. 1689. in ultima voce zelatricis innocentiæ pag. 30. " An autem Summi Pontifices in cau„sa Jansenii fuerint decepti, facti quæstio est, quæ ex „deceptorum confessione vel ex aliis exterioribus pro„bationibus verè dependet. Quod Urbanus VIII. fuerit de-

„deceptus patet ex propria ipsius Bullas. *Ibid:* quod In-„nocentius X. fuerit deceptus ad oculum demonstratur: „pag. 31. quod Alexander VII. fuerit deceptus ex eo „constat quod liber Jansenii numquam Romæ ritè fue-„rit examinatus & quod prima propositio à qua ceteræ „dependent.... sit Catholicissima: " prima autem propositio est hæc; " aliqua Dei præcepta hominibus justis vo-„lentibus & conantibus secundum præsentes, quas ha-„bent vires sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, „qua possibilia fiant. " Autor qui se vocat Priorem Sancti Martini an. 1691. in sua *Morali laxiore*, contra Archiepiscopum Mechliniensem pag. 61. " si hæreticus „est, *inquit*, qui asserit sensum (*primæ propositionis Jan-„senii*) esse Catholicum, oportet doctrinam, S. Augu-„stini & D. Thomæ etiam esse hæreticam. *Idem pag.* 70. „Iis qui veram Jansenii historiam nobis descripturi sunt, „illorum factorum relinquo declarandam veritatem, & „demonstrandum librum Jansenii neque sub Urbano „VIII. neque sub Innocentio X. neque sub Alexandro „VII ritè fuisse examinatum " Reflexiones religionis & status an. 1692. pag. 16. " si igitur Alexander Papa „VII. paucis antè annis declaraverit 5. propositiones ex „Jansenii libro excerptas, easque in sensu Autoris fuisse „condemnatas: & si Formulare confecerit in quo fa-„ctum illud expressum erat, apparet satis, ejus successo-„res credidisse, cum hanc declarationem & hoc For-„mulare non nisi per subreptionem fecisse, " quia nempè in Jansenianæ doctrinæ defensores non ubique inquiri jusserunt Pontifices, ut eos punirent, censentur doctrinam illam duxisse non improbabilem. Ita Sedis Apostolicæ benignitate abutuntur, quos non incongruè S. Ignatii Martyris satellitibus, sive ut ait " *Leopardis* compares, *quibus cum bene feceris, pejores fiunt.* "

Quartò, de Innocentii XI. Constitutione adversus propositiones Michaëlis Molinos scribentem vidimus Eugenium de Gelder in ultima voce zelatricis innocentiæ pag. 115. " quod Jesuitæ per condemnationem Mo-„linos & prætensæ ejus doctrinæ videantur voluisse eli-„minare illud parum quod restabat supernaturalis ope-„rationis spiritus Dei vivificantis. Quin-

Quintò, De Decreto Alexandri VIII. contra propositiones 31. hæreticas, schismaticas & aliis respectivè censuris proscriptas, Le Prêtre Abbas Frigidæ Vallis in quæstione juris Pontificii an. 1693. pag. 12. " Decretum, „inquit, de quo hic disputatur est obreptitium. pag. 9. „Decretum de quo hic agitur est per se injustum. Pag. „5. est ipso jure nullum. " Autor difficultatum propositarum Domino Steyaert an. 1692. parte 9. pag. 292. " „facillimum fuit post 40. annos procurare condemna- „tionem hujus 31. propositionis ut temerariæ, Bulla „Urbani VIII. in eminenti est subreptitia, & vel hoc „argumentum est, ut dixi, Decretum quod hanc pro- „positionem condemnavit, ut subreptitium esse aman- „dandum. "

Profectò, inquit Venantius, nunquam existimaveram tam multa in hanc sententiam proferri posse. Quod si, Ariovistus reponit, desideres magis generalia, & hæc habeo in hunc commentariolum relata. Epistola Ecclesiastici de mente S. Augustini circa autoritatem Pontificis impressa an. 1687. pag. 1. sic habet " Decreta Ro- „mana plerumque conduntur sine debita cognitione „causæ & per factionem. " Litteræ Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum an. 1691. pag. 30. " cer- „tum est Decreta Civilia magis justa esse quam Decreta „Curiæ Romanæ. " Rursus Autor Epistolæ de autori- „tate S. Augustini pag. 1. " Pontifex in Decretis Ro- „manæ Curiæ modicam aut nullam habet partem: " superaddit Abbas proximè citatus in suis litteris pag. 31. " sat notum esse quàm parum Pontifex comparatus „sit, ut multum ad illa conferat: *Ibid.* maxima pars Car- „dinalium & Theologorum " qui adhibentur ad censurandas propositiones, " nihil intelligit. *Idem pag.* 43. „Censores Romani exiguum habent antiquitatis noti- „tiam, imo sæpè ignorant, quod in Theologis est op- „timum. " Gravius in eos insurgit Autor Epistolæ de mente S. Augustini pag. 29. " plerique Censores „laxis opinionibus addicti sunt & purioris ethicæ adver- „sarii. *Ibid.* laxioris ethicæ & perversæ doctrinæ propug- „natores subsidium & patrocinium inveniunt in Roma-

„nis Tribunalibus, ubi deberent proſcribi & condem-„nari. *Idem pag.* 1. unum Decretum indicis, una feria „V. imo una feria IV. eripit nobis libros optimos & ſaluberrimus. p. 29. optimi libri in maximo periculo ſunt ne „cenſurentur." Autor difficultatum propoſitarum Domino Steyart pag. 9. p. 46." Hoc igitur exemplum invictè „probat eſſe quaſdam librorum prohibitiones quas „noxium foret obſervare:" Superſedeo reliquis, quæ ſi enumerare voluero, oportebit iliadem in nucem includere. Domine Baccalauree, dic mihi, noſtine vel unum præter Eugenium de Gelder nunc vitâ functum, qui talis ſeu Romæ ſeu alibi, ubi conveniri, & caſtigari poteſt, vult apparere, qualis eſt? nunquid omnes in publico, præſertim Romæ, videri ardent Conſtitutionum Apoſtolicarum plurimùm reverentes obſervanteſque? Vides itaque, quod *bonus ille Paſtor*, ut per contemptum eum Hennebellus vocat, non *inverecundâ licentiâ*, ſed firmis manifeſtiſque probationibus nitatur, dum arguit iſtorum Novatorum maximè fraudulentum ſpiritum & alia ſimulantem in publico, alia in occulto ſeminantem.

Sed quidni potius tranſimus, ait Arioviſtus, ad locum illum ubi Hennebellus conqueritur de" Archie-„piſcopo Mechlinienſi *quod* contra Theologos *ſuos* com-„movere nitatur omnes Belgii Epiſcopos, omnes mun-„di Poteſtates, omnes Regulares ſed propriè Patres So-„cietatis JESU?" Baccalaureus reſpondet: ſcio Arioviſte, quorſum iſta evadant. Vis dicere, quòd ille Archipræſul concitetur potiùs ab aliis, nempè à Jeſuitis. Quam propè, inquit Arioviſtus, rem acu tetigeras! Non ego iſtud dico, ſed dicunt Hennebelliani illi Theologi in famoſo Memoriali, quod contra Decreta Regia à duobus annis & medio obtulerunt Statibus Brabantiæ, ubi ita declarant §. 6." Si hi Theologi in caſu præſenti co-„gantur declinare judicium Archiepiſcopi Mechlinien-„ſis, erga quem ſemper conſervabunt ſpiritum reveren-„tiæ & obedientiæ in omnibus, non id facient, niſi „ſummam ſibi vim inferendo, ſed quandoquidem ſum-„mo ſuo luctu videant inimicos ſuos eum quodammo-„do obſidere; ab eo præcipuè audiri & æſtimari &c."

Ibi-

Ibidem deplorant, quod se ita sinat eorumdem consiliis suggestionibusque contra tam sanctos Theologos præveniri & concitari. Alibi apertiùs omnia, quæ Archiepiscopus contra prætensos Jansenistas agit, tribuuntur Jesuitis; hic autem " Archiepiscopus omnes præci-„puè Jesuitas nititur contra illos Theologos commo-„vere. " Secundùm Abbatem Du Manoir Archiepiscopus nimis duci & concitari se sinit à Martino Steyart Doctore & Vicario Apostolico Silvæducensi: huic alii subindè addunt alios; nunc ab Domino Hennebello omnes liberantur invidiâ, quæ in solum Archiepiscopum conjicitur. Vide quàm præclarè hic Hennebellus cum suis Theologis consentiat. Domine Baccalauree, an inter *omnes mundi Potestates* quas ex Hennebelli judicio *Archiepiscopus contra Theologos istos nititur commovere*, non est Turcarum Imperator? Quæ istæc quæstio est? Reponit Baccalaureus. Tum Ariovistus subdit: non legisti, ut conjicio, quæ Gregales tui scripserunt à quinquennio in Monitis Politicis pag. 8. num. 12." Archiepiscopus, „inquiunt, suis & Jesuitarum artibus omnes Potestates, „etiam inimicum communem in suas partes pertraxit."

Baccalaureus captum se videns, hic nil aliud respondit, quàm; Nunquam tibi, Arioviste, deerunt sales, facetiæ aut lepores. At quid dices ad rationes alias quas ad probandam prætensorum Jansenistarum innocentiam atque integritatem subnexuit idem Doctor Hennebellus, & quibus ait nihil cogitari posse convenientius. Primò, inquit, " sanè, suum circa Constitutiones illas" (Pontifitificias ac præcipuè Innocentii X. & Alexandri VII.)" „sensum dissimulasse dici non potest qui semper palam „professus est, se summa cum veneratione amplecti „Brevia Apostolica ad Belgii Episcopos missa" quibus constitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. confirmantur: " atqui quotidiè tam suo, quàm Theologo-„rum, quorum partes agit, nomine palam hæc profi-„tetur Doctor Hennebel coram Sede Apostolica. Se-„cundò, sed & ipsi Belgii Episcopi fateri coguntur, ne-„minem se hactenus in Diœcesibus suis reperisse, qui „non sit paratissimus Formulario Alexandri subscribere

„juxta modum ac normam Brevibus Apoſtolicis præ-„ſcriptam: Tertiò, ſi neque Patri Palazol neque Re-„verendiſſimo Patri Thyrſo hæc ſufficiant, ut noſtram „in præfatas Conſtitutiones obſervantiam teſtemur, jam „ſaltem facere incipiant quod hactenus non fecerunt, „apud Apoſtolicam Sedem agant; coram illa fraudes, „artes, diſſimulationeſque noſtras oſtendant, ego verò „ſpondeo quòd, ſi iis auditis, diſertius aliquid præſcri-„bendum nobis cenſuerit Sedes Apoſtolica, quàm „promptiſſimè obſequemur ita ut non Apoſtolicæ Sedi „tantùm, ſed etiam inſipientibus & ſapientibus ſatisfa-„ciamus: "

Hæc affert Hennebellus, non eo inficias, inquit Arioviſtus. Quid, quod ei ultro concedam eſſe hoc tempore neminem qui publicè interrogatus Brevia ad Belgii Epiſcoposmiſſa non ſuſcipiat, & ubi opus fuerit ſive ad conſequendum beneficium ſive ad amoliendam à ſe fidei non ſanæ ſuſpicionem, non ſit juraturus in Formulare Alexandri VII. verùm putaſne hinc conſequens eſſe ut omnes ſenſum quoad Conſtitutiones Pontificias ſincerè aperiant ſuum? ut omnes earum reverentes ſint atque obſervantes? Cæcus ſit qui ex allatis ſuperius ſpeciminibus non facilè videat contrarium. Atque hæc minima, ut noſti, pars eſt eorum quæ proferri poſſent & quidem ſatis recentia.

Tum Baccalaureus dixit: Martinus du Cheſne in Præfatione ad diſquiſitiones duas" *de gratuita prædeſtinatione & gratia ſe ipsá efficaci* " anno 1697. non modò ſuſcipit Apoſtolica illa Brevia, ſed etiam laudum præconiis effert quantis poteſt maximis. Novi, ait Arioviſtus, & cum eum librum penes ſe haberet, en tibi ipſius textum, inquiebat, quo ibi alloquitur ſupremos fidei Quæſitores. „Quanto, inquit, zelo Eminentiæ Veſtræ allaborent in „illis comprimendis qui Theologos, quorum unum „crimen eſt ſe S. Auguſtini profiteri diſcipulos, & ve-„ræ Chriſti gratiæ vindices, calumniis opprimere, & viis „omnibus perſequi, ducunt Religioni, jam toti pæne „orbi Chriſtiano innotuit ex noviſſimis S. Sedis Decretis „ac Brevibus ad Epiſcopos Belgii & ad Academiam

Lova-

„Lovaniensem. *Tum dicit* ea summo omnium pacem „amantium applausu & gratulatione esse recepta: " Tamen non omne aurum, quod hic micat: etenim quàm idem ille Theologus cum suis revereatur & observet Constitutiones Apostolicas, liquidò constat ex eadem præfatione in qua disertis terminis ita loquitur contra Bullas Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII." obrep- „tionis vitia quæ in Pontificiis quibusdam diplomatibus, „unde Ecclesiæ hostes sua adversus eam arma conflant „occurrere, nemo negare potest, qui ejusmodi disputatio- „num novit historiam: quamdiu enim censuræ in Baium „latæ, quem Catholicum S. Augustini intellectum, circa „proscriptos articulos tradidisse nemo cordatus & in Au- „gustino versatus potest inficiari, ceu legitima absque ul- „la subreptionis nota, ritèque promulgata Ecclesiæ Ro- „manæ judicia habebuntur; tamdiu argumentatione hac, „ut ipsis videtur inexpugnabili, omnes Ecclesiæ vindices „prement: Romana Ecclesia Michaëlis Baii sententiam „reprobavit ac proscripsit..... ergo Ecclesia Romana sen- „sum Michaëlis Baii reprobando Catholicam S. Augusti- „ni doctrinam reprobavit." Contra quam Calvinistarum argumentationem ait rectè processisse eum, qui notas nuper edidit in Baii opera, rejiciendo Bullas illas Pontificias: " Ut hanc, adjungit, calvinianorum argumen- „tationem funditus everteret, is qui Baii opera collegit, „nihil illi fortius, brevius ac tutius visum est, quam „confiteri ac ostendere, quomodo ejusmodi censuræ „non habendæ sint ceu Romanæ Ecclesiæ judicia, cum „falsis suggestionibus aliisque artibus obtentas, nec us- „quam ritè promulgatas fuisse certum testatumque fa- „ciat fides & accurata ejusmodi contentionum narratio: „satius enim existimavit certos confiteri ejusmodi cen- „surarum defectus, quàm illas quamtumvis minus le- „gitimas defendendo, Romanam Ecclesiam blasphemis „hæreticorum conviciis dimittere deturpandam & dila- „cerandam. *Ibidem.* Nonne magis extra omnem pro- „scriptionis aleam positus esse debet, qui ut ipsammet „Ecclesiam vindicet, subreptum confitetur Pontifici qui „in 76. articulos tulit censuram?" Deinde pag. 48. &

 49.

49. Cornelium Janſenium inter præclaros divinæ Gratiæ vindices, ejuſque famoſum opus *Auguſtinus* appellatum & *parallelum* approbat, ac plurimas alias Conſtitutiones Pontificias apertè tranſgreditur. Et is tamen, inquit Venantius, initio præfationis recipit & extollit " Decreta ac Brevia ad Epiſcopos Belgii & ad Academiam „Lovanienſem. " O hypocriſim non ferendam!

Poſthæc Ariovistus obtulit librum Baccalaureo. At illo renuente accipere, accepit Venantius, qui dum librum pervolveret curioſiùs, ſic Arioviſtus proſequebatur. Abbas du Manoir eadem anno 1697. librum ſcripſit cui titulus " Defenſio duorum Brevium Sanctiſſimi „Domini Noſtri Innocentii XII. ad Epiſcopos Belgii. " Poteſtne quis clarius non reverentiam modò, ſed & zelum erga Sedis Apoſtolicæ auctoritatem in ſpeciem oſtendere? Videamus autem quomodo Conſtitutionem Alexandri VII. in Brevibus illis diſertè confirmatam tueatur. pag. 105. " En totum, inquit, myſterium iſtarum „vocum INIQUITATIS FILII " quæ habentur in Conſtitutione Alexandri VII. " Ad ſacram, & quarum tam „frequens & tanta cum oſtentatione uſus eſt, quæque „aliud non probant, quam fuiſſe illo tempore æquè ac „modò enormes calumniatores, & quæſtionis ſtatum „falſis relationibus involutum & ſepultum ſub calumnia, „expoſitum fuiſſe magna cum infidelitate, vel ignoran„tia iis, qui de illo deberent eſſe præ ceteris omnibus in„ſtructiſſimi. " Ibidem alloquens Martinum Steyart Doctorem Lovanienſem & Diœceſeos Silvæducenſis Vicarium Apoſtolicum, " vide, *inquit*, quâ conſcien„tiâ, quo fundamento, quâ cordis diſpoſitione auſus fue„ris ſcribere in Theſi anni 1692., 26. Jul. hæc verba „furoris plena, filii iniquitatis non pridem judicio Alex„andri VII. fuerunt & irrevocabiliter erunt, qui judi„cia S. Sedis circa ſenſum Janſenii non acquieſcent: „proinde dum noti ſunt ad munia nulla Eccleſiaſtica „admitti poſſunt. " Contendit ſcilicet Abbas contra Vicarium Apoſtolicum, imo potiùs contra Alexandrum VII., quod qui univerſam Janſenii doctrinam defendunt, non propterea ſint *filii iniquitatis*, licet Alexander VII. id declararit.

Domi-

Dominus Germain in Defensione Ecclesiæ Romanæ & Summorum Pontificum contra Leydeckerum edita an. 1696. cum approbatione, ut præfertur, Domini Joannis le Beau examinatoris Synodalis Leodiensis, totus est in extollendo & explicando primo Brevi Innocentii XII. ad Belgii Episcopos & pag. quidem 143. explicandum suscipit hanc partem Bullæ Alexandri VII." „quinque illas propositiones ex libro præmemorati Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis cui titulus est Augustinus, excerptas, ac in sensu ob eo Cornelio Jansenio „intento damnatas fuisse definimus & declaramus, & „uti tales, inustâ scilicet eâdem singulis notâ, quæ in „prædicta declaratione & definitione unicuique illarum „sigillatim inuritur, iterum damnamus." Ad hanc partem, quantum attinet ad excerptionem propositionum ex libro Jansenii, & ad damnationes in sensu illic intento, ita cavillatur Dominus Germain hoc loco," quemadmodum hæ non sunt propositiones nisi imperfectæ, „sive non adeò considerantur ut propositiones Pontificis, „quàm ut propositiones quas conceperat ante suum Pontificatum, quando tempore Innocentii X. Romæ passim attribuebantur 5. propositiones Jansenio, quamvis „ejus liber illic non fuerit examinatus, sed solùm fides „habita relationi & extractis quibusdam ejus adversariorum....definitio Pontificis non afficit propositiones illas incidentes." Et pag. 202. supponimus quod ipsi Pontifices in examine facti doctrinalis, " an liber Jansenii contineat propositiones hæreticas, " fuerint decepti, „quod neque Innocentio X. neque Alexandro VII. Pontifici accidit, cum certum sit eos nunquam illud examinasse. *Idem pag.* 76. verum est hunc Pontificem „(*Alexandrum VII.*) addere particulare aliquid circa „Episcopum Iprensem; asserit enim hujus librum, cui „titulus Augustinus, lectum fuisse cum diligentia & maturitate, quamvis non dicat lectum fuisse jussu S. Sedis, vel à quo, neque an à judicibus, an ab adversariis, an à delatoribus, an à personis indifferentibus:" Pag. 448. adoptat illud Pauli Irænæi dicentis " Summum „Pontificem ex Hallerii & Jesuitarum sermonibus du-

„riùs Jansenii mentem interpretatum esse & quasdam „sententias Jansenianas putasse, quæ revera Jansenii non „essent; ideòque in Jansenii quidem sensu propositio„nes damnare voluisse, non tamen revera damnavisse, „quia verus Jansenii sensus longè diversus esset ab eo, „quem tamquam Jansenii sensum proscripserat." Illi, Domine Baccalauree, sunt præcones ac defensores Brevium Innocentii XII., Constitutionum Innocentii X. & Alexandri VII. Illi in has Constitutiones jurare parati sunt, illi in hoc Formulare Alexandri VII. "Ego „N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. datæ die „31. Maii 1653. & Constitutioni Alexandri VII. datæ „16. Octob. 1656. Summorum Pontificum me subjicio, „& 5. propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui no„men Augustinus, excerptas, & in sensu ab eodem Au„tore intento, prout illas per dictas Constitutiones Se„des Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, ac „damno, & ita juro, sic me Deus adjuvet, & hæc sancta „Dei Evangelia." Certè, dicit Venantius, multos in scenam produxisti.

Nondum sunt omnes, Ariovistus reponit. Videamus Jacobum Gilbert, qui Lovanio in Gallias profectus, & inde redux in Belgium, Duaci lectionem Theologicam obtinuit. Hic cum apud nonnullos Jansenismi nomine suspectus esset, de ea suspicione tamquam de summa injustitia non minus graviter, quàm Dominus Hennebellus in hoc scripto, questus palam est, in tract. de Gratia quæst. 109. sect. 2. §. 4. ubi ait, " oportet in „memoriam revocare, quòd antequam adivi possessio„nem dignitatis, ad quam singulari Dei providentià „nullis meis meritis evectus sum, præmiserim profes„sionem à Rege imperatam juxta Formulare contra pro„positiones condemnatas; & quod præterea Formulari „addiderim me propositiones illas condemnare in om„nibus sensibus, quibus per Apostolicæ Sedis Constitu„tiones damnatæ sunt, aut deinceps damnabuntur.

His auditis quærit Baccalaureus: quonam igitur pacto fieri potuit, ut is in suspicionem Jansenissimi venerit? Illud ipsum est, dicit Ariovistus, quod ibidem ille Gilbertus

bertus admiratur, " cum Jansenium, inquit, numquam „viderim. " Id quod de libro quidem ab omnibus intellectum fuit, non tamen sine admiratione, quandoquidem tractatus ejus totus videretur ex Jansenio compositus, sæpè ne vocibus quidem mutatis, sed fortè hic usus fuerit quadam mentis restrictione & subintellexerit Jansenium hominem à se nunquam visum: nam paulo pòst inter ejus libros *Augustinus Jansenii* deprehensus est, & professoris illius tractatus de gratia hanc censuram an. 1687. Jan. 28. subiit à Doctoribus Parisiensibus ad examen istud à Rege deputatis. " Legimus dictos „quaterniones debitâ attentione, & invenimus in illis „doctrinam Jansenii Episcopi Iprensis, Constitutionibus „Innocentii X. & Alexandri VII. ubique receptis dam-„natam, stabiliri non obscurè, leviter aut paucis, sed „apertè ex professo, summo studio, summâ pertinaciâ „non prætermittendo terminos contumeliosos, plenos „amaritudine & Novatorum spiritum redolentes: illic „Pontificum decisiones interpretationibus chimericis „eludi, detorquendo eas in sensum peregrinum & ab eo-„rum mente prorsus alienum: denique istud virus quo „nullum potest esse scholis periculosius, adeò in scriptis „istis ubique occurrere, ut impossibilis foret eorum cor-„rectio, neque contra scandala quæ scripta illa attulerunt, „aliud superesse remedium, quàm claram eorum abjura-„tionem: quare judicavimus tolerari non posse, ut eorum „Autor docere pergat, alioquin perdendam Universita-„tem Duacensem."

Ejus censuræ jam reminiscor, inquit Venantius; neque censurâ dissimili, Episcopus Atrebatensis, qui Duaci ordinarius est, eundem tractatum notavit, & Autorem compulit ad retractationem. Hæc porrò retractatio quam sincera fuerit, colligitur ex paulo pòst secuta ejusdem appellatione, & invectivis contra eundem suum Antistitem & Episcopum, & ex ejus Epistola ad amicum data: " Sanasti, inquit, gratiam Evangelicam Jesu-„Chritti à vulnere, quod ei Alexander VII. Constitu-„tione sua inflixerat & cujus cicatrix nondum satis ob-„ducta est."

dicat

Dicat modò Hennebellus, infit Ariovistus, vel dic tu Domine Baccalauree, numquid valdè seriò & sincerè iste Gilbertus subscripsit Formulari? nullum tamen dubium est, quin subscribere iterum iterumque detrectaturus non sit, & Brevia ad Belgii Episcopos data non minore animi propensione amplectatur quàm tu & Hennebellus, aut quisquam alius toto Belgio. Saltem de Henrico De Swaen Lovaniensi Doctore & Hennebelli fido Achate, cujus procul dubio & præcipuè partes agit, non sinimur dubitare, quin his maximè sincerè subscribere velit Formulario; uti & Gummarus Huygens de quo supra; item quin sincerè subscripserit Joannes Martinus De Hont, atque ita subscripturus sit Carolus De Bont, uterque Lovaniensis Academiæ Licentiatus. Certè, subdit Baccalaureus, omnes illi ad suscipiendum Gradum juxta Universitatis præscriptum jurare debuerunt, "se „5. articulos per Constitutiones Summorum Pontificum „Innocentii X. & Alexandri VII. damnatos damnare, „iisdemque Constitutionibus Religiosam Observantiam „præstare." Atque idipsum etiam Hennebellus animadvertit in his ipsis scriptis, quæ vos nunc ita carpitis & exagitatis, ac si essent annales Volusi.

Habemus tamen, dicit Venantius, testimonia autentica quibus Joannes Martinus De Hont jam Gradu Academico insignitus, perhibetur dixisse *sæpè reipsa in his* Definitionibus errasse Romanos Pontifices. Pænè horret animus, Arioviste, meminisse verba quibus hanc suam mentem declaravit: "Ego, inquiebat, ex mea sede „loquor, sicut Pontifex ex Cathedra; ex 5. propositioni„bus famosis damnatis ab Innocenrio X., & Alexandro „VII., nullam reperire est in libro cui titulus Augusti„nus Jansenii." Quidquamne dici potest impudentius, aut etiam fingi? Mimico sale suam sedem æquiparat Petri Cathedræ ex qua tot funduntur falli nescia oracula. Et hic tamen sincerè subscripsit Formulario. Credite posteri. Sed veniamus ad Carolum De Bont. Ex autentico Doctoris Lovaniensis constat testimonio, quòd ille Carolus vulgaverit fabulam de exhibitis Alexandro VII. quinque propositionibus in una eademque Jansenii

nii

nii pagina, adeòque de Pontifice decepto in condemnatione 5. propositionum, ut excerptarum ex Jansenio & damnatarum in ejusdem sensu. Hoc idem, ait Ariovistus, ausus est in schola publica effutire, ut D. Baccalaureus adhuc potest meminisse: aderat enim, neque illud *Dominus splendidè mentitur* quod tunc De Bont à Doctore Augustiniano P. Clenaerts meruit audire, obliteratur tam facilè. Baccalaureus hic iterum tacere maluit quàm adversus solem loqui.

At Venantio in mentem venit Eximii Gummari Huygens: quî enim fieri poterat aliter, cum tales ac tanti Academiæ Lovaniensis Heròes recenserentur? Dominus Gummarus, inquiebat, quid jam rerum agitat? Certè cum ego adhuc Lovanii degerem, Doctor ille crebrò rogatus fuit, ut saltem sine jurisjurandi Religione, E. C. in Thesi aliqua vel libello fateretur, 5. propositiones libro Jansenii contineri & ibidem sensum habere falsum & condemnatum. Numquam autem ad hujuscemodi confessionem adduci potuit. Neque jam potest, asserit Ariovistus; satis Pontificiis Constitutionibus tribuisse se putat, quando nomen Jansenii reticet, quidquid interim ejus doctrinæ ubique maximè consentiens tradat: *Novi ego*, ait in Thesibus an. 1693. 5. Feb. *quibus displiceat* resuscitari antiquam contentionem de sensu Cornelii Jansenii: " quod me attinet, ob Religiosam Ob-„servantiam, quam illis debeo, firmiter statui ea de cau-„sa Jansenium, (idem dico de Baio) non solùm in his-„ce Thesibus, sed & in nullis aliis ne nominare qui-„dem."

Pace vestra, pergebat Ariovistus, hîc quoquè adjunxerim Dominum De Swaen, qui simili modo sæpè ab abversariis suis pressus, ut agnosceret errores aliquos damnatos contineri in libro Jansenii: respondit in Thesibus an. 1689. mense Octobri defensis, " ad componendam „controversiam de gratia nihil opus est Jansenii ullatenus „meminisse:" ibidem ulteriorem rationem & magis sinceram mox reddit sui de Janseniano sensu silentii; "quis, „ait, non videat periculum imminere non infundatum, „si propositiones famosas condemnarem in sensu ab Autore

„tore intento, ne hinc inferat aliquando (*adverſarius*) „me non meam tantùm, ſed etiam majorum meorum „doctrinam imprudenter damnaſſe." Hic eſt ille locus, interjecit Baccalaureus, quem iſti Doctori toties adverſarii objiciunt, quemque cogimur in tot Theſibus ac libellis legere. Neſcio quid humanum paſſus fuerit vir ille, dum iſta ſcriberet. Vir ille, inquit Ariovistus, hic mentem ſuam aperuit candidè. Atque haud ſcio, an non multo candidiùs, quam alii illi, qui rogati vellentne jurare in Formulare Alexandri VII. prout jacet ſine ulla additione vel explicatione, nolle ſe reſponderunt, paratos tamen eſſe qui jurent juxta ſenſum Brevis Innocentii XII. Hunc autem ſenſum ita interpretantur ut omnem Janſenii & libri ejus doctrinam integram & intactam ſervent. De qua cavillatione edoctus idem Innocentius, ad eandem elidendam juſſit jurari in Formulam Alexandri VII. in ſenſu obvio, quem ipſius Formularii verba per ſe exhibent, neque eſt admittenda hæc additio *juxta mentem Innocentii XII.* cum ab eo neque Formulare, neque Conſtitutio Alexandri VII. in ullo apice mutata ſit vel reformata, ſed in omnibus confirmata & probata. Jam ſaltem, dicit Venantius, capti ſunt ii quibus fixum eſt à ſenſu Janſenii non recedere; omne iis præcluditur effugium; nihil invenitur quo ſeſe extricent. Utinam, Venanti, vera prædices! ſubdit Arioviſtus. Verùm Abbas Du Manoir dicit fruſtra ſuis ſibique prohiberi hanc explicationis additionem, quia ſemper ſubintelligenda eſt, cum plus vice ſimplici proteſtati fuerint ſe hoc ſenſu & non alio juraturos. Sic tota illa Pontificiarum Conſtitutionum admiſſio, exterioris obedientiæ apparatus, omnis ſubſcriptio & juramentum ab ejuſmodi Theologis non refertur niſi eo, ut retineant totam doctrinam Janſenii, abdicato ſolo ſenſu imaginario quem ipſis placet vocare *obvium*, & ut ita omnes contra Janſenium Conſtitutiones atque ipſa Innocentii XII. Brevia, quibus Conſtitutiones illæ confirmantur, fucatâ ſpecie ſubmiſſionis eludant?

Quæ cum Baccalaureus audiret ſtupens, ut ſe recepit; Quid, inquit, cauſæ eſt quod talium Theologorum ad-

adversarii has fraudes non referant ad Sedem Apostolicam? Hoc videtur cupere ipse Hennebellus: nam adversarios suos hortatur, ut si quid amplius ad detegendas tales fraudes necessarium judicaverint, eidem S. Sedi proponant. Tanta est causæ fiducia. Istud Hennebelli consilium, ait Ariovistus, non abjicitur ab adversariis, & ut puto, jam dudum mandatum executioni est. At verò quidnam opportunissimum efficacissimumque futurum sit ad similes fraudes in factis potissimùm consistentes adhuc detegendas clariùs, optimè discuteretur in illa *Juncta* sive Congregatione Hispanica; nec fortasse opus erit Constitutione novâ, sed tantummodo sedulâ executione earum quæ editæ nunc sunt & quæ pertinent ad Regem ejusque Ministros atque in primis Antistites. Quid enim juvat Constitutionum multiplicatio, ubi Pontificum & Congregationum autoritas adeò vilipenditur? plus ne deferent Novatores centesimæ Constitutioni quàm primæ? Non equidem opinor, nisi forte obscuritatis aliquid invenire possint aut fingere in postrema, quod in alienum sensum detorquendo opponant prioribus; quasi illas mitigaret, corrigeret, retractaret in favorem Novaturientium.

Sed si Hennebellus cupiat, dicit Venantius, ut S. Sedi proponatur quidquid ad detegendas fraudes necessarium judicatum fuerit, cur movet omnem lapidem, ut illa *Juncta* impediatur? Videtur profectò metuere ne fraudes nimis apertè detegantur & conveniens deinceps adhibeatur remedium. Si remedium quod in *Juncta* approbabitur, requiret autoritatem Pontificiam, ea interpellabitur: novit enim nullam esse in Ecclesia nationem, absit verbo invidia, reverentem magis & observantem Apostolicæ Cathedræ, quàm Hispanam. Verùm quid in Hennebelli Proœmio immoramur tamdiu? Discutiamus potiùs ejus Responsionem ad Memoriale Patris Palazol. Ad eam discutiendam, inquit Ariovistus, nunc animum adjungerem, si viderem finem parergorum. Ubi Hennebellus habet ulla parerga? rogat indignans Baccalaureus. Parerga habet, si ita appellare lubeat tres illos paragraphos, quos adhuc interjicit de perpetua Lovanien-

vanienſium erga Apoſtolicas Sanctiones ſubmiſſione ;"
„ut, inquit, Lector diſcat, quod Lovanienſes Theo-
„logi ſuum circa has Conſtitutiones ſenſum diſſimulare
„nec poſſint nec velint, utpote qui in Conſtitutionibus
„illis tam recipiendis quàm obſervandis, nullis cujuſ-
„cumque nationis aut ordinis Theologis umquam ceſ-
„ſerint." Narrat quomodo Conſtitutio Innocentii X. eo-
dem, quo edita eſt anno ; " In ſolenni Univerſitatis Con-
„gregatione prælecta & ab omnibus reverenter accepta
fuerit, *quodque* Facultas Theologica ultra *eidem Pontifi-*
„*ci*, obtulerit, neminem ad Gradus Academicos admit-
„tere, qui non juraret Religioſam Obſervantiam præ-
„fatæ Conſtitutionis. " Præterea, quod idem ſponte
rursùs obtulerit Facultas Theologica Alexandro VII.
ac dein reipſa " decreverit ut conſueto graduandorum
„juramento adderetur hæc clauſula, jurabis te quinque
„articulos per Conſtitutiones Summorum Pontificum In-
„nocentii X. & Alexandri VII. damnatos damnare & iiſ-
„dem Conſtitutionibus Religioſam Obſervantiam præ-
„ſtare." Denique demonſtrandum Hennebellus ſuſcipit
quòd neque aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis obſtrepant
eidem Theologi, & tamen, inquit, " eos ſed eâdem
„ſemper fide accuſat Pater Palazol, quod " obſtrepant
Conſtitutionibus Pii V., Gregorii XIII. & Urbani VIII.
verùm ad retundendam accuſationem tam manifeſtè
falſam, ſcire tantum opus eſt, quod ſicut Lovanii gra-
duandi omnes damnare debent 5. propoſitiones jam re-
latas, ita quoque rejicere debeant 79. famoſas damna-
tas in Conſtitutionibus Pii V., Gregorii XIII. & Urba-
ni VIII. Ad hæc Parerga uter veſtrûm reſpondeat?

Baccalaureum autem ſic excepit Arioviſtus; cum hæc
vox *Parergum* tibi, Domine Baccalauree, tantopere diſ-
pliceat, per me licet, non adhibeatur. Itaque reſpon-
ſum ſine Parergis accipe. Inter Lovanienſes Theologos,
quorum multos tales eſſe & ſemper fuiſſe, quales Henne-
bel deſcribit S. Sedi obedientiſſimos, non inficior : omnes
verò tales eſſe & ſemper fuiſſe non probant ea quæ idem
adducit, ſpecimina litterarum, quas Facultas aliquando
ſcripſit S. Sedi Apoſtolicæ, neque quod graduandis præ-
ſcrip-

ſcripſit jusjurandum: nam conſtat res ejuſmodi non ſemper definiri conſenſu animorum, neque ſuſtinent ſubinde aliquid palam opponere etiam illi, qui maximè vellent: quippè coërcentur metu, ne incurrant infamem notam Janſeniſtæ vel refractarii Conſtitutionibus Pontificiis. Deinde à poſteriori patet generales Bullarum receptiones, profeſſiones reverentiæ & obedientiæ non impedire ſemper efficaciter, ne cavillatores aliqui, quod ore profeſſi ſunt, reipſa negent, & Pontificum diplomata cavillationibus reddant inutilia, ac penitus quantum in ipſis eſt, ſubruant atque evertant. Sed ubique ſemper numero plures fuiſſe obedientes, ſive in Facultate Theologica ſive in Univerſitate Lovanienſi compertum eſt ex iis quæ contra Urbani VIII. Bullam Lovanii annis pluribus geſta ſunt, & teſtantur plurima tum ipſius Urbani, tum Innocentii X. Brevia ad Franciſcum De Mello & Archiducem Leopoldum ſucceſſivè Gubernatores Belgii, ad ſingulos Belgii Epiſcopos, ad Academiam Lovanienſem, alioſque tranſmiſſa. Quantum luctæ ante paſſa ſit Bulla Pii V., quàm ſubmiſſionem à Baio ejuſque ſequacibus obtinuerit, teſtatur imprimis audax Epiſtola Baii ad Pium V. & neceſſitas quæ Gregorium XIII. compulit deceſſoris ſui Bullam novâ Conſtitutione firmare, imo & ſuum ex Urbe Concionatorem Franciſcum Toletum mittere cum poteſtate. Quantum Pii V. Conſtitutionibus, & Gregorii VIII. contra Baii articulos tribuerit Janſenius, & tribuant omnes ejus defenſores, docet nos Bulla Urbani VIII. *In eminenti*, ubi declaratur multas ex propoſitionibus damnatis à Pio V. & Gregorio XIII. Urbani olim " prædeceſſoribus contineri, & magno cum Catholicorum ſcandalo & autoritatis dictæ Sedis contemptu contra præfatas damnationes & prohibitiones defendi. Quot nuperrimè libri Janſeniani & Bajani palam venditi ſunt! & Baii quidem opera cum notis & vindiciis, quibus vniverſa Baii doctrina contra Bullas Pontificias ſtudio & aperto marte propugnatur, ubi pluſquam à ſeculo eam Autor ipſe publicè & voce & ſcripto retractavit, ac faſſus eſt damnatam eſſe in *pluribus propoſitionibus*. De librorum

rum istorum autoribus alio tempore videbimus. Nunc tantùm aio, quòd Eminentissimus Cardinalis de Aguirre in Defensione Cathedræ S. Petri totam disputationem 21. consumat ostendendo 5. propositiones à Jansenio traditas fuisse, ab aliis autem plurimis Belgis, præcipuè Lovaniensibus post condemnationem resuscitatas atque defensas.

Ubi Venantius Cardinalem De Aguirre nominari audiverat; multum, inquit, soleo isti Cardinali tribuere. En, quod citasti opus vel hic ruri habeo. Ariovistus codicem statim arripuit, & ut eum sæpe numero legendo triverat, cœpit digito commonstrare dictæ disputationis & sectiones & numeros, ubi similes propositiones referuntur. Ecce, inquiebat, sect. 1. num. 4. postquam Cardinalis primam propositionem hæreticam ostendit in Jansenio; subnectit " videamus nunc, an eandem pro-„positionem tradant & in eodem sensu novi Augustiniani „Belgæ, præsertim Lovanienses." Tum prolatis multis Lovaniensium propositionibus cum autorum nominibus, notato accuratè loco & tempore quo eas sustinuerunt, ita subsumit Cardinalis; " in quonam, quæso, hi „autores recedunt ab illa propositione Jansenii damna-„ta, aut quod ovum alteri ovo similius quàm Theses ipsorum & doctrina Jansenii?" Sectioni sequenti hunc præfigit Eminentissimus titulum; id" quod demonstra-„tur quoad 2 propositionem Jansenii pariter instauratam „à plerisque Lovaniensium:" & in corpore sectionis postquam retulit ingentem propositionum seriem expressis Lovaniensium autorum nominibus, paginâ, Thesibus & tempore defensionis, sic concludit: " Hæc & si-„milia ii & plerique eorum valdè recenter, ac pluribus „annis post diploma Innocentii X. & Alexandri VII." Idem sequentibus tribus sectionibus pronuntiat de tribus aliis Jansenii propositionibus velut traditis à Belgis & Lovaniensibus multis, etiam post condemnationem. Illa omnia suis oculis ipsemet legere voluit Baccalaureus. Et ubi hanc lectionem absolverat, jamne vides, inquiebat Ariovistus, non esse meras istas suspiciones ex incerto & fallaci rumore exortas, sed ex ipsis Auto-

rum

rum Thesibus & verbis depromptas assertiones.

Deindè petebat Ariovistus à Baccalaureo, ut perlustraret ejusdem libri disputationem 20. ubi idem doctissimus Cardinalis fusè recitat solidissimèque confutat Belgarum & nominatim Lovaniensium cavillationes contra Bullas Pii V., Gregorii XIII., & Urbani VIII. quibus propositiones 79. damnatæ sunt; & ubi clarissimè ostendit, quod si cavillationes istæ subsisterent, omnis Constitutionum istarum vis, omnis utilitas subverteretur. Ac tandem sic concludebat: quid itaque, mi Baccalauree, ex eo conficis, quod Lovanienses omnes graduandi profiteantur se admittere & religiosè observaturos Bullas omnes supra memoratas?

Ad hæc siluit iterum Baccalaureus; at Venantius dixit: mihi quidem videtur nihil aliud ex eo posse confici, quam quod professio ista multis Lovaniensibus sit *Negotium ambulans in tenebris*, vel ab aliis habeatur quasi inanis ceremonia, vel sit insignis simulatio, & mala fides, vel saltem ignorantia valdè crassa, si non & affectata, dum non intelligunt, vel nolunt videri intelligere, quid ejusmodi professio significet. Non ergo " Re„verendo Patri Palazol opus fuit inverecundâ accusan„di licentiâ, " ut à Rege supplex peteret *Junctam*, in qua consultaretur de mediis exequendi, & in perpetuum stabiliendi in Belgio Constitutiones Apostolicas, quæ hactenus quorundam subdolis, ne quid gravius dicam, molitionibus suffodiuntur.

Cum hæc multaque id genus alia Venantius acutè disputaret, Baccalaureus qui imperaverat ipsemet sibi non adversari ullis Lovaniensibus, volvebat Hennebelli Prooemium, & incidit in illum locum, ubi Hennebellus ut probet suos Theologos Sedi Apostolicæ exhibere omnem reverentiam obedientiamque, refert testimonium Alexandri VII. in Brevi dato ad Facultatem Theologicam Lovaniensem an. 1660. 7. Augusti. " „Litteras, *inquit Pontifex*, die 20. Martii datas accepi„mus, & in eo sane, quod 5. propositiones illas tam in "Constitutione felicis recordationis Innocentii X. præde„cessoris nostri, quam in alia nostra postea damna-

„tas, tantopere deteſtemini, ut neminem admittere ad „Gradus Academicos velitis, niſi prius Religioſam Ob„ſervantiam prædictarum Conſtitutionum promittat & „juret, obedientiam veſtram & zelum unicè commen„damus. ”

Ut ea verba vidit Baccalaureus, exiluit, atque Venantio & Arioviſto triumphantis in morem ea prælegit, ratus hîc utrique crucem figi. At verò uterque erat magis lynceus, quam ut non videret ea Pontificis verba ab Hennebello truncata proferri. Prior itaque Arioviſtus ait: hic ſeſe prodit iterum mala Hennebelli fides: non enim Pontificis orationem reddidit integram, ſed avulſit eam partem quæ obedientiam non tam univerſalem, perpetuam,& conſtantem fuiſſe indicat, atque ad meliora deinceps hortatur, quique præcipuus eſt Brevis iſtius finis a ſcopus. Interea Venantius Breve Pontificium conſuluerat, & inquiebat: Ita eſt, ut dicit Arioviſtus; quia ſic proſequitur Pontifex," atque adeò ſperamus vos non ſolum „egregiè perſanctèque impleturos, verum etiam omni„bus aliis in hanc S. Sedem obſervantiæ & obedientiæ „documentis effecturos, ut omni rerum præteritarum „ex hominum animis evulſa & penitus aboleta memo„ria, priſtinum decus exiſtimationi & laudi antiquæ ve„ſtræ reſtituatur."Hoccine, Domine Baccalauree, teſtari eſt quod Lovanienſis Academia ſemper & conſtanter exhibuerit S. Sedi omnem obſervantiam & obedientiam?

Tum dicebat Arioviſtus; nunc tandem pervenimus ad Hennebelli reſponſionem. Hanc potius, ait Venantius, examinare incipiemus poſtea: jam enim tempus eſt reficiendi corpora tam diutinis diſputationibus fatigata, & Arioviſtum unà cum Venantio peramicè epulo excepit.

DISSERTATIO III.

De occaſione & neceſſitate Memorialis.

POſtquam, ſublatâ menſâ, aliquamdiu ambulatum eſſet in horto; reditum eſt ad concertationes, à quibus

bus libentiùs abfuiffet Baccalaureus, fi abfque offenfa potuiffet. Ergo prior iterum fic exorfus eft Venantius recitans hæc verba Doctoris Hennebelli: " bonus ille Pa-
„ter lucem odit, timetque ne manifeftæ ejus impofturæ
„detegantur: fi veritatem amaret, non Regem, non au-
„lam Madritenfem adiret, non illic Belgii Theologos
„accufaret, ubi neminem habent, qui eorum caufam
„agat; fed adiret Apoftolicam Sedem, ad quam ipfa
„Catholica Sua Majeftas caufam remifit. Si quid diffi-
„mulant Theologi, quos accufat, eorum artificia Ro-
„mæ exponat, maximè cum Theologi illi coram Apo-
„ftolica Sede profiteantur fefe paratiffimos effe ad dan-
„dam omnem doctrinæ fuæ expofitionem quæ defide-
„rari poffet."

Quæ ubi legerat, miror, inquiebat, ea Hennebellum fcribere potuiffe. Miror & ego, reponit Arioviftus: non enim is lucem odiffe dicendus eft, qui nihil clam infinuat, quod non amet publicè toti orbi innotefcere, qui quidquid affirmat, ipfi Regi totique aulæ Regiæ exponit non modò verbis, fed etiam fcriptis & impreffis exemplaribus; neque id tacito, mutato, vel ficto nomine. Sed fuo fuique Generalis clariffimè expreffo in ipfo operis aditu. Si, Domine Baccalauree, inquit Venantius, Ariovifto non credas, tuis oculis crede. En tibi ipfum Memoriale, & lege ejus initium quod fic fonat: " Joannes de Pa-
„lazol, Sacerdos profeffus Societatis Jesu, &c." Qua igitur fronte afferit Hennebellus, quod *ille Pater lucem oderit*? Præterea, addebat Arioviftus, Memoriale fuum Romam celari noluit, qui non ignorabat ex tot Memorialibus impreffis aliquot Romam mittenda, tum ad Hennebellum ab ejus Madriti fautoribus tum ad Romanam Curiam ab aliis qui fuos Romæ habent, & præcipuè qui talia facere debent ratione fui muneris. Denique tantum abeft, ut P. Palazol voluerit fcriptum fuum latere Romanis, ut illud Italicè vertendum ipfemet petierit ad Romanæ Curiæ informationem. Atque hæc verfio typis edi cœpit, antequam de refponfione Hennebelli quidquam refciretur.

Imo ego, fubdit Venantius, ab homine fide digno

audivi Patrem Palazol ſui Memorialis exemplaria dediſſe Nuntio Apoſtolico ut Romam mitteret. Miſit quoque in Belgium ad Sereniſſimum Electorem & præcipuos Miniſtros. Et quidni miſiſſet? Arioviſtus inquit. quid eſt, cur eum ſui operis pudeat? non agit *impoſturis*, nec ullam Hennebellus uſque adhuc *detexit*. Deciſiones dogmaticas à Sede Apoſtolica petit, executionem autem à Rege & aliis quorum intereſt.

Tum ait Baccalaureus; ſcitum eſt profectò Belgii Theologos accuſare Madriti, ubi habent neminem qui ſuam cauſam agat. Hoc ab Hennebello miſerabiliter deplorari jam audivimus, reponit Venantius. Sed cur neminem Madriti conſtituunt? Quamquam & ibi iis pridem fuiſſe & eſſe etiamnum complures Agentes,qui non titulo quidem & autoritate publica,ſed reipſa circumcurſant aulas Principum, & terunt Miniſtrorum limina, ſatis Madriti notum eſt, dum ex Religioſis omnibus aut aliis, qui contra eos pedem moveat, vix ſubinde unus ſit vel alter. Porrò artificia, de quibus Doctor Hennebellus præcipuè queritur, non Romæ detegi poſſunt, non Madriti, verum in Belgio, idque autoritate & poteſtate Regia. Non enim Pontificis Internuntius in Belgio habet juriſdictionem, ut homines, ſeculares præſertim & in dignitate conſtitutos, cogat ad prodendos pernicioſoſorum librorum diſtributores, non habet ut luſtret officinas Bibliopolarum, ſcrutetur typographias aliaſque bibliothecas.

Iſtam autoritatem, inquit Baccalaureus, ſaltem habent Epiſcopi. Habent quidem, reſpondet Venantius; ſed nec illi, quoad hoc pluraque alia, poſſunt autoritatem ſuam exercere propter graviſſimas moleſtias ac difficultates. Et ut mittam alia, non poteſt Internuntius reos caſtigare, quemadmodum merentur & ad Statum Religionemque conducit. Poſtremò dum Novatorum fraudes immodicique exceſſus exponuntur Romæ, ut ſæpè expoſiti ſunt ab Epiſcopis, aliiſque etiam Academicis Lovanienſibus, & variorum Ordinum Religioſis atque inter hos Societatis; reſpondetur Ordinariorum eſſe ut ſuam exerceant poteſtatem. At verò cum hæc

hæc poteſtas per Novatorum audaciam, & quorumdam potentiorum patrocinium oppreſſa jam & conculcata jaceat, implorandum eſt Regis auxilium, quod omni tempore in Eccleſia, urgente ſimili neceſſitatis telo, implorari conſuevit. Sed nihil neceſſum eſt, ait Arioviſtus, in his quæ clara ſunt tam multum & operæ & temporis ponere, quare maturemus audire alia, quæ Hennebellus objicit.

Tum Venantius ex Hennebello recitavit ſequentia."
„At inquit, P. Palazol, num. 9. nullâ definitione Apoſtolicâ opus eſt, ſed tantum informanda eſt Sua Majeſtas circa quæſtionem facti, an nempè doctrinæ Janſenianæ ab Apoſtolica Sede toties condemnatæ actualiter in Flandria ſuſtineantur, ſpretis Eccleſiæ definitionibus. Si nulla definitione Apoſtolica opus ſit, „non debuit Doctor Steyaert mittere in Urbem articulos 52. non debuit in Synopſi ſua dicere, quod magnopere interſit Academiæ Lovanienſis, & Eccleſiæ Belgicæ, ut præfata accuſatio ad finem modis omnibus „& mediis perducatur. Non debuerunt Mechlinienſis „Archiepiſcopus, ejuſque Deputatus P. Deſirant ex Ordine Eremitarum S. Auguſtini tantam propoſitionum „farraginem corradere, ac ſuper iis Apoſtolicæ Sedis definitionem poſtulare: non debuit ſub finem anni 1696. „ibidem Deputatus ex Urbe diſcedens S. Congregationi S. Officii ſupplicare, ut tantiſper examine propoſitionum de doctrina morali & adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ ſuperſederet, donec in Belgium redux novas informationes novaque documenta mitteret, quæ quidem in hanc uſque horam, etſi à Domino Internuntio interpellatus, non miſit, ſic non veritus illudere S. Congregationi, cum interim Archiepiſcopus Mechlinienſis ejuſque adhærentes, tum Matriti apud Regios Miniſtros tum in Belgio ſcriptis editis de Romanorum in terminandis hiſce controverſiis „tarditate quererentur."

Quid hocce monſtri eſt? Dicit Arioviſtus. Ille Doctor videtur in media luce cæcutire: Quis enim eſt, qui non perſpiciat ſimul optimè conſiſtere, quod & Ponti-

ficia autoritas requiratur pro decidendis quæstionibus dogmaticis & *nullâ* opus sit *definitione Apostolicâ* pro dirimenda quæstione facti? Ad hanc facti quæstionem examinandam potest sufficere *Juncta* illa seu ille Ministrorum ac Theologorum cœtus, qui in hunc finem à Rege cogeretur. Non enim Apostolica definitione opus est, ut judicetur, an libri illi noxii sint, eorum autores investigandi, severè puniendi, qui Constitutiones Pii V., Gregorii XIII., Urbani VIII., Innocentii X., Alexandri VII, apertè dicunt esse subreptitias injustas, nullius roboris &c.

Ita se res habet, infit Venantius. At verò quando Hennebellus dicit "Deputatum ex Urbe discedentem, Congregationi S. Officii supplicasse, &c. non solummodo videtur media in luce cæcutire, sed multo magis fraudulenter agere. Cur enim non addit vel exprimit, cujus deputatus ille fuerit? Quatuor lineis ante vocabat P. Desirantium *Deputatum ejus*, nempè Archiepiscopi Mechliniensis, nunc iterum ejusdem Archiepiscopi injectâ mentione vocat desirantium *Deputatum*; sed omittit *ejus*: quia sciebat deputationem ab Archiepiscopo duobus antè annis quàm Desirantius ex Urbe discederet, fuisse revocatam: nec tamen ullo verbo id indicare voluit, sed simpliciter rursus *Deputatum* vocavit, subintelligendo aliorum, ne & de falsitate convinci posset, & tamen omnes falleret, efficeretque ut non dubitarent, quin *Deputatum* in eadem prorsus significatione acciperet, qua acceperat quatuor lineis ante. Atque hoc Hennebello necessarium fuit, ut Archiepiscopum de contradictione & mala fide argueret, quasi per Deputatum suum Romæ " Congregationi S. Officii sup„plicaret ut tantisper examine propositionum de doctri„na morali & administratione Sacramenti Pœnitentiæ su„persederet." dum interea Madriti & in Belgio queritur, ut quidem ait " de Romanorum in terminandis „hisce controversiis tarditate." Dico ego P. Desirantium nullam ab Archiepiscopo sive generalem sive particularem commissionem habuisse ad petendam examinis istius suspensionem, imo neque de petitione ista quid-

quam

quam eum scivisse, nisi postquam Desirantius in Belgium reversus est. Sed de hac tarditate querantur etiam illi qui Archiepiscopo adhærent, & quidem *querantur scriptis editis*, certè nos ea hactenus non vidimus. & fortè nec vidit D. Hennebel, aut quisquam alius, & si Doctor Hennebel vidisset, querelarum verba proferre neutiquam prætermisisset, sicut solitus est prætermittere nihil, unde adversariis suis quibuscumque invidiam creare valeat, quamquam plerumque dicta augendo, vel truncando, vel aliter mutando injustissimè.

Hîc solerter quidpiam Ariovistus animadvertit. Demus, inquiebat, quod revera de tarditate *conquerantur scriptis editis*. Vel ex hac ipsa querimonia certò conjici potest eos nolle impedire aut suspendere examen. Norunt enimvero nullum à se *scriptum edendum*, quin factionis curâ ac solicitudine continuò mittendum sit Romam ad Hennebellum, qui usurus illo strenuè est, & exhibiturus omnibus Cardinalibus ac Ministris S. Officii non sine notis odiosissimis, ut omnes ad indignationem contra Autores & eorum amicos concitet atque commoveat. Neque quantum quidem ex Hennebelli verbis colligitur, Desirantius supplicavit, ut examen circa omnia suspenderetur; etenim ad illud examen revocantur centenæ propositiones, aliam materiam, quàm administrationem Sacramenti Pœnitentiæ complectentes, quarum Illustrissimus Archiepiscopus cum Jesuitis & aliis Religiosis pænè omnibus ardentissime censuram exoptat, quo citiorem, eo futuram gratiorem.

Pulcra, inquit Venantius, & Ariovisto digna animadversio! Patere me etiam pauca pro Desirantio dicere. Præter publicas lectiones quas habet, non defuerunt illi multæ aliæ magni momenti occupationes, ob quas commodè non potuit citiùs fidem liberare suam. Et jam menses abiêre aliquot, cum in Belgio visum fuit scriptum sub titulo *Querela populi Belgici*, quod Desirantio tribuitur, & est de materia S. Congregationi ab eo promissa. Est ut dicis, inquit Ariovistus; sed cur nos Desirantius tantopere solicitat? *Non tali auxilio, nec defensoribus istis* eget Desiderantius. Poterit ipse eam accusa-

cusationem pluribus diluere. Ætatem habet, habet & doctrinam, novitque optimè quid S. Congregationi promiserit. Interea pergamus audire adversarium.

Nihil cunctatus Venantius hæc legit "Tandem repe-„tat hoc loco P. Palazol quod dicit num 34. Theolo-„gos quos exagitat, omnia commovere & vehementis-„sime instare, ut debita Brevi Apostolico die 6. Feb. „1694. ad Belgii Episcopos misso observantia præstetur. „Hinc luce meridianâ clarius constat, Ecclesiæ defini-„tiones hoc Brevi tam luculentè comprobatas in Bel-„gio non sperni, doctrinas Jansenianas ab Apostolica „Sede toties & iterum specialiter illo Brevi condemna-„tas ibidem non sustineri, nec aliam ob causam tan-„tos in Belgio superesse motus,quàm quod præfatum Bre-„ve, ipsamque Academiam Lovaniensem P. Palazol cum „suis gregalibus per fas & nefas exautorare & evertere co-„nentur Libenter equidem fateor Apostolicæ Sedi frustra „supplicari, ut in Formularii negotio quidquam ultra de-„terminet, cum binis Brevibus abunde jam declaraverit, „frustra aliam decisionem in hoc negotio ab ea expectari."

His Ariovistus illico subjunxit; Tandem addat D. Hennebel, quæ in textu & eodem loco habentur, & videbit se tenebras *lucem* vocasse. Sic (habebat autem Memoriale in manu) loquitur P. Palazol; " Eadem hæc „Janseniana factio, quæ tantos hodie clamores excitat, „pro debita hujus Apostolici Brevis observantia, quia „putat parti suæ utcumque favere, quamvis revera nul-„lo modo ipsi faveat, ut postea videbimus, ii inquam „homines iidem ipsi sunt, qui tam sæpè & tam mani-„festè ab initio suæ sectæ omnem reverentiam exuerunt, „& exuunt quotidie, ut mox ostendetur, erga tot De-„creta Summorum Pontificum Pii V., Gregorii XIII., „Urbani VIII., Innocentii X., Alexandri VII., & Alex-„andri VIII." Quæ enim illa consecutionis species est? Quæ umbra? *Janseniana factio* tot clamores excitat pro debita observantia Brevis Apostolici, non prout illud revera in se est, sed prout pravis istorum hominum interpretationibus detorquetur in sensum à Pontificis mente verborumque contextu alienum; ". Ergo hinc luce

meri-

„meridianâ clarius constat, Ecclesiæ definitiones hoc „Brevi luculentè confirmatas in Belgio non sperni &c." Nihilo magis tenet, quod ex eodem antecedente Patris Palazol sed mala fide truncato Hennebellus cogit;" „Quasi hinc constet..... nec aliam ob causam tantos in „Belgio supeesse motus, quàm quod præfatum Breve „ipsamque Academiam Lovaniensem Pater Palazol cum „suis Gregalibus per fas & nefas exautorare & evertere „conentur.

Nosti, D. Baccalauree, pergebat Ariovistus, in Brevi isto non aliarum Constitutionum mentionem fieri, quàm Innocentii X., & Alexandri VII.; multo autem plures Constitutiones à nova factione contemni, & libellis infamibus apertè minimeque occultè oppugnari; neque uspiam magis, quam in Belgio. Quis verò dixerit eos velle exautorare Breve Apostolicum qui idem Breve per omnia probant, laudant, extollunt, ut *sanctissimum & justissimum* ut num. 8. illud probat, laudat & extollit P. Palazol? Quomodo exautorare volunt Breve qui dum pro Regiis Decretis tamquam pro aris & focis pugnant, hinc probant illa esse *maximè justa quia Decretis Apostolicis* seu Brevibus, de quibus illic sermo est, *sunt prorsus conformia*? Hanc probationem adhibet P. Palazol eodem num. 8. quem potestis inspicere, si collibitum fuerit.

Nihil istud necesse est, inquit Venantius, quia hac in re mihi fecisti satis, imo & Hennebello, ut ego quidem autumo. At non mihi, ait Baccalaureus quia P. Palazol *hic exautorare* nititur almam meam Matrem *Academiam Lovaniensem.* Tum Ariovistus; Hennebellus id ipsum Patri Palazol objicit, sed quomodo hoc ex ejus antecedente elicere potuerit, ego nescio. Illi potius videntur exautorare Academiam Lovaniensem, qui tot infames libros contra Constitutiones Apostolicas, contra ipsos Pontifices, contra Cardinales, & Episcopos Lovanii ex toto Belgio divulgant, qui suspectos ad lectiones publicas, & Seminariorum Collegiorumque præfecturas promotos cupiunt, qui inter Lovanienses Academicos palam audent insurgere in Decreta Regia de non promovendis Jansenistis & suspectis illique sectæ adhærentibus. Item illi potius

Aca-

Academici *exautorant* Academiam; qui se omnibus Belgii Episcopis piissimisque eorum pro Religione studiis ac conatibus palam opponunt.

Sed quinam sunt, inquit Baccalaureus, isti Academici, quos hic insimulas? Ariovistus respondit: ex omnibus S. Theologiæ Doctoribus D. Gummarus Huygens & D. Joannes Libertus Hennebel in publicis & perquam audacibus Memorialibus Decreta Regia impugnare ausi sunt. Si Lovaniensis Academia, dicit Baccalaureus, id abs te dictum audiret, pœnas quantas exigeret! Iterum Ariovistus reposuit: id Academia curat scilicet. E contrario famâ & auditione accepi binas litteras gravissimis contra utrumque Doctorem refertas querelis missas esse Romam vel proximè mittendas, & à Doctoribus Academicis quidem scriptas, nullo homine Societatis conscio, licet deinde à Societatis Professoribus, uti & à majori parte Theologicæ Facultatis, & ferè ab omnibus qui Lovanii sunt Theologiæ Professoribus tum secularibus, tum regularibus dicantur subsignatæ. Undè si Rex, Dominis Huygens & Hennebel in tam insolentis facinoris pœnam Lovanio interdiceret, non propterea Lovaniensis Academia exautorandam se putaret. Sic neque Sorbona *exautorata* fuit *exautorato* ab ipsa & ex Gallia profugere coacto Antonio Arnaldo, quem pars Hennebelliana in Belgio ut alterum Athanasium amplexa est, hospitio excepit, fovit ad mortem usque, & honoribus cumulavit.

De Arnaldo loquendi dabitur & locus & tempus, infit Venantius. Permitte modò, Arioviste, ut eundem Hennebelli textum aliqua ex parte relegam. His dictis relégit ea verba quibus Doctor ille indicavit " non aliam „ob causam tantos in Belgio superesse motus, quam „quod præfatum Breve, ipsamque Academiam Lova-„niensem P. Palazol cum suis Gregalibus per fas & ne-„fas exautorare & evertere conetur. " Et mox idem Venantius subnectebat; hoc loco ego in D. Hennebello non tantum fidem bonam, verùm etiam memoriam desidero. Hic P. Palazol cum suis Gregalibus est omnium turbarum Autor ob causam quam nunc audivimus.

mus. In Procemio autem omnium turbarum Autor erat " Mechlinienſis Archiepiſcopus qui contra eos „(Theologos quorum cauſam agit D. Hennebel) commovere nititur omnes Belgii Epiſcopos, omnes mun„di Poteſtates ſed præcipuè Patres Societatis Jesu. " ut ergo conſequenter loqueretur, oportuiſſet Patri Palazol præponere Archiepiſcopum Mechlinienſem, niſi hunc tanto dignum honore non cenſeat, ſed ſatis eſſe debeat quod ille Archipræſul intelligatur inter *Gregales P. Palazol*: ſic Hennebellus ſuum Superiorem, Antiſtitem & Primatem veneratur. Hæc eſt ejus modeſtia, hæc moderatio, hæc ethica ſeverior? Si omnes, qui contra Hennebellum ejuſque factionem agunt, ſint " Gregales P. Palazol & co„nantur exautorare & evertere per fas & nefas *præfatum* „Breve ipſamque Academiam Lovanienſem; " neceſſe eſt omnes Belgii Epiſcopi, plerique Academici Theologiæ Doctores & Profeſſores, ferè omnes qui Lovanii degunt, ſint *Gregales P. Palazol* & conentur exautorare ac evertere Academiam Lovanienſem, quia Hennebello ejuſque factioni, ut ſupra dictum eſt, apertè adverſantur, & quidem Epiſcopi ac Doctores Academici multo ferventiùs quàm Jeſuitæ.

Mihi non eſt animus, ait Baccalaureus, refellere omnia quæ per conſecutionum circuitus & anfractus ex Hennebelliano textu eruitis. Ut ut eſt, ſaltem verus eſt Hennebellus, ubi ait " Apoſtolicæ Sedi fruſtra ſuppli„cari, ut in Formularii negotio quidquam ultra deter„minet. " Aſſerebat Arioviſtus jam nunc ad hoc reſponſum eſſe in diſſertatione prima. At verò adjungebat; cum tu, Domine Baccalauree, illi Diſſertationi non interfueris, non gravabor pauca repetere. Ex eo quod Sedes Apoſtolica aliquid abundè jam declararit, non ſequitur fruſtra aliam deciſionem in tali negotio exſpectari. Neque congruè talis declaratio dari poſſet, cum Sedes Apoſtolica non poſſit tamquam de ſpecula certò proſpicere, quæ deinceps à *filiis iniquitatis* cavillationes excogitandæ ſint, & quantum eæ valituræ; etiamſi cum Pontifex Brevia ſua daret, non judicaverit ulteriori tunc opus eſſe declaratione; non ſequitur eum judi-

judicasse quod neque à se neque à suis successoribus crescente cavillatorum pervicaciâ & semper novi aliquid parturiente, nova quoque decisio congruè proditura sit priores confirmans & magis explicans; non quia illæ satis claritatis in se & efficaciæ non habent ad dissipandas omnes cavillationum tenebras, & medendum malis: sed quia nihil tam clarum est, cui Novatorum ingenia non soleant tenebras novas novamque caliginem offundere vel affingere, nihil tam efficax, quod vel infringere vel illudere non machinentur, ut patet vel in negotio Baii vel Jansenii. Non credo Sanctissimum Dominum adhuc legisse " defensionem Ecclesiæ Romanæ „& summorum Pontificum Autore D. Germain contra „Leydeckerum, neque Adumbratam Ecclesiæ Romanæ defensionem Autore Ignatio Eykeboom contra eundem Leydeckerum, neque defensionem duorum Brevium Autore Abbate Du Manoir, neque Panegyrim „Jansenianam cum Prologo Galeato Pauli Aurelii" quorum scripta si subsistant, evidens est, quod quidquid centum & triginta annorum spatio contra Baii & Jansenii doctrinam Ecclesia tam operosis examinibus, tot gravissimis Constitutionibus, Decretis ac Brevibùs molita est, aliud non fecerit, quam aërem verberare, tot anathematibus ferire merum phanthasma, & de omnibus Constitutionibus triumphare libros Baii & Jansenii, horum doctrinam, quanta quanta est, Catholicam esse & sanam. Velim hic mihi Hennebellus respondeat, an suppositâ veritate antecedentis conclusio non foret manifesta. Noli, inquit Venantius, expectare, ut tibi categoricè respondeat, quia nondum tempus est loquendi tam apertè. Aliqui tamen è nostris, reponit Baccalaureus, jam tempus loquendi esse affirmant idque præ se fert titulus Panegyris Jansenianæ.

Nobis certè tempus est revertendi ad textum Hennebelli, ait Venantius, simulque cœpit legere sequentia;" „Sane hoc unum ejus (Patris Palazol) Memoriale sufficere videtur ad fidem faciendam orbi universo quàm „turpiter Catholicæ suæ Majestati & aulæ Madritensi imposuerit pars nobis adversa, quibusque fraudibus priora

„ra Decreta extorserit, quibus evertere conata fuit, quid-
„quid ad tuendam innocentiam nostram & restituen-
„dam Academiæ Lovaniensi pacem Apostolica Sedes
„sancivit. Dum hæc persuasa fuerint Catholicæ Suæ Ma-
„jestati ejusque primariis Ministris, ut persuaderi jam
„cœpit ab Apostolica Sede, habent quod timeant ini-
„qui calumniatores, qui tot mendacia in aula Madri-
„tensi sparserunt, quibus mediantibus Decreta sibi tam
„grata extorseruut: non habet quod timeat Doctor Hen-
„nebel, qui causæ suæ veritate tutus, coram legitimo
„Tribunali defendit, non accusans Regia Decreta, sed
„eos qui Regem sinistrè informarunt." Siste, dicit Bac-
calaureus. Quæ nunc tua est de illa Hennebelli oratio-
ne opinio?

Respondit Venantius; hactenus nec *mendacium*, nec *imposturam*, nec *fraudem* vel unam eorum, qui Decreta Regia obtinuerunt, Hennebellus detexit. Ipse autem est, qui hic turpiter imponit & calumniatur. Primò, calumniatur omnes Belgii Episcopos, quorum sinceræ informationes Decreta illa obtinuerunt. Deinde calumniatur tot præstantissimos Ministros ac præcipuos Monarchiæ Principes, qui Regi sunt à consilio status, & post diligentem discussionem ac maturam deliberationem tale consilium sapientissimo Regiæ Majestatis judicio expendendum suggesserunt. Tertiò denique calumniatur & gravissimè lædit ipsam legitimi sui Principis Catholici ac Piissimi Regis Majestatem quæ talia Decreta edidit. Cum verò Hennebellus temerè & falsò dicat mandata Regia per mendacia extorta esse, vide D. Baccalauree, quomodo ab aperto mendacio excusetur, dum ait se non "accusasse Regia Decreta, sed eos qui Re-
„gem sinistrè informarunt." Meminit Hennebellus quæ posuerit in famoso suo Memoriali contra Decreta Regia oblato Sedi Apostolicæ sub initium anni 1696., & si oblitus fuisset, vidit refricatam sibi memoriam à Patre Palazol num. 20., 21., & 22.

Audiamus, inquit Ariovistus, verba Hennebelli. Ea porrò quam promptissimè Venantius recitavit. Hæc sunt, inquiebat; "postquam ausi sunt similia divulgare, ve-

hemens

„hemens dubitandi ratio est, Beatissime Pater, an non „iidem illi fuerint, qui per calumniam adeò atrocem „& alia falsa supposita tantum effecerunt in Madritensi „Curia ut Sua Majestas Catholica non modò non mi- „serit in Belgium mandata pro observatione Brevis Apo- „stolici, sed potius decreverit nuper contrarium." paulo post vocat, " Decretum alienum ab insigni Regis pie- „tate & adeò contrarium reverentiæ & obedientiæ quæ „Sedi Apostolicæ debetur;" quod ita nititur probare," „cum enim agatur de materiis dogmaticis, & ad fidem „pertinentibus, circa quas Sua Majestas sponte remisit „utramque contendentium partem ad supremum Sedis „Apostolicæ Tribunal, quæ ratio vel apparens esse potuit, „ut postquam res tanto tempore in contradictorio judi- „cio examinatæ fuerunt & per definitivam sententiam „determinatæ, Majestatem Suam induceret, non solum „ad suspendendum mandata necessaria pro executione „eorum quæ jam judicata erant, sed etiam ad mandan- „dum totum contrarium, quod est exemplum in nulla „altera ullius Catholici Principis Curia visum, multo mi- „nus in Augustissima & Religiosissima Domo Austriaca." Dein multis interjectis," quæ, inquit Hennebellus, eo- „rum machinatio, Beatissime Pater, non poterat inve- „nire medium magis adæquatum & magis efficax quàm „Decretum quod venit ex Hispania Decreto Sanctitatis „Vestræ oppositum; in hoc datur facultas Episcopis ut „contra suspectos de Jansenismo procedere possint pro „arbitrio. Contra quos autem reos aut contra quæ de- „licta unquam permissum fuit, ut sine prævia causæ in- „formatione juridica & simplici & assetta suspicione pro- „cedi posset ad spoliandum quempiam rebus carissimis, „videlicet famâ, opibus, officiis, dignitatibus & fun- „ctionibus." Quot hic manifestæ calumniæ contra De- creta Regia!

Facile est, ait Baccalaureus, istud dicere. At proba- re hoc opus, hic labor est. Tum Venantius; perficiam inquit, ut non habeas quod conquerare: evidens est, quod Rex nihil mandaverit oppositum ulli sententiæ de- finitivæ Sedis Apostolicæ in dogmaticis rebus, imo nec quæstio-

quæstionibus facti aut cujuscumque materiæ, nec impediverit ejus executionem. Evidens est præterea, Regem " non dedisse Episcopis facultatem procedendi pro arbitrio contra suspectos de Jansenismo;" ubinam enim in Decretis Regiis conceditur Episcopis, ut" „ob simplicem & assertam suspicionem quempiam spoliare vel privare possint famâ, opibus, officiis, dignitatibus, functionibus?" Ubinam à Rege decernitur, quod ad ejusmodi" spoliationem & privationem nulla requiratur prævia causæ informatio, nulla institutio „litis, nullum examen testium, nulla probatio juridica?" Statuit quidem, ut in officiis conferendis habeatur ratio suspicionis, nempè prudentis & legitimæ; ut" „ea non conferantur suspectis de Jansenismo, Rigorismo aut Novitatibus:" præterea ut Tribunalia secularia" non impediant judicia & processus Episcoporum „contra personas Ecclesiasticas in materia morum & doctrinæ," quid autem in utroque est quod fundamentum præbeat Hennebellianæ accusationi, aut quod Sacris Canonibus, omnium sapientium praxi, legi & rationi naturali non sit maximè consentaneum? Sed de hoc plura fortasse postmodum, D. Baccalauree.

Nunc tantum quæro ex te an nullus præter Hennebellum & fortè paucos de ejus factione in toto orbe sit, qui dicat quod Hennebellus tantum accuset *sinistros informatores*, non autem ipsa *Decreta Regia*, quando ea appellat" aliena à pietate Regis & contraria reverentiæ atque obedientiæ quæ Sedi Apostolicæ debetur, „contraria Apostolico Brevi, & sententiæ definitivæ, „& quidem circa materias dogmaticas & pertinentes ad „fidem; exemplum in nulla altera ullius Catholici Principis Curia visum, multo minus in Augustissima & Religiosissima Domo Austriaca." Quasi Rex Noster CAROLUS II. inter omnes qui sunt aut fuerunt hactenus Catholici Principes, sit monstrum" inobedientiæ & irreverentiæ erga S. Sedem." Denique Hennebellus Regem facit iniquissimum & tyrannum, cum ait eum condere Decreta quibus præstatur Episcopis" facultas „quoslibet Ecclesiasticos pro arbitrio spoliandi rebus carissi-

„riſſimis, famâ, opibus, dignitatibus, officiis, functio-
„nibus, ſine ulla prævia cauſæ informatione, ſine in-
„ſtructione litis, ſine examine teſtium, & ſine ulla alia
„probatione juridica ex ſola ſimplici & aſſerta ſuſpicio-
„ne " & adhuc perfrictâ fronte audet inficiari ſe *Decreta Regia accuſaſſe.* Duo hic non tibi ſolum, D. Baccalauree, ſed etiam Curiæ Romanæ & cuilibet homini non amenti relinquo conſideranda. Alterum, quam fidem mereatur is, qui etiamnum vel ipſi Pontifici negare & pernegare non veretur ſe Regem in re tanti momenti accuſaſſe. Alterum, an tam notorius & enormis calumniator Regiæ Majeſtatis, mereatur protectionem Sedis Apoſtolicæ, & non potius inſignes publicaſque pœnas, ut turba reliqua à tanto exceſſu in poſterum abſterreatur.

Sed bene habet, infit Baccalaureus, quòd Romana Curia abs te diſcere non debeat, quid ſibi de Doctore Hennebello cenſendum ſtatuendumque ſit. Ego, reſpondet Venantius, non tantum mihi arrogo, ut hic velim docere Romanam Curiam; ſed hæc duo tantummodo ipſi conſideranda propono. Ita nec P. Palazol, docere Regem præſumpſit, dum Memoriale obtulit, quamvis id Hennebellus inſinuet dicens; " Sed bene ha-
„bet, quod à P. Palazol diſcere non debeat Sua Maje-
„ſtas, quid à CHRISTI Vicario poſtulare debeat. " Non præſumpſit, inquam, P. Palazol Regem docere: ſed ejus & Miniſtrorum ſapientiæ propoſuit cum ſumma ſummiſſione id quod ad Religionis, atque hinc dependentis Monarchiæ incolumitatem judicat expedire. Hoc Sua Majeſtas à ſubditis, quorum erga ſe fidem & zelum perſpectum habet, audire numquam dedignabitur. Sed D. Baccalauree, inquit Arioviſtus, poſſumus hic clavum, quod ajunt, clavo pellere. Cedo mihi, debetne Sedes Apoſtolica à Doctore Hennebello diſcere, quid "
„mandare debeat ſuo Nuntio Madritenſi, " & quid à Rege per illum poſtulare. Vide quomodo Doctor Hennebel hoc ſuum Memoriale concludat. Pontifici " ſup-
„plicat mandari Nuntio Hiſpaniæ ut Catholicam Suam
„Majeſtatem meliùs informet de toto rerum ſtatu, im-
pe-

„pediatque ne Juncta seu Congregatio petita concedatur."
Hic Hennebellus docet Pontificem, si P. Palazol Regem doceat.

Id quod Doctor Hennebel citat ex Senatus Brabantici Consulto, rejiciemus in diem alium, inquit Venantius. Ad provocationem ejus & gloriationem de suis quinque viris quod attinet, id ante repressum est. Dissertationem aliam inchoabimus die crastinâ oriente sole: jam tædet actum agere.

DISSERTATIO IV.

De gravibus animadversionibus circa hoc totum factum.

Postridie primo mane, Ariovistus & Venantius convenerunt suas dissertationes prosecuturi. Nolebant tamen ante inchoare, quàm adesset Baccalaureus, qui dum moras necteret, aiebat Venantius; mirabilis homo est iste Baccalaureus. Factioni Hennebellianæ litat omnia. Hodie oportet illum depexum demus. Cum autem Baccalaureus jam advenisset, Venantius vix ullis præmissis ambagibus, recitavit hunc textum Hennebelli. " Hoc §. toto, in eo est Memorialis Autor, ut „ostendat, quid non timendum sit ab hominibus, qui „non Regi, non Regiis Ministris, non Episcopis, non „ipsi Apostolicæ Sedi parcunt: at cur neque Régi, neque „Regiis Ministris ab iis parci dicitur? Quia nempè co- „ram Apostolica Sede dictum fuit Regia Decreta anno „1695. 7. Novembris publicata, à malevolis per sini- „stras informationes fuisse extorta: judicet Apostoli- „ca Sedes, judicet ipsa Catholica Majestas ab Aposto- „lica Sede jam melius informata, an id ita certum ac „manifestum non sit, ut nulla possit tergiversatione ne- „gari."

Absiste, obsecro, inquit Ariovistus; lecta sunt satis multa. Juvat nunc ista commentari. Orationem habebo paulo longiorem, quare vos, ne me interpelletis,

 etiam

etiam atque etiam rogo. Quid non modòcontra informationes ,ſed contra ipſa Decreta Hennebellus effutierit, heri vidimus. Sic & Guilielmus Vander Neſſe Paſtor S. Catharinæ Bruxellis unus ex 5. factionis anteſignanis, ſuo & Gummari Huygens & multorum adhærentium nomine, in Memoriali manuſcripto, quo ſub initium anni 1696. Illuſtriſſimos Brabantiæ Ordines directè contra Regia Decreta, indirectè autem contra ipſam Regiam Majeſtatem ejuſque præcipuos Miniſtros Decretorum iſtorum Autores, concitare non dubitavit, ſic inquam, Paſtor ille ibi loquitur contra Belgii Epiſcopos & alios, quorum informationes Regia Decreta ſubſecuta ſunt. " In aulâ regia, inquit, exponunt adverſarii, „quidquid lubet; nemine contradicente, efficiunt, ne „accuſationes indicentur accuſatis, neque tranſmittan„tur ad conſtitutos in Belgio Senatus: fraudibus obti„nent ſententias, ac Decreta horrenda, & quidem ut „ea executioni mandentur viâ facti, ſine forma juris, „ſine appellatione, ſine recurſu. Exemplo ſint nupera „Decreta Regia data die 7. Novembris 1695., quibus „jubetur, ut excludantur beneficiis & officiis Eccleſiaſti„cis ac ſecularibus omnes ſuſpecti de Janſeniſmo, Ri„goriſmo, & Novitatibus. Quin imo obtinuerunt pro„hibitiones, quibus interdicitur omnibus legitimis cau„ſæ noſtræ judicibus etiam Concilio Brabantiæ, ne eam „diſcutiendam ſuſcipiant, ne ſupplicantium innocentia „aliquid protectionis contra adverſariorum ſuorum frau„des, & calumnias inveniat in Patriis Tribunalibus. Vos „autem Illuſtriſſimi Domini, Patres Patriæ, Privilegio„rum Conſervatores, defenſores libertatis Publicæ, pro „innata vobis prudentia ſatis perſpicitis, quod hæc à ma„jorum noſtrorum moribus aliena ſint, quod adverſen„tur bono publico, & ſecuritati vitæ, opum, quietis, „ac perſonarum. Facilè aſſequimini, quod ſit violare le„gum noſtrarum antiquiſſimas, evertere funditus ha„rum Provinciarum libertatem, nixam ſacris noſtrorum „Principum promiſſis & ſolenni jurejurando, quo Se„reniſſimus noſter Monarcha in ſuo læto introitu ſe per „Sancta Evangelia obſtrinxit." Sic Regem faciunt injuſtum,

ſtum, ſancientem leges tyrannicas, perfidum & ſacrilegè perjurum: ſic irritant contra Regem Brabantiæ Ordines; ſic ejuſdem Provinciæ Senatum per ſpeciem ademptæ autoritatis, populum per ſpeciem ademptæ libertatis & violatorum privilegiorum, Sacerdotes per ſpeciem periculi quod à talibus Decretis imminet cujuſlibet opibus, atque ipſi vitæ. Quibus cauſis & ſimulationibus nihil aptius eſt ad excitandas turbas, ſeditiones, rebellionem ac defectionem à legitimo Principe. An ergo non merito dictum eſt à P. Palazol, " quid non „timendum ab ejuſmodi hominibus, qui nec Regi, nec „Regiis Miniſtris, nec Epiſcopis, nec ipſi Apoſtolicæ „Sedi parcunt! " Quomodo nec Regi, nec Regiis Miniſtris parcant, jam vidimus in exemplis omni luce clarioribus; longè plura adferri poſſent ſi opus eſſet: unum addo Eugenii De Gelder Brugenſis in ultima voce zelatricis innocentiæ anno 1689. pag. 6. " Repleta ſunt à „planta pedis uſque ad verticem capitis omnia ſubſel„lia, dignitates, miniſteria in tota ditione Hiſpanicâ „perſonis unicè quærentibus quæ ſua ſunt; non quæ ju„ſtitiæ, Regis, aut Reipublicæ vel Dei &c. " Jam verò quod nec Apoſtolicam Sedem, nec Cardinales, nec Conſultores S. Officii revereantur, oſtenſum eſt in diſſertatione 2. ubi Hennebelli Proœmium diſcuſſimus. Vultiſne jam audire ſpecimina contra Epiſcopos?

Non obſcura, inquit Venantius, contra Primatem ſuum præbet Hennebellus in hoc & alio famoſo adverſus Decreta Regia Memoriali. Quare quoniam ea adhuc Memoriâ complectimur, malim commemores alia quæ illius ſurfuris homines in Epiſcopos omnes evomuêre. Conſilium iſtud placuit Arioviſto, qui ſtatim dicebat; repetite igitur animo tempus illud, cum Epiſcopi Belgæ vetuerunt lectionem promiſcuam ſacrorum voluminum in lingua vulgari, ſicuti eamdem vetant Pontifices ſecundùm Regulam IV. Indicis Tridentini. Recordor, inquit Baccalaureus, eo tempore animos noſtrorum maximè exacerbatos fuiſſe eo quòd ſpiritalis ille cibus ſubtraheretur. Belgium totum reſonabat famelicorum hominum queſtubus & lamentis. Imò

verò dicteriis, reponit Ariovistus, conviciisque & calumniis, quæ in Episcopos jaciebantur. Tum ex librorum sarcina, quam secum advehendam curaverat, deprompsit libellum inscriptum *Brevis & necessaria instructio &c. de lectione Scripturæ Sacræ Bruxellis* 1690. Hunccine, aiebat, libellum nosti, Domine Baccalauree? Audi quid habeat pag. 22." Episcopus qui plebi prohibet „lectionem Scripturæ Sacræ in lingua vulgari, non est „Pater nec Pastor, sed tyrannus adimens populo liberta„tem à Deo concessam. Et pag. 26. virtutis est, non „obedire talibus Superioribus; qualis enim foret ista obe„dientia: Non absimili modo Nestorius, Julianus, Sergius, „& plures alii hæretici Episcopi simplices homines suis „hæresibus implicuerunt, & ad inferos pertraxerunt. Ite„rum eâdem pag. hæresis dicenda est docere, non esse „laudabile & utile Christianis promiscuè Sacram Scrip„turam legere in lingua vulgari." Jamne vides quid ab hujuscemodi hominibus timendum non sit?

Hic reminiscere etiam, Venantius adjungebat, quòd sustineant Ecclesiam ferè totam jam esse Pelagianam: sic sustinet Martinus du Chesne in duabus disquisitionibus anno 1697. pag. 78. ipsam esse *Massiliam* Pelagianorum metropolim. Sic Romam à factione in occultis suis litteris vocari deprehensum est in arcana clavi propè Aldenardam detecta, ut aliàs notavimus. Sexenta his similia proferri posse ex Novatorum libris litterisque fidelissimè excerpta non ignorat D. Hennebel. Sed his omnibus dissimulatis, audet calumniari eos, qui Regem Catholicum, & ejus Ministros informarunt, persuaseruntque esse in Belgio Novatores Religioni, & statui perniciosos. Judicet nunc Sedes Apostolica & Catholica Majestas, imo & quisquis tantum oculos habet, quid censendum sit de sinceritate D. Hennebel, qui satis conscius tot absurdorum librorum, quibus quotidie novis impletur Belgium, ejusque Religio sensim suffoditur, ac populi concitantur ad seditionem, nihilominus Episcopos, septem Ordinum Religiosorum Provinciales, aliosque jubet omnes haberi calumniatores & deceptores, qui Regem & ejus Ministros de periculo commonefaciunt Mi-

Miror, ait Baccalaureus, in hanc ſcenam nondum produci Parochum D. Catharinæ. Noli te macerare, inquit Venantius; producetur actutum, & ab Hennebello quidem, agetque partem bene magnam. Tu ei poſtea plaudito ſi lubet. Sic itaque Hennebellus textum ſuum proſequitur; " Quid Regi Regiiſque Miniſtris ab „hominibus illis timendum non ſit, non oſtendit cauſa „Paſtoris S. Catharinæ, qui populum ac Majeſtatem ſe„ditiosè commoviſſe dicitur: ex illa cauſa potius con„ſtat, tantam eſſe in adverſariis calumniandi libidinem, „ut nulla quantumvis manifeſtâ veritatis demonſtratio„ne cöerceri poſſit: nam omnibus, quos ipſe Archie„piſcopus ejuſque Miniſtri examinari petierunt, exami„natis eâ diligentiâ, ac cautione ut major deſiderari non „poſſit, nec veri quidem veſtigium, in tota Archiepiſ„copi accuſatione deprehenſum fuit, ideòque ſolenniſ„ſimâ Concilii Brabantiæ ſententiâ ab accuſatione tam „falſa, tamque irregulariter inſtituta abſolutus fuit præ„fatus Paſtor. Deplorare non ceſſant plures Diœceſis „Mechlinienſis ſubditi, quod Dominus Archiepiſcopus „plures ejuſmodi cauſas incautè ſuſcipiat, infeliciterque terminet, nec tamen ideò debitam Archiepiſcopo ſuo „obſervantiam ſubtrahunt. " Jam iterum examinemus ſingula, ac præcipuè cauſam illius Paſtoris S. Catharinæ.

Illius Paſtoris cauſa, ait Arioviſtus, contra ac Hennebellus opinatur, maximè oſtendit, quid Regi Regiiſque Miniſtris ab iſta hominum factione metuendum ſit. Memoriale paulo ante citatum, oblatumque ab eo Statibus Brabantiæ notorium eſt: nam conſtat Memoriale iſtud Archiepiſcopo ab iſtis Satuum Deputatis legitimè & in forma per litteras communicatum fuiſſe conſultationis causâ, & ab Archiepiſcopo efficaciter confutatum rejectumque, dein & à Statibus; ita tamen ut Paſtor S. Catharinæ exhibere juſſus ſit commiſſionem ſuam, quam à Sacerdotibus quibuſdam Lovanienſibus, Bruxellenſibus, Antverpienſibus acceperat. Jam verò quis non videat iſtud Memoriale perquam ſeditioſum eſſe,& graviſſimè lædere Majeſtatem Regiam, Regiorum-

que Miniſtrorum autoritatem? Id videt quivis, inquit Venantius, qui, quæ ex ipſo citata ſunt, vel levi luſtravit oculo.

De hoc Memoriali, pergit Arioviſtus, quod à Paſtore S. Catharinæ cum altero prolixiore impreſſo ejuſdem argumenti oblatum eſſe Ordinibus, ſeu Statibus Brabantiæ exploratum eſt, altum ſilet Brabantiæ Senatus, tum in ſuo Senatus conſulto, tum in declaratione in favorem Paſtoris S. Catharinæ: Archiepiſcopus verò ea quæ de his Memorialibus, uti & de quibuſdam, quæ contra eadem Regis Decreta aliquibus privatim partim Scabinis, partim Tribunis plebis Paſtorem dixiſſe teſtimonio fide digno acceperat, retulit Sereniſſimo Electori, Gubernatori Belgii, juxta requiſitionem ejuſdem Sereniſſimi: is enim ad ſingulos Belgii Epiſcopos ſcripſerat, eodem die quo Decreta Regia contra Janſeniſtas, & ſuſpectos promulgarat 7. Novembris 1695.

Habeo, dicit venantius, iſtarum litterarum exemplar, quod & protulit & recitavit. Sic autem ſonat; " Reverendiſſime & plurimum in Deo dilecte Pa-
„ter, cum juxta iterata Regis Mandata ſcribendas no-
„bis duxerimus ad omnes Belgii Senatus litteras en-
„cyclicas, quarum exemplaria hic accluſa ſunt, eas Re-
„verendiſſimæ D.V. communicamus, ut perſpecta ha-
„beat omnia iis contenta, nihilque ſit, quod non quam
„accuratiſſime ſervetur. Simul monemus, ut vel mini-
„mas illarum tranſgreſſiones nobis, aut Concilio Statûs
„denuntiet, ut opportuna remedia afferantur. " Tum Arioviſtus infit; poteratne Archiepiſcopus, qui & ipſe Regi eſt à Concilio Statûs tam apertam & notoriam Decretorum Regiorum, non qualemcumque tranſgreſſionem, ſed audacem impugnationem & quantum in Memorialium iſtorum Autoribus eſt, manifeſtam everſionem diſſimulare, præſertim poſtquam Memorialia iſta legitimè ab ipſis Illuſtriſſimis Brabantiæ Ordinibus, ſeu Statibus, ut vocant, fuerant communicata? Quomodo ſuum iſtud ſilentium purgare apud Regem & Electorem potuiſſet? Nullo tamen modo mens Archiepiſ-

copi

copi fuit, ut res ista ad forum contentiosum deduceretur: nolebat enim agere partes accusatoris contra Ecclesiasticum apud ullum Tribunal seculare, multo minus Senatum Brabanticim; id quod ab Archiepiscopo factum non esse, evinci potest testimoniis autenticis; neque informatio ab eodem data Electori fuit *juridica*, licet id putaverit Pater de Palazol, qui *informatio legitima* in quodam scripto latino legens, Hispanicè vertit *juridica*.

At quid ad Senatus-Consultum, quærit Baccalaureus, in quo dicitur; " certum est, quod usque modò non au„diverimus quempiam legitimè fuisse accusatum, ac „multo minus convictum tamquam caput, adhærentem, „vel addictum similibus doctrinis, & opinionibus novis?"

Ariovistum parantem respondere prævenit Venantius dicens; si Autor istius Senatus-Consulti priusquam hæc scriberet, consuluisset Episcopos, saltem Mechliniensem, qui Bruxellis tum aderat, totâque hieme ibi residere consuevit usque ad mensem Maii, ab eo didicisset plurimos à se legitimè accusatos fuisse, & etiamnum accusari apud Sedem Apostolicam collecto ex eorum libris, ac Thesibus cumulo centenarum aliquot propositionum, quarum examini pridem incumbi à Qualificatotibus cœpit, sed propter immensam earum multitudinem, & intercurrentia aliunde impedimenta fortè illud non tam cito finietur. Ab eodem Archiepiscopo didicisset legitimè accusatum, & convictum fuisse ab Illustrissimo Alfonso de Berges suo decessore, ut patet ex ejus Decreto dato Bruxellis 1689. 26. Aprilis, Ægidium de Witte de propositionibus, quibus negabat SS. Patres fuisse unquam confessos sacramentaliter, aut eorum tempore in usu fuisse confessionem peccatorum venialium: ac dein rursus legitimè accusatus & convictus fuit effutisse non pauca contra autoritatem Pontificis. Liquet legitimè convictum de novitatibus fuisse Eugenium de Gelder. Methodum Gummari Huygens remittendi & retinendi peccata gravibus Censuris damnatam esse, lippis & tonsoribus notum est. Ex triginta & una propositionibus damnatis ab Alexandro VIII. plerasque esse traditas à

Theologis, qui in Belgio, imo & in Brabantia habitarunt, non ignorat, quicumque in controverſiis Belgicis peregrinus non eſt. Atque Autores illi prius legitimè exhibiti ſunt, S. Congregationi antequam hæc ad earum condemnationem voluit procedere. Plura ejuſmodi exempla proferri poſſent etiam eorum, qui apud Archiepiſcopum Mechlinienſem legitimè accuſati ſunt, & nondum abſoluti.

Doctiſſime Venanti, ait Arioviſtus, nihil poteras in hanc rem dicere melius accommodatiuſque; verum ut ad Paſtorem S. Catharinæ revertamur, non is innocens declaratus eſt, neque talis declarari potuit quoad ſeditioſa Memorialia, ſed tantum quoad dicta quædam privata quæ probari non potuerunt, neque Archiepiſcopus probanda ſuſceperat. Unum hic ex D. Baccalaureo quæſitum volo, an præter Clementiſſimum Regem Catholicum ſit ullus in toto terrarum orbe Princeps, qui contra ſuos Miniſtros, contra ſua Decreta pateretur, qualia Rex paſſus eſt ab Doctore Hennebel & Paſtore S. Catharinæ, & non utrumque ut minimum exilio mulctaret. Tam mitem, tamque Clementem Principem nuſqum invenias, inquit Venantius. Sed dic, Arioviſte, an *Archiepiſcopus hanc cauſam* contra Paſtorem S. Catharinæ *Suſcepit?*

Id falſum eſt, reſpondit Arioviſtus, & eſt magis falſum, quod *ſuſcipiat plures ejuſmodi.* Si quas *infeliciter terminet*, aut omnino *terminare* nequeat, non ei vitio vertendum eſt, quaſi non ſatis cautè ſuſcipiat, ſed ſuis adverſariis, qui nimis nequiter procedunt. Et verò prodigii inſtar ducerem, ſi unius quantumvis prudentis *cautela* par eſſet vitandis, detegendis, elidendis fraudibus tam numeroſæ, tam callidæ, tamque verſutæ factioni. Unde Religioſiſſimus Mechlinienſium Archipræſul identidem ſuperum hominumque opem implorare cogitur cum S. Bernardo, ſerm. 45. in Cant. Sic exclamante " juvate me Socii, ut capiatur vulpes demo„liens vineam, vel potius capite vos nobis eam ô An„geli Sancti. Verſuta eſt valdè, operta eſt iniquitate & „impietate."

Jam

Jam verò quòd Archiepiscopus novitates è Diœcesi sua eliminare non valeat, debet calumniis quorumdam adversariorum suorum qui illum non zelo secundùm scientiam, sed impetu; & Empedoclæo erga homines istos odio ferri vociferantur, tum Romæ tum alibi, ut querelæ ejus omnes atque informationes non inveniant fidem. Hanc perniciosissimam fraudem perspexit olim Tudensis Antistes ita contra Albigenses scribens: "Multoties hæretici, dum aliquem vident suis erroribus adversari..... ad calliditatis suæ arma confugiunt..... modò palam, modò occultè ipsius famam lædere non desistunt. Hoc agunt inimici Dei, ut contra ipsum seditionem moveant populorum & illius assertioni contra hæreticos minimè deferatur."

Venantius subjunxit; Sic est, Arioviste, istud solenne semper servarunt quilibet Novatores. Ut omittamus jam de singulis cogitando recordari, exemplo erimus contenti uno. Nosti Arioviste, nosti & tu D. Baccalauree, quantum de Cardinalis Cajetani zelo, velut de importunissima animi turbulentia questus sit Lutherus. Apud multos non modò Cajetani æmulos, sed etiam viros alios non malos fidem invenit illius hæretici querela, adeò ut discretionis & mansuetudinis aliquanto plus in Cajetano desideraverint. At verò hunc Pontificium Legatum optimè defendit ac tuetur Palavicinus, ostenditque tantum hæreseos incrementum potius aliorum quorumdam credulitati, & lenitati nimiæ, quam Cajetani vehementiæ, aut turbulentiæ acceptum referri debere.

At mihi, ait Baccalaurens, ex memoria fluxerunt verba Hennebelli ultima, quæ recitasti. Hæc sunt, inquit Venantius; *Nec tamen ideò debitam Archiepiscopo suo observantiam subtrahunt.* Sed quâ sinceritate, D. Baccalauree, Hennebellus ausus est istud dicere, quave fronte? Non ignoravit profectò integra conviciorum plaustra in illum Antistitem effusa esse tot scriptis, tot libellis famosis, quorum tres diversos uno die manu carnificis exuri jussit supremus Geldriæ Senatus sententiâ publicâ. Plura istiusmodi modestiæ & observantiæ erga hunc An-

Antiſtitem argumenta extant collecta in Libro *diſſeminatarum per Belgium propoſitionum*, qui jam in Eminentiſſimorum Cardinalium, & Conſultorum S. Officii manibus eſt. Videri poteſt pag. 14. 15. 16.

Hic Venantius, à ſubintrante famulo evocatus neſcio quò, Facite mihi, inquiebat, tantiſper abeundi copiam, redibo quam mox. Interim tu Arioviſte, poteris Baccalaureo prælegere citatas paginas, ut inde diſcat ſuorum obſervantiam in Mechlinienſium Archiepiſcopum. Neque prætermittas quæſo, me abſente, illi oſtendere inter ceteras Hennebelli calumnias recenſendum eſſe id quod dicit *Archiepiſcopum* circa omiſſionem additionum ad Formulare Alexandri VII. *non obtemperaſſe Apoſtolicæ Sedi.*

DISSERTATIO V.

De Patrocinio, quod Decreta Regia ſemper præſtiterunt Decretis Pontificiis in Belgio & quomodo Janſeniſtæ his ſemper contradixerint.

VEnantius, uti fidem dederat, redivit quamprimum, & ante quidem quàm Arioviſtus cum Baccalaureo legiſſet aſſignatas paginas. Propoſitiones in iis reperiebantur contra Archiepiſcopum adeò atroces, ut ipſe Baccalaureus erubeſceret. Mittamus hæc, Baccalaureus inquiebat, & audiamus potius Hennebellum adverſus Memoriale Patris Palazol differentem.

Hoc ubi dixerat, arripuit Hennebelli ſcriptum quod jacebat in menſa, legitque ſequentia; " cum Decretis „Pontificis favere ſemper ſoleant Decreta Regia, mirati „ſunt multi tanto tempore, totque Miniſtri Apoſtolici „officiis opus fuiſſe, ut ſolitus favor impenderetur Brevi Apoſtolico die 6. Februarii 1694. ad Belgii Epiſcopos miſſo; illudque executioni mandaretur. Sed jam „Memoriale, quod impugnamus, myſterium aperit, „apertè declarans expoſitum fuiſſe Catholicæ Suæ Majeſtati, quod Breve præfatum per ſiniſtras informationes,

„nes, & importunas querelas, per clamorum vim, & „adhærentium potentiam fuerit extortum: ita factum fuit, „ut dum hæc diligentius inquirit Catholica Sua Ma„jeſtas, tanto tempore dilata fuerit præfati Brevis exe„cutio. " Quid ad hoc, Venanti? Quidve tu Ariovíſte?

Hoc totum, reſpondet Venantius, nihil eſt præter confuſam & pertinacem continuationem calumniæ quæ contra Regem Doctor Hennebellus commentus eſt in priori ad Sanctiſſ. Dom. Memoriali. Ejus verba diſſertatione 2. retulimus. Quin & calumnia eſt, quod ſive Rex, ſive Archiepiſcopus Mechlinienſis, ſive ullus alius Belgii Antiſtes, aut Religioſus, aut alius eorum, quos accuſare Hennebellus nititur, ſe Brevi Pontificio aut ejus executioni oppoſuerit, aut etiam uno temporis momento dubitaverit, eſſetne illud Breve admittendum, aut mandandum executioni. Venantium interturbavit iterum Baccalaureus dicens; forte Hennebellus hic voluit accuſare Senatum Brabantiæ.

Nugæ, Venantius reſpondebat. Senatus quidem Brabantiæ litem intendit Archiepiſcopo Mechlinienſi, propterea quod Illuſtriſſimus Archiepiſcopus ſine Senatus iſtius placito Breve Pontificis, ejuſdemque Decretum promulgaſſet. Non diffiteor. Sed Senatum iſtum, non hîc nec uſquam alibi accuſare vult Hennebellus, neque ullus ejus aſſecla, cum ſemper Senatum iſtum ininclament, iſtum ſolum videantur conſtituere judicem quoad mores & doctrinam Eccleſiaſticam, ut patet in Memoriali manuſcripto, quod obtulere Statibus Brabantiæ, in quo de adverſariis ſuis, & Decretis Regiis ſic conqueruntur; " Obtinuerunt prohibitiones, quibus „interdicitur omnibus legitimis cauſæ noſtræ judicibus „etiam Concilio Brabantiæ, ne eam diſcutiendam ſuſ„cipiant. " Prohibitiones autem illæ Conciliis, etiam Brabantico, datæ ita ſonant; " Haſce ad vos ſcribimus, „ut vobis interdicamus, quemadmodum ſeriò interdi„cimus, ne ullos ad vos recurrentes Eccleſiaſticos, quos „Epiſcopi propter mores, aut doctrinam aggreſſi fue„rint vel deinceps aggredientur, recipiatis, neve vos

iis

„iis immiſceatis, aut ullâ ratione præſtetis patrocinium „ſive poſſeſſionis ſive alio titulo quocumque." De hac prohibitione, Hennebelli commilitones querelas publicas & ſeditioſas inſtituunt tamquam de ereptis ſibi *legitimis cauſæ judicibus.* Unde evidens eſt, quod Senatum ſecularem ſtatuant *velut legitimum Judicem Eccleſiaſticorum in materia morum & doctrinæ.* Cum ergo contra graviſſimas Sacrorum Canonum ſanctiones, & contemptis Eccleſiæ Cenſuris Senatum hunc ſibi judicem deligant in materia juriſdictioni ſecularium circa perſonas Eccleſiaſticas exempta, non eſt veroſimile, quod hunc Senatum ſibi accuſandum præfixerint; & ſi præfixiſſent, non magis hæc Senatus culpa adſcribenda Regi eſſet, quam iſtud ejuſdem Senatus Conſultum circa Decreta Regia datum ad Belgii Gubernatorem. Hîc Venantio Arioviſtus applauſit. Argumentaris, inquiebat, non male; ſed aveo ex te intelligere, cur hanc Hennebelli calumniam vocaveris *confuſam.*

Quia reponit, Venantius, Hennebellus in ea neſcio quam adamavit obſcuritatem, & vix nunc poſſum niſi divinando aſſequi, unde calumniæ hujus occaſionem vel fundamentum ſumpſerit. Si autem rectè conjicio, Hennebellus crimen Regis conſtituit in eo, quod anno uno poſt memoratum Breve Pontificis promulgata fuerint Decreta Regia de *non promovendis ſuſpectis.* Cumque contra hæc tumultuarentur nonnulli Clerici Belgæ, tamquam ad quamvis levem minimèque fundatam & vel ab uno ſuorum adverſariorum aſſertam ſuſpicionem forent *excludendi* officiis & beneficiis obtinendis, imo etiam ab obtentis *repellendi, & privandi famâ, opibus, ac fortunis* (ita enim alii palam vociferabantur ſonare Decreta Regia, alii ſe proſpicere futurum, ut ita ab adverſariis ſuis in praxim deducerentur) dicitur Romana Curia Regem per Nuntium Apoſtolicum rogaſſe, ut Decreta ſua juberet non aliter executioni mandari, quam juxta Breve Apoſtolicum datum ad Belgii Epiſcopos. Hic pauliſper hæſerit Rex piiſſimus, minimè ſibi conſcius quidquam à ſe decretum eſſe ſanctionibus Pontificiis contrarium. Jubet itaque examinari Decreta ſua, eaque cum Brevi Apo-

Apoſtolico conferri, & licet ſummam utrobique juſtitiam, & inter ſe conformitatem cerneret; quia tamen à quibuſdam ſenſu jam explicato & à Regis mente plane alieno accipi dicebantur, ideòque inſtabat Nuntius Apoſtolicus, ut Rex declarationis aliquid dare non gravaretur, unde iis, ad quos executio ſpectat, innoteſceret, Decreta Regia intelligenda & uſurpanda eſſe, ita ut Brevi Apoſtolico non opponerentur, ſatisfecit Rex deſiderio Pontificis, ſed non Hennebelli, neque aliorum, qui vellent in conferendis beneficiis, officiis, ordinibus ſacris, curâ animarum non haberi rationem ullius ſuſpicionis, niſi quæ ſervato juris ordine in judicio probata eſſet. Quo nihil magis alienum eſt à S. Scripturis, Canonibus Conciliorum, praxi omnium Principum, Reruimpublicarum, Pontificum, Cardinalium, & cujuſcumque Patrisfamilias, ac denique ab ipſo rationis lumine, ut in Motivo juris pro Decretis Regiis anno 1697. typis edito, & nuper in Memoriali Patris Palazol fusè evidenterque demonſtratum eſt.

Hîc tangis aliquid, interrumpit Arioviſtus, quod mihi nuper uſui fuit ad urgendum quempiam S. Theologiæ Profeſſorem, qui in aliquo honeſto congreſſu pugnabat Janſeniſmi ſuſpicionem poſſe nemini obeſſe, niſi ſervato juris ordine in judicio probaretur. Ergo, inferebam, juxta vos ita Breve Pontificium intelligendum eſſet, ut lectiones Theologicæ, Præfecturæ Seminariorum, omniaque quantumvis magni momenti officia, beneficia, dignitates etiam annexam habentes curam animarum, deberent conferri iis, qui de hæreſi, & conſequenter etiam de ſtupris, adulteriis, ſacrilegiis, paricidiis, magia rationabiliter ſuſpecti ſunt, & ut tales famâ publicâ reputantur, imo etiamſi illorum criminum revera reos eſſe certâ ſcientiâ & experientiâ, ſed privatâ quæque defectu teſtium fidem facere in judicio non poſſet, conſtaret ipſi Regi aut Epiſcopo; deberent, inquiebam, juxta veſtram Brevis Pontificii interpretationem ejuſmodi ſuſpectis, quin & certò nefariis cuncta officia & beneficia æque ac optimæ & perſpectiſſimæ fidei ac probitatis hominibus conferri ab Rege, Epiſcopis, & qui-

buſ-

„causis circa Bullas Urbani VIII. contra Jansenismum „tantisper aliquando hæserunt, maximè cum, fatente „ipso Memorialis Autore, de nullo particulari dogma„te tunc ageretur, neque hodie in Belgio ulla sit de „Bullis Urbani controversia." Hoc ubi recitarat, sic fatus est Baccalaureus; istud quàm opportunè dixit Hennebellûs! quam fortiter ac suaviter! an melius poterat & adversarios pungere & suos defendere?

Iterum dico, inquit Venantius, esse calumniam, quod aut Rex Catholicus, aut ullus alius sive in Hispania, sive in Belgio executionem Brevis stiterit, aut quod illa executio uno puncto temporis fuerit suspensa: neque enim hactenus ostendit casum adversarius, aut ostendere poterit vel unum quo accusationem suam probet. Reluctatione autem quorumdam Lovaniensium contra Bullam Urbani VIII. nullum hactenus in Ecclesia exemplum visum est scandalosius, nullum pertinacius, & quidem non nisi propter cavillationes futiles & Theologis Catholicis indignas. Hæ sunt, quas Doctor Hennebel, vocat *causas graviores*. De his, prosequebatur idem Venantius, audiamus potius ipsum Urbanum VIII. qui post varias monitiones frustra per Internuntium adhibitas tandem sic conqueritur in Brevi ad Academiam Lovaniensem 24. Octobris 1643. " Minime nos latet (*Constitu„tionem nostram*) eâ, qua decuit reverentia, à plerisque „vestrûm fuisse exceptam..... ingenti tamen animi ægri„tudine audivimus aliquos non defuisse, quorum teme„ritas eò prolapsa est, ut prædictam Constitutionem, „tum ob prorogatum publicationis tempus, ac etiam „quarumdam interpunctionem ac litterarum menda, „tum ob immutatum in Coloniensi editione annum, „inanibus scilicet argumentis in dubium vocare, & fal„sitatis arguere non sint veriti..... quamobrem confi„dimus fore, ut gravissimum hoc negotium suo pon„dere expendentes, jussibus nostris sedulò pareatis, ne„que patiamini ob effrænatam quorumdam audaciam „florentissimæ Universitatis nomen tantâ contumaciæ „notâ circumfundi."

In Brevi ad Jacobum Boonen Archiepiscopum Mechlinien-

linienſem eodem die ſic loquitur:"Pontificiæ ſolicitudinis „zelum, contra quàm ſperabamus, parum apud quoſdam „profeciſſe audivimus, & quemadmodum par eſt, vehe„menter doluimus: aliqua enim ad falſitatem diplomatis „indicandam, non minus leviter, quam impudenter obji„ciunt...... qui tam apertâ eorum contumaciâ tuæ vi„gilantiæ officia elucere cupimus..... quamobrem enixè „flagitamus, ut intolerabilem eorum arrogantiam cöer„ceas, ipſoſque ad parendum Apoſtolicæ Sedis ſanctio„ni, quoquo pacto compellas."

Alia ejuſmodi Brevia dedit Pontifex ad ſingulos Epiſcopos diſtincta, etiam ad D. Franciſcum de Mello, Belgii Gubernatorem, & ad Academiam Duacenam. Verum ne ſic quidem recipere Conſtitutionem Urbani VIII. voluerunt rebelles iſti Lovanienſes, neque toto reliquo vitæ ſuæ tempore id conſequi Pontifex potuit. Ajebant ſe velle, dicit Baccalaureus, ut prius Legati ſui Sinichius & Papius Romæ audirentur. Auditi ſunt, Venantius reponit, & ómnibus eorum rationibus conſideratis, mandavit Pontifex iterum, ut Bullæ ſuperiori accuratè abtemperarent. Hunc in finem edidit tertium Decretum, ſed cui non plus, quam duobus præcedentibus rebelles Lovainenſes detulerunt.

Ariovíſtus autem ſic deinde proſecutus eſt. Mortuo Urbano VIII. idem negotium urgendum ſuſcepit ejus ſucceſſor Innocentius X., quare multa & ipſe Brevia de hoc expedivit, ſed fruſtra, donec annis aliquot poſt, videlicet anno 1651. ultimo Februarii emanavit à Rege decretum, in quo declaratur. Primò, quomodo, "mul„ti ex Univerſitate Lovanienſi impediviſſent, ne in om„nibus Belgii Diœceſibus promulgata eſſet Bulla Urbani „VIII. Secundò, quod poſtulaſſent tempus & dilationem, „ut rationes ſuæ expenderentur à Pontifice. Tertiò, „quomodo eorum Deputati tam voce, quam ſcripto Ro„mæ auditi plenè fuerint in generali Congregatione In„quiſitionis. Quartò, quod ſanctiſſimus Dominus de „omnibus informatus mandaverit per Decretum datum „16. Junii 1644., ut præcedentes Bullæ plenum & in„tegrum ſortirentur effectum. Quintò, quod prædicti

Lova-

„Lovanienſes omnibus his non contenti, recurrerint ad „ſuam Majeſtatem delegantes unum ex ſuis ad Madri„tenſem Curiam. Sextò, quod illic iterum auditi fuerint „in omnibus, quæ proponere voluerunt. Septimò quod „Rex omnibus perpenſis non invenerit ullam rationem „legitimam impediendi vel differendi promulgationem „& executionem earundem Conſtitutionum. Octavò, „quod die 14. Julii 1650. circa hoc Rex Mandata mi„ſerit ad Archiducem Leopoldum Belgii Gubernato„rem. Nonò, quod tam Sua Majeſtas, quam Archi„dux Leopoldus aſſiduè tum per Brevia, tum per Nun„tios Madriti, & per Internuntium Bruxellis rogata „fuerit ab Urbano VIII., & Innocentio X. Summis „Pontificibus, ut opem Regiam & manum fortem præ„ſtaret executioni dictarum Bullarum in forma conſue„ta, quemadmodum, inquit Rex, ad nos pertinet, & „ſicut prædeceſſores noſtri, tamquam Eccleſiæ & fidei „Catholicæ Apoſtolicæ Romanæ defenſores ſemper fece„runt in omnibus noſtris regnis & ditionibus. Denique „præcipit Rex, ut Bulla promulgetur & obſervetur, ſtatu„tâ in transgreſſores quingentorum florenorum mulctâ „pro prima vice; pro ſecunda exilio ſexennii ex omnibus „Regiis ditionibus." Ita neceſſe fuit Conſtitutiones Apoſtolicas contra rebelles quoſdam Lovanienſes Catholicæ Majeſtatis autoritate, & auxiliatrice dextra vindicare.

Hic ſeſe Arioviſtus convertebat ad Baccalaureum, inquiens; obiter hic nota, D. Baccalauree, quam falſo hodiedum dicat Hennebellus cum ſuis in Memoriali Belgico anno 1696. §. 1. illos Lovanienſes ſpatio plus quam 5. annorum non potuiſſe obtinere, ut audirentur: Hoc quidem perquam indignum eſt, infit Venantius; ſed haud ſcio, an non ſit multo indignius, quod Hennebellus Majeſtatem Catholicam, religioſiſſimos Belgii Antiſtites, eiſque adhærentes comparare ſuſtineat cum iſtis tam pertinaciter S. Sedi rebellibus. At, objicit Baccalaureus, *de nullo particulari ſeu determinato dogmate tunc agebatur, idque fatente vel ipſo Memorialis Autore*, unde Doctor Hennebellus ſubindicare vult rem illam fuiſſe momenti non adeò magni.

Verum licet, inquit Venantius, de nullo *dogmate in particulari ageretur*, agebatur tamen de multis damnatis à Pio V., & Gregorio XIII. Urbano VIII. decessoribus; agebatur de *malo in scandalum totius Reipublicæ Christianæ, & fidei Catholicæ perniciem vertenti*, ut Urbanus VIII. Bulla *in eminenti* disertè testatus est. Et certe perspicuum est contineri ac defendi in libro Jansenii plures, quàm 30. ex damnatis in Baio propositionibus, præter alias dein ab Innocentio X. Alexandro VII., & Alexandro VIII. proscriptas. Quomodo etiam, adjungit Ariovistus, sustinuit Hennebellus dicere, *nullam hodie in Belgio esse de Bullis Urbani controversiam?* Notum enim est & exploratum omnibus, Urbanum VIII. Bulla *in eminenti* confirmasse Bullam Pii V. Gregorii XIII. contra Baii articulos, & eam suæ Constitutioni integram inseruisse; nec minus notum est à biennio edita esse totoque Belgio palam distracta omnia Baii opera cum recentibus notis ac vindiciis, quibus Bullæ Pii V. Gregorii XIII., & Urbani VIII. ex professo oppugnantur. Huic editioni proluserunt Ignatius Eykenboom, & Autor scripti Gallici *Memoires importans & prosecutions* ad Facultatem Duacenam, ex quibus colligitur communi factionis conspiratione, opera illa Baii nuper prodiisse. Nullus in Belgio ignorat, retineri mordicus à tota illa factione cavillationem de *famoso commate*, in quam cavillationem Eminentissimus Cardinalis de Aguirre meritò invehitur in defensione Cathedræ S. Petri disp. ni fallar. 20. sect. 1.

Appellatum locum protinus inspexit Venantius, & Baccalaureo ostendit. Ibi autem legebantur ea verba; " ,,quia juxta eam interpretationem nulla ex propositioni- ,,bus Baianis in singulari esset, quæ impunè defendi non ,,posset in rigore & proprio verborum sensu, cum juxta ,,Bullam nulla determinata ex iis 79. sit, supra quam ea ,,verba cadere non possent, unde irrita prorsus, & ,,incassum lata esset constitutio. " Atque ideò, prosequebatur Ariovistus, idem Cardinalis ibidem dicit, *frivolam & absurdam esse evasionem hanc*. Et tamen evasionem eam suscitavit Autor defensionis Ecclesiæ Romanæ

manæ

manæ anno 1688. pag. 18. Autor editionis operum Baii 1696. parte 2. pag. 77. D. Germain in defensione Ecclesiæ Romanæ & Summorum Pontificum contra Leydeckerum eodem anno 1696. pag. 78. Imo D. Germain ibidem de hac cavillatione tamquam de intentione Pontificis, & vero Constitutionis sensu dicit, nos " tam „perspicuè edoctos esse, ut dubitari amplius non possit, „quin significet, quod inter istas propositiones inveniantur multæ non condemnatæ, nec ut falsæ, nec ut erroneæ in sensu Autoris, quasque ipso duce sustinere possumus acceptas eodem sensu & in rigore; " licet in Bulla definiatur eas esse hæreticas, erroneas, suspectas, „temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem „immittentes respectivè. " Hos locos omnes stupendâ prorsus memoriæ felicitate assignabat Ariovistus, sicuti etiam illos qui subsequuntur.

Quid multa? Inquiebat, declarat Urbanus VIII. *In eminenti*, quod " ex diligenti & matura ejusdem libri, „cui titulus Augustinus Jansenii, lectione compertum „fuerit, multas ex propositionibus olim damnatis à Pio „V. & Gregorio XIII. contineri, & magno cum Catho„licorum scandalo & autoritatis dictæ Sedis contemp„tu contra præfatas damnationes & prohibitiones defen„di.... malo in scandalum totius Reipublicæ Christianæ, „& fidei Catholicæ perniciem vertenti." Interim G. Prior S. Martini in Memoriali laxiori anno 1691. pag. 70. asseverat "posse demonstrari, quod liber Jansenii sub Ur„bano VIII. non fuerit ritè examinatus. " Autor defensionis Romanæ Curiæ anno 1688. pag. 18. " proposi„tiones, inquit, Baii quæ renovantur à Jansenio con„tinent doctrinam S. Augustini, " Eugenius de Gelder Brugensis in ultima voce zelatricis innocentiæ anno 1689. pag. 30. non minus clarè ac paucis pronuntiat, quod " Urbanus VIII. fuerit deceptus, patet ex propria „ipsius Bulla. " Autor difficultatum propositarum D. Steyartio anno 1692. " Facile fuit post 40. annorum „spatium impetrare ab Alexandro VIII. condemnatio„nem hujus trigesimæ primæ propositionis, Bulla Ur„bani VIII. In eminenti est subreptitia: atque hæc

„ipsa condemnatio; ut jam dixi, probat rejiciendum „esse, ut subreptitium Decretum Alexandri VIII. quo „propositio illa damnata est. Ibidem potestne cuiquam „peregrinum apparere, quod Bulla hæc Urbani VIII. „subreptitia dicta sit, quæ fabricata est ab Assessore S. „Officii contra expressam Pontificis intentionem." Ignatius Eykenboom anno 1696. in Adumbrata Ecclesiæ Romanæ defensione pag. 17. in eo, inquit, " falsus est „ac fallit Leydeckerus, quod à Gregorio XIII. in præ„dicta Bulla confirmatam asseverat Pii V. Bullam, rur„sumque damnatos articulos, qui in prima notati sunt. „Scimus quidem ipsam Urbani VIII. Bullam id decla„rasse..... verùm id malis artibus Jesuitarum, Urbani „VIII. Bullæ ab Albizio eorum cliente insertum, jam „nemo est eruditorum, qui dubitat &c." Et tamen D. Hennebellus solitâ suâ sinceritate scribens testatur Pontifici, Cardinalibus &c. " nullam hodie in Belgio esse „de Bullis Urbani controversiam." Quæ huic homini potest esse frons? Quærit Venantius. Et tu D. Baccalauree, talem tam impensè colis.

Imposturam, inquit Ariovistus, etiam aliam quæ non cedat priori, animadverto in his verbis; " si quid, „inquit Hennebellus, agere vellet Memorialis Autor, „probare deberet, quod Theologi Belgii, quos impug„nat, manu Regiâ compelli debuerint, ut debitam Con„stitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. observan„tiam præstarent: de his enim controversia est, nulla „autem prorsus de Bullis Urbani VIII. Verum qua ra„tione id probare posset? Cum ex dictis §. 2. & 3. Proœ„mii, luce meridianâ clarius constet, Constitutiones præ„fatas ab iis recipi eâ promptitudine, ut major deside„rari non possit. Constitutionibus Pontificiis ita in Bel„gio receptis, si quæ postea alibi super eis fuerit con„tentio, illi implicari Theologi Belgæ noluerunt, li„berrimèque apud Apostolicam Sedem de æmulorum „suorum maledictione conquesti sunt. " Hæccine iterum Hennebellus? Inquit Venantius. Ut vides, respondet Ariovistus.

Tum Venantius, hujuscemodi, ait, imposturam quis ferat?

ferat? Sed reprimamus concitatum animum; & quoniam Hennebellus hoc loco magnificè jactat Theologos Belgii recepisse Bullas Innocentii X. & Alexandri VII. " eâ promptitudine, qua major desiderari non possit," neque à Rege ullâ ratione ad hoc fuisse compulsos, juverit promptæ illius, quam vocat, obedientiæ originem, naturam & statum paucis discutere, ut pateat etiam hic verum esse quod ait Pater Palazol, " Decreta Regia Pontificiis Decretis semper patrocinata esse; Jansenistas autem eis semper contradixisse." Ego, inquit Ariovistus, mentitæ illius obedientiæ originem, naturam & statum rectè teneo; at quia ista non æque tenet D. Baccalaureus, idcirco non possum non tuum probare consilium. Ergo tu incipe, Venanti, vel ab ovo, si lubet. Inde Venantius sic est exorsus.

Belgis omnibus & Hispanis ignotum non est proprios Jansenii Patronos fuisse Jacobum Boonen Archiepiscopum Mechliniensem, & Dominum Roose Protopræsidem Sanctioris Senatus Regii Bruxellis. Tantis protectoribus, quid non auderent & ausi sunt Janseniani? Sed fractâ eorum autoritate, idioma mutarunt, non animum. Censuræ contra dictum Archiepiscopum propter ejus contumaciam latæ sunt & quidem affixis publicè programmatibus Bruxellæ. Tum summus terror factionem totam incessit. Magis verò concidêre rebellium animi, quando Apostolicum Internuntium (qui ne quid à potentibus Jansenii fautoribus pateretur, Bruxellâ clam discesserat) viderunt à Serenissimo Archiduce Leopoldo Belgii Gubernatore Bruxellas revocatum protectumque: dein quando ipsum Dominum Roose Protopræsidem, qui primus Regi autor fuerat Jansenium ad Iprenses infulas promovendi, ac semper ab Archiepiscopo steterat, jam Regis gratiâ excidisse, ac Protopræsidis officio dignitateque privatum; denique quando intellexerunt nihil deinceps præsidii sibi à Concilio Brabantiæ sperandum, jamque certum fixumque Regi esse nullum Jansenii sequacem aut protectorem ad ullum promovere officium, neque ullâ ratione pati, ut vel minimus obex à quopiam suorum subditorum Apostolicis Constitutio-

 nibus

nibus imposterum poneretur. Quid ageret imbellis turba rebellium aliquot Academicorum, cum in ipsa Universitate Lovaniensi pars potior, & inter Doctores Theologos pars major, etiam sub Urbani VIII. Pontificatu, pro ejus Bulla recipienda scriptis signatisque suffragiis sese declarasset?

Itaque rebelles conspicati jam se omni destitutos patrocinio, neque resistendo esse, statuerunt non esse posthac Bullis Pontificiis palam obluctandum, cum & sine fructu obniterentur, & non sine gravi suo malo ac periculo majore, utpote ne excluderentur officiis omnibus, & forte spoliarentur acquisitis. Quare & Urbani VIII. Bullas & quascumque demum secutas Innocentii X. Alexandri VII. aliorumque Pontificum se venerabundos admittere postea verbis protestati sunt, & à formalibus damnatarum propositionum terminis plerique eorum postea abstinuerunt, contenti eas docere terminis æquivalentibus. Quamquam aliqui subinde audaciùs sensa sua promant, rati vel tempus tacendi jam præteriisse, vel se & numero & autoritate satis esse firmatos. Præcipuè verò in aqua turbida (quod dicitur) sibi piscandum esse duxerunt, tum scilicet cum bello arderet Christianus orbis, & cunctæ Belgii Civitates præsidio hæriticorum pariter ac Catholicorum promiscuè tenerentur.

Specimina jam ante produximus satis multa, ex quibus planum fit peccari in Belgio non modò contra Bullas Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII., verum etiam contra Innocentii X. & Alexandri VII. quia tamen adversarius identidem ac confidentissimè clamat, nihil esse Belgis omnibus promptius ad recipiendas, & nihil religiosius ad servandas Constitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. condemnantium 5. famosas propositiones Jansenianas, de his videamus.

Non ignorat Doctor Hennebel varios libros scatere propositionibus, quas à Jansenii doctrina condemnata nec ipse, nec alius quispiam facilè discreverit: novit Eminentissimum Cardinalem de Aguirre in defensione Cathedræ S. Petri totâ disp. 21. ex professo demonstrare singulas ex 5. damnatis propositionibus contineri in Jan-

Janſenii libro & à plurimis Belgis nominatim Lovanienſibus fuiſſe poſt condemnationem reſuſcitatas. Cardinalis librum conſulamus, inquit Baccalaureus. Eum librum continuò corripuit Venantius, & cum eum explicaſſet; Argumentum, inquit, dictæ diſputationis proponit Eminentiſſimus his verbis. " Vidimus diſputatio-„ne præcedente, quomodo multi in Belgio, ac præſer-„tim Lovanii, conati fuerint eludere Conſtitutionem „Innocentii X. adverſus Janſenium eo prætextu, quod „propoſitiones ibidem proſcriptæ, aut non extent in „ejus ſcriptis, aut non fuerint traditæ juxta eum ſen-„ſum, in quo Pontifex eas reprobat veluti hæreticas. „Quamvis autem utrumque evaſionis genus fuerit gra-„viſſimè damnatum ab Alexandro VII., & rejectum à „nobis ibidem ſect. 3. oportet id nunc uberiùs rejicere, „& oſtendere prædictas propoſitiones verè extare in li-„bro Janſenii, & juxta ſenſum, in quo ab ipſo traditæ „ſunt; imo & ab ipſis ejus defenſoribus traditas poſtea „fuiſſe, ac paſſim tradi, quantum conjicere poſſumus „ex recentibus ſcriptis, & verbis ipſorum fideliter alle-„gandis, præſertim juxta teſtimonium Patricii Duffii „Theologi Regis Catholici ad Innocentium XI. miſſi „parte 2. claſſe 1. & ſequentibus." Hactenus Cardinalis, tum ad ſingulas in Janſenio damnatas propoſitiones recitat longam ſeriem propoſitionum cum ſuis Autoribus Belgis pleriſque Lovanienſibus, & comparatione inſtitutâ fatetur, ſe nullo modo videre, quâ ratione valeant à damnatis ſeparari.

Recentiora, D. Baccalauree, aliàs dedit Arioviſtus ex Eugenio de Gelder dicente pag. 30., " quod Inno-„centius X. fuerit deceptus ad oculum demonſtratur. „Pag. 31. quod Alexander VII. fuerit deceptus, ex eo „conſtat, quod liber Janſenii numquam Romæ ritè fue-„rit examinatus. " Dedit & G. Priorem S. Martini in ſua Morali laxiore contra Archiepiſcopum Mechlinienſem, & ejus ſequaces anno 1691. ita ſcribentem pag. 61. " Si hæreticus eſt, qui primæ Janſenii propoſitionis „ſenſum ſuſtinet eſſe Catholicum, neceſſe eſt hæreti-„cam eſſe doctrinam S. Auguſtini & S. Thomæ." De-

dit quoque Jacobum Gilbert in Epistolâ laudantem amicum; " quod gratiam Evangelicam JESU-CHRISTI sa„naverit à vulnere inflicto per Alexandrum VII., cujus „cicatrix nondum bene obducta sit. " Idem Gilbert censuratâ non ita pridem suâ doctrinâ tum à Theologis Parisiensibus, tum ab Episcopo suo Atrebatensi, tamquam hæreticâ, & uti tali damnatâ per Constitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. indignabundus ita Episcopo suo rescribit anno 1687. 18. Septembris. " Dum „me perdis & traducis velut hæreticum.....criminaris „doctrinam undecim seculorum perenni traditione con„secratam, cui nemo refragatus est præter unum Pon„tificem (Alexandrum VII.) qui sub finem undecimi „(post Augustinum) seculi voluit autoritatem suam ul„tra JESU-CHRISTI institutionem extendere. " Idem in tract. de gratia quem in scholis publicis Duaci dictavit, & Thesibus palam defendit; " In materia gratiæ proce„dit Argumentum negativè ab actu ad potentiam, & „bene concluditur Titius non operatur bonum, ergo „non potest illud operari, & è contra bene concludi„tur affirmativè à potentia ad actum, potest operari bo„num, ergo illud operatur. " Quæ quomodo consistant cum eo, quod præcepta Dei non sint observatu impossibilia, quod gratiæ interiori aliquando resistatur in statu naturæ lapsæ, quod ad merendum & demerendum in hoc statu requiratur libertas à necessitate, & non sufficiat libertas à coactione; quod homo pro sua libertate possit resistere gratiæ, vel obtemperare; quod CHRISTUS mortuus non sit pro salute duntaxat prædestinatorum, relinquitur Sedi Apostolicæ judicandum. Hæc sunt, inquit idem Venantius, quæ memoriter dicere potui. Tu doctissime Arioviste, si quæ alia potes superaddere vel ex immenso memoriæ tuæ thesauro vel ex iis libris quos tecum attulisti, id, quæso, facito liberrimè: nam & mihi certò voluptatem, & D. Baccalaureo salutem fortasse afferes.

Ergo Ariovistus ut gratificaretur Venantio, sine mora superaddidit plura alia partim de memoria, partim de libris; Palladius, inquiebat, in Spongia contra Martinum

num Steyaert anno 1688. pag. 28. " prima propositio, „dicit, in sensu Jansenii damnari non potest, nisi auctoritas Augustini & Summorum Pontificum in fumos „eat. Ibidem, Apertissimæ veritatis est, esse in Jansenio „primæ propositionis sensum, qui damnari non possit." Dumque Lovanii Palladio Martinus Steyartius ac rursus Palladius Steyartio ultro citroque respondet, quæstio incidit de definitione *Jansenistæ*, in qua statuendum pronuntiabat Steyartius, sicut usu venit in nomine Thomistæ ac Scotistæ, sic etiam *Jansenista* dicendus esset, *qui Jansenii doctrinam tuetur ac profitetur*; respondet Palladius in prosecutione criseos pag. 20. " Finio itaque, ut „Theologus Steyartius, cum Jansenistæ vocabulo; si „locutionis fixarumque mentibus idearum imperium te„neret Theologus, nomenclationi ejus ac descriptioni „actutum accederemus: nam eo dumtaxat quo describit „modo Jansenistas, haberi ac esse, magno duceremus „honori: quid enim generosius in hoc genere, quam „&c." Verum, inquit, cum nomen Jansenistæ accipiatur *pro homine exotico*, *nec sanæ fidei*, illud tamquam contumeliosum & calumniam rejicimus.

Henricus Schreynmaker anno 1692. scribens contra Mechlimiensem Archiepiscopum, & quemdam ejus defensorem, in justificatione querelarum, pag. 41. " quid„quid superest adversario, ait, ut probet accusari posse, „aut saltem in suspicionem Jansenismi vocari eos, qui „nolunt dicere anathema doctrinæ Jansenii, est, quod „certum sit, non alia de causa eos nolle credere & fa„teri, quod 5. propositiones extent in libro Jansenii, „quam ut sustineant universam Jansenii doctrinam eo„dem sensu, quo ab illo tradita est; hoc ipsum est, quod „illi facilè concedimus. " Ubi aperte de suis fatetur, & tamquam si nihil in eo mali sit aut periculi, " facilè „concedit, quod sustineant universam Jansenii doctri„nam eodem sensu quo ab illo tradita est, & quod non „alia de causa nolint credere & fateri quinque propo„sitiones extare in libro Jansenii, " nempè sensu rectè condemnato; nam qui litteris hisce initialibus C. O. C. nomen suum expressit recens Autor Epistolæ secundæ

Apolo-

Apologeticæ linguâ Flandricâ contextæ pag. 12., dicitur: quandoquidem propositiones in libro Jansenii sen-„sum Catholicum possint habere ad aliquem insimulan-„dum hæreseos non satis est dicere, eum aliquam ex „5. damnatis propositionibus docere prout jacent in li-„bro Jansenii, sed oportet solidè demonstrare eum pro-„positiones istas sustinere in sensu, qui secundùm ob-„viam verborum significationem, & totius consensum „Ecclesiæ hæreticus sit."

Hic interlocutus Venantius sic assumebat; Atqui Theologi isti faciunt obviam verborum significationem quamcumque volunt, neque unquam agnoscent suum & Jansenii sensum damnatum esse; cumque putent se partem esse Ecclesiæ saniorem, (nam alios omnes declarant *esse Pelagianos*) nunquam probari ipsis poterit aliquem Jansenii vel ipsorum sensum esse hæreticum, quandoquidem ipsis dissentientibus, nunquam adfuturus sit *totius Ecclesiæ consensus.* Recte ais, inquit Ariovistus; unde efficitur, quod Theologi isti contemnant Constitutionem Innocentii X. datam anno 1653. pridie Cal. Jun. & Decretum ejusdem Pontificis 1654. 23. Aprilis, in quo sic haberur; " Sanctissimus D. N. Innocentius „Papa X. post condemnatam suâ Constitutione edita „cal. Jun. anni Incarnationis Dominicæ 1653. in 5. „propositionibus Augustini Cornelii Jansenii Episco-„pi Iprensis doctrinam, ne occasione doctrinæ prædi-„ctæ &c."

Non minus explodunt Constitutionem Alexandri VII. *Ad sacram*, in qua ita legitur; " Præinsertam In-„nocentii Prædecessoris nostri Constitutionem, declara-„tionem, & definitionem harum serie confirmamus, „approbamus & innovamus; & 5. illas propositiones ex „libro præmemorati Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, „cui titulus est Augustinus excerptas, ac in sensu ab eo-„dem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse defini-„mus, & declaramus, & ut tales, inustâ scilicet eâdem „singulis notâ, quæ in prædicta declaratione & defini-„tione unicuique illarum sigillatim inuritur, iterum „damnamus." Quid ad hoc recentiores Belgæ, qui se quasi

quasi antonomasticè vocant *Augustini discipulos*, alii *Jansenistas*? Petrus de Ligny in Epistola nuper detecta, " per„suasum habeo Episcopum Iprensem condemnatum fuis„se per factionem Molinianam. *Ibidem* credo Pontifi„ces nunquam dedisse clariora signa suæ fallibilitatis, „quam condemnando 5. propositiones in sensu à Jan„senio intento. *Ibidem* igitur sine ullo scrupulo volvo „omnes libros de Jansenismo agentes."

G. Prior S. Martini contra Archiepiscopum Mechliniensem, in Morali laxiore anno 1691. pag. 60." Jan„senius fuit fidelissimus interpres S. Augustini. Idem „pag. 53. si hoc Jansenizare est..... fatemur Jansenis„mum plus rei habere, quam sibi persuadeat, imo tot „pæne Jansenistas esse, quot S. Augustino studuerunt, „& legerunt librum Jansenii, cum pauci sint, qui sciant, „quid doceat S. Augustinus & legerint librum Jansenii, „quin convicti agnoscant Augustinum Iprensem eadem „loqui, eadem sentire, quæ Hipponensem."

Autor reflexionum Religionis & Status anno 1692. pag. 17." quidquid Alexander VII. declaravit circa hoc „factum mera fuit deceptio. Denique impressum folium, „sive Memoriale sanioris partis Theologorum Belgii da„tum 8. Januarii 1693. sic habet, confidimus, quod Sua „Sanctitas nunquam permissura sit exigi Formulæ sub„scriptionem, quo stante omnia hic commoverentur, „ac S. Augustini doctrina corrueret, cui genuinum Jan„senii sensum prorsus cohærere cuivis qui attentè ac „omnium partium studio deposito utrumque legerit, „obvium est."

Tum Venantius; Antea non memineram, inquit, habere me Panegyrim Jansenianam Pauli Aurelii, quam nunc aliquoties appellavimus. Oportet solummodo inspicere elenchum eorum quæ hoc opusculo continentur, ut appareat non recipi ab omnibus Theologis Belgis Bullas Innocentii X. & Alexandri VII. Hic elenchus autem ad calcem libri ponitur. Sectio 1. §. 2." „Res est moraliter impossibilis ut liber Jansenii conti„neat quinas hæreses. Sectio 11. §. 10. Omnia adver„sus Jansenium clandestinè gesta, solis partibus audi-

tis

„tis §. 11. variisque calumniis in auxilium vocatis §. 12. „Causæ Jansenianæ dirigendæ præfectus vir partium studio à vertice ad talos perunctus. §. 13. Qui & Consultores Molinæ faventes deligit. §. 14. Arcentur ab audientia Pontificia, qui pro Jansenio loqui volunt. §. „15. Imperator & Reges varii adversus Jansenium concitati §. 16. Hâc viâ propositiones damnatæ. §. 19. Examinatio propositionum sine ullo respectu ad Autorem „facta est. §. 20. Alexander VII. Propôsitiones damnatas asserit in sensu Jansenii. §. 21. At nullo examine „præeunte."

Hoc loco Ariovistus Elenchi seriem interrupit, aiens, vultne ergo Paulus Aurelius sibi potius fidem haberi, quàm Summo Pontifici Alexandro VII.? Hic in sua Constitutione *Ad Sacram* testatur se illi examini semper interfuisse & " eamdem causam Apostolicâ autoritate discussam esse eâ profectò diligentiâ quâ major desiderari non posset. " Tum arrisit Baccalaureus; id, inquit, *ad solarum propositionum excussionem referri debet*, ut in Prologo Galeato ejusdem Panegyreos Jansenianæ pag. 39. dicitur. Imbelle telum, inquit Venantius, & sine ictu! Nam cedo mihi, bone Baccalauree, nonne *eadem causa* referri debet ad illud cujus ante facta est mentio? Atqui ante facta est mentio non solarum propositionum, sed propositionum cum respectu ad Autorem, ut liquet ex his verbis; " Cum..... nonnulli iniquitatis „filii prædictas 5. propositiones vel in libro Cornelii „Jansenii non reperiri, sed fictè & pro arbitrio compositas esse, vel non in sensu ab eodem intento damnatas „fuisse, asserere.... non reformident. " Ergo quod declarat Pontifex, " eamdem causam discussam esse eâ diligen„tiâ, quâ major desiderari non posset, hoc" non ad solarum propositionum excussionem referri debet, sed ad excussionem propositionum prout respiciunt suum Autorem.

Id tibi demonstratum eo argumentis etiam aliis. Quid necesse est, inquit Venantius, solem juvare facibus? Revertamur ad Elenchum. §. 22. " Pontifices certò falli possunt in ejusmodi decisionibus. §. 23. Argumenta pro Jansenii (id est libri) innocentia. §. 25. Provo-

catio

catio ad Jansenii innocentiam demonstrandam," id est, quemadmodum in Paragraphi contextu dicitur, " ut ,,quis ostendat Augustinum Iprensem non jam in 5. famosis propositionibus, sed in una sola ab Hipponensi ,,Augustino vel terminis vel significatione disjungi. §. 27. ,,Mala ingentia quæ ex controversia Janseniana profluunt. §. 28. Cum tamen ista controversia nihil attineat ad fidem. §. 29. Fundamenta fidei, & remedium ,,controversiæ sopiendæ. " Illud autem remedium ponit *Verbum Dei scriptum & traditum*, non habitâ ullâ ratione Pontificiarum definitionum. Hinc sequentem §., qui est primus sectionis III. sic inscribit: *Remedia hactenus tentata* à Pontificibus, *malo imparia.* Deinde §. 3. & 4. ejusdem sectionis, statuit " bina ad pacem Ecclesiæ ,,necessaria, primò accuratam propositionum determinationem, secundò legitimam libri Janseniani pervestigationem. " Quasi verò ille liber jam satis à Sede Apostolica pervestigatus non sit, neque satis determinatæ ejus propositiones, quarum singulæ suis censuris inuruntur. Atque hæ sunt Paragraphorum inscriptiones, ex quibus quæ venena Paragraphis ipsis contineantur, facile est colligere. Hoc unum addo. Idem ille Paulus Aurelius de Formula jurandi ab Alexandro VII. præscripta ita pronuntiat in Prologo Galeato pag. 61. " Horreo, fateor, cum mente perpendo, viros, alioqui laxitati infestos, in jurationem adeò tetram & horrificam. . . . ." (quam tamen etiam ab Innocentio XII. in Brevi tum primo tum secundo præscribi contendit) " tam frivolis ,,obtentibus audere proruere.

Alia quàm plurima, inquit Ariovistus, in promptu sunt, sed dies me deficiet, si cuncta proferre voluero. Summa illa sit. Ex iis omnibus, quæ protulimus usque adhuc, efficitur cogiturque; Primò, Decreta Regia semper suffragata fuisse Decretis Pontificiis, atque imprimis Decreta nupera de non promovendis ad officia aut dignitates Jansenianæ doctrinæ sequacibus aut suspectis, iisque adhærentibus. Secundò, Jansenistas Decretis Pontificiis semper contradixisse, adeòque utrumque rectè assertum à P. Palazol, malâ fide negatum à Doctore Hennebel.

nebel. Tertiò, eundem Doctorem gravi & patente calumniâ onerare Regem & Regios Ministros, dum dicit suspensam ab eis fuisse Brevis Apostolici executionem. Quartò, ad domandos & Sedi Apostolicæ subjiciendos Jansenistas Bullæ Urbani VIII. pertinacissimè rebelles plurimum valuisse autoritatem & operam Regis Catholici, quemadmodum Duacenos nuper Jansenii defensores subegit pœnâ exilii Rex Christianissimus. Quintò, mirabilem esse Hennebelli in oppugnanda aperta & sibi nota veritate audaciam, dum citatâ longâ oratione Patris Palazol non veretur de ea dicere, quod sint *tot calumniæ, quot verba.* Quare singula verba hic repeto, ut ponderatis eis, quæ ex Cardinalis de Aguirre relatione ac judicio, uti & ex ipsis Novatorum libris toto hoc tempore citavimus, judicet vel ipse D. Baccalaureus, uter verum dixerit, Paterne Palazol an Doctor Hennebel. Ex Hispanico vertuntur hoc modo;" Nihil eorum, quæ „vel ab Innocentio X. vel ab Alexandro VII. decisa „sunt, suffecit, ut inflexibilis pertinacia istius factionis „abstinendum sibi duceret à defendendo tam in libris, „quam in publicis conclusionibus, quinque propositio„nes damnatas tamquam hæreticas in suo Jansenio, „adhibitis usque hodie variis effugiis, ut latiùs po„stea demonstrabimus, ut omnes videant, quâ reveren„tiâ Apostolicæ Sedi obediat ipsa factio, videantque „insuper an non sint Jansenistæ in mundo, an vero sint „tantum in phantasia, ut ipsi dicunt, suorum adversario„rum implacabilium. Hactenus P. Palazol."

Quid quæso, D. Baccalauree, pergebat Ariovistus, in hac tota oratione non verissimum est probatissimumque ex dictis? Neque hæc ignorare potuit Doctor Hennebellus: quippè qui quæ de illa materia traduntur, magis perspecta habet quàm ullus alius; & quamquam luculentis testimoniis probationibusque omni luce clarioribus vel in ipso Memoriali stabilita videat, putat tamen se uno levi halitu facilè omnia difflare, dicendo de tota oratione Patris Palazol; *Quot verba tot calumniæ.*

Tum Baccalaureus cristas arrigens, ista dicis, inquit, Arioviste, & interim argumentum quo Hennebellus

niti-

nititur, ne profers quidem. Est autem illud. Primò, ait Hennebellus; "Theologos quorum partes agit Do-„ctor Hennebel, factionem appellat, ac si illi con-„tra Apostolicæ Sedis Decreta conspirassent. Eos dicit „sprevisse & elusisse Constitutiones Innocentii X. & „Alexandri VII., cum eas, mox ut prodierunt, sine „ulla prorsus tergiversatione amplexi sint..... Secundò, „illa de quinque propositionibus contentio non in Bel-„gio, ac multo minus mota fuit in Academia Lova-„niensi, in qua ad gradus Theologicos nemo admitti-„tur, quin prius propositiones illas condemnet.... Ter-„tiò, confidenter affirmo, quod si omnes pari cum Bel-„gis veneratione Constitutiones Innocentii X. & Alex-„andri VII. amplectantur, si quinque propositiones à „Pontificibus illis damnatas rejiciant, Brevibus Apo-„stolicis ad Belgii Episcopos missis sese conformare pa-„rati sint, manifestum esse nullos in mundo dari Jan-„senistas, nec eos reperiri, nisi in phantasia quorum-„dam hominum, quorum interest phantasma in mun-„do fovere." Vix Baccalaureus hæc ex Hennebelliano scripto recitaverat, cum Ariovistus dicit.

Respondeo ad primum, vel inter Theologos, quorum partes agit Hennebellus, sunt etiam isti quos oppugnat Cardinalis de Aguirre supra, & sunt recentiores quorum vidimus sententias adeò oppositas Constitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII., vel non sunt inter illos: si sint, desideramus & enixè supplicamus, ut Sedes Apostolica judicet, utrum Autores isti obedientiam, quam alibi profitentur, signatè non destruant: si non sint inter illos, frustra qualemcumque eorum obedientiam Hennebellus allegat, ad excusandam aliorum pervicaciam.

Ad secundum respondeo; si nulla fuerit in Belgio mota contentio de 5. propositionibus, ubinam igitur terrarum sunt, vel fuerunt Theologi à me & Venantio jam citati? Nunquid Belga erat Eugenius de Gelder Brugensis, cujus ordo & familia notissima sunt in Belgio? Nunquid Belga est, in Belgio studuit ac docuit Petrus de Ligny? Nunquid Jacobus Gilbert Belga est;

&

& apud Patres Oratores tum Bruxellis, tum Lovaii versatus, aliquanto pòst Professor Theologiæ & Cancellarius creatus est Universitatis Duacenæ sitæ in Belgio? Dein omnes illos Anonymos & Pseudonymos scriptores contra Archiepiscopum & Dominum Steyaert; quis dicat non Belgas aut extra Belgium esse? Imo longè verisimilius est vix aut ne vix quidem unum ex supra memoratis libellis extra Belgium esse compositum; nisi fortè Leodii, quod quasi pro Belgio in hac causa reputatur, cum illic Lovaniensis Universitas suum habeat dominatum, & si quid illic Theologorum à Jansenio non abhorrentium est, vel ex illa Universitate proficiscatur, vel suos Lovanii agnoscat confœderatos. Sed de Autoribus disputabimus postea accuratius magisque copiosè. Interea, D. Baccalauree, negare non potest Hennebellus, quin excepto uno fortè alterove, omnes illi quos Cardinalis de Aguirre longo ordine recenset totâ disputatione 21. integris 5. sectionibus, fuerint Belgæ, vel saltem in Belgio habitaverint, & plerique Lovanii Omnes illas Theses & infames libellos contra Constitutiones Innocentii X & Alexandri VII. editos, si Doctor Hennebel conciliare possit cum jurejurando Lovaniensium, fatendum necessariò est, jusjurandum esse chimericum, damnari à Lovaniensibus merum phantasma, & cum jurejurando Tridentini consistere defensionem totius doctrinæ & sensus Calvini.

Ad tertium respondeo non minus confidenter magisque quam adversarius veraciter; Quod si omnes Belgæ non aliâ veneratione Constitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. amplecterentur, quàm amplectuntur illi in Belgio scriptores, quorum retulimus sententias, quæ sunt veri istarum Constitutionum contemptus; respondeo inquam, tunc prædictam à Doctore Hennebello venerationem earumdem Constitutionum non fore in Belgio, nisi in quorumdam nimis credulorum phantasia, & in lingua illorum, *quorum interest phantasma* ejusmodi *in mundo*, præsertim Romæ *fovere*, ne remedia magis efficacia ad Jansenismum extirpandum statuantur, & reapse applicentur. Si etiam Belgæ isti Brevia

Apo-

Apoſtolica non aliter recipiant, nec intelligant, quàm congruenter ad ea quæ ſcribunt de Apoſtolicis Conſtitutionibus per Brevia illa confirmatis, ut eos intelligere veriſimillimum eſt; nihilo plus, id eſt, nihil prorſus probationis habet Hennebellus ex tali Brevium receptione, quo homini rationis compoti perſuadeat ſuorum erga S. Sedem obſervantiam & doctrinæ integritatem. Porrò quod primum Breve, quantumvis in ſe bonum & efficax, rebelles adeò non reduxerit ad meliorem frugem, ut nunquam malitioſius & inſolentius S. Sedi ejuſque Conſtitutionibus inſultaverint, patet ex nova editione Baii cum notis & vindiciis, ex libris Ignatii Eykenboom, D. Germain, Martini du Cheſne, Abbatis du Manoir, Pauli Aurelii, & reliquis, quorum alii poſt primum, alii etiam poſt ſecundum Breve in lucem prodierunt. Certe Paulus Aurelius in jam ſæpè nominato Prologo pag. 59. & ſeqq. utrumque Innocentii XII. Breve manifeſtiſſimè impugnat, tamquam ſummè injurioſum Janſenio.

Denique, proſequebatur idem Arioviſtus, memor ſit D. Hennebel, quod etiamſi viderentur omnes admittere & obſervare tum Conſtitutiones Innocentii X. & Alexandri VII., tum Brevia Innocentii XII. ad Belgii Epiſcopos, ita tamen ut proculcarent Bullam Urbani VIII. *In eminenti*, ſicut eam proculcant Belgæ citati antea, non propterea Janſeniſmus foret phantaſma; ſed juxta Breve Urbani VIII. ad Franciſcum de Mello Gubernatorem Belgii anno 1643. 24. Octobris adhuc forent licet ſenſu minus ſtricto Janſeniani. Sic ibi Pontifex declarat; " Etenim nos exiſtimationi Janſenii pro-„ſpicientes, ejuſmodi publicatione per id temporis ſpa-„tium ſuperſederi mandavimus, eâ ſpe freti, ut Jan-„ſeniani Apoſtolicis Decretis, quæ ante vulgata fuerant, „tandem acquieſcerent, nunc quorumdam contuma-„ciam eò proceſſiſſe &c. " Videt hic D. Hennebel fuiſſe *Janſenianos* etiam antequam 5. propoſitiones eſſent ex Janſenii libro excerptæ, & ab Innocentio X. damnatæ, ſed quidquid ſit de voce, non deſineret contemptus ille conſtitutionis Urbanianæ eſſe " malum vertens „in ſcandalum totius Reipublicæ Chriſtianæ & Fidei Ca-

„tholicæ perniciem. " Ita nos & Ecclesiam universam solicitè monet & docet Urbanus VIII. Bullâ *In eminenti.*

Longa, exclamat Venantius, gravis, pathetica & summo autoritatum robore firmata oratio, cui Hennebellus numquam respondeat! An tu D. Baccalauree, habes quidpiam quod opponas? Non est cujusque, respondet Baccalaureus, Ariovisti dicta ex tempore refellere. Respondendo par est Doctor Hennebellus, cui facerem injuriam, nisi significarem quod hic addat suorum *gesta falsò & calumniosè à Patre Palazol referri.* Sed Hennebellus, reponit Venantius, Patrem illum calumniari vel errare, ne in minimo quidem hactenus apice ostendit. An itaque fides sine ulla probatione debetur ei, qui passim fallere deprehenditur? Utut est, Hennebelli verba audiamus. Tum ejus verba prælegit Baccalaureus, & hæc sunt; In hoc ipso §. " quædam dicuntur „de rebus autoritate Regiâ gestis in causa Baii, sed quæ „ad controversiam nostram non spectant; fateri debet „ipse Pater Palazol, quod in tota causa illa Baii irre„prehensibiliter se gesserit Facultas Theologica, quæ „Graduandis præcepit, ut articulos à Pio V. damnatos „damnarent. Quod cum præstiterint omnes Belgii Theo„logi, qui de Jansenismo notantur, manifestum est ea „ineptè allegari ad conflandam illis invidiam."

Posthæc Venantius Baccalaureum sic aggreditur; cur, obsecro, " res autoritate Regiâ gestæ in causa Baii ad „controversiam nostram non spectant? " Jam audisti, inquit Baccalaureus, ab Hennebello assignari rationem; nempè, quia " in tota causa illa Baii irreprehensibiliter „se gessit Facultas Theologica, quæ Graduandis præce„pit, ut articulos à Pio V. damnatos damnarent. "

Sed quandonam, rogat Venantius, id præcepit Facultas Theologica? Sub Pio V.? An sub Gregorio XIII., postquam hic ad infringendam refractariorum contumaciam, Bullam Pii V. rursus edere & novâ Constitutione confirmare debuit, & ad obtinendam ejus executionem destinare ex Urbe Lovanium Concionatorem suum Franciscum Toletum, dein S. R. E. Cardinalem? Nonne Bajus ipse erat de Facultate Theologica Lovaniensi Doctor Theologiæ ac Professor, imo Universi-

tatis

tatis Cancellarius? Quàm Bajus ille antequam à Toleto revocaretur ad frugem, fuerit irreverens contemptor Bullæ Pii V., clarissimè demonstrat ipsius Baii Epistola ad eundem Pontificem data 8. Januarii 1569. ubi post multa contumeliosissimè & audacissimè dicta non veretur Pontificem interrogare, velitne Bullam hanc tamquam legitimam, ac sufficienter discussam habere, an tamquam subreptitiam & per quosdam bonorum Virorum æmulos importunitate magis & arte, quàm ratione obtentam. Hæc Epistola hactenus, quantum scimus, solum extabat manuscripta, imo in Archivo fortè uno alterove latebat ignota, donec nova factio videns tam bene sibi succedere defensionem libri & totius doctrinæ Cornelii Jansenii, etiam Epistolam illam cum ceteris Baii operibus imprimi nuper curavit, & universam Baii doctrinam contra Bullas Pii V., Gregorii XIII. & Urbani VIII. ex professo defendit *notis & vindiciis* verè pestilentibus, Sedique Apostolicæ injuriosissimis.

Et quidem olim tempore Baii, adjungit Ariovistus, postquam ipse & tota Academia Lovaniensis, professione solenni & publicâ coram Toleto articulos Baii damnaverat, eosdem tamen etiam tum Lovanii inter Theologos clam sparsos esse, constat ex Epistola Henrici Gravii Doctoris Lovaniensis de hoc apud Bajum & contra ipsum graviter conquerentis. Epistola hæc nuperrimè typis edita est à Martino Steyaert Doctore Lovaniensi & Diœcesis Silvæducensis Vicario Apostolico.

Insuper quis lippus, inquit Venantius, quis tonsor, quis controversiarum Belgicarum utcumque gnarus nesciat cavillationem de famoso commate semper in Belgio fuisse grassatam? His dictis, in manus accepit librum Cardinalis de Aguirre, de defensione Cathedræ S. Petri. En, inquiebat, Cardinalis de Aguirre in defensione jam toties allegata disp. 20. sect. 1. num. 7. hanc cavillationem scribit esse ejusmodi, ut juxta eam " nulla ex propositio-„nibus Baianis in singulari esset, quæ impunè defendi „non posset in rigore, & proprio verborum sensu, un-„de irrita prorsus & incassum lata esset ea Constitutio." Ibidem num. 3. " hanc exceptionem, inquit Cardinalis, „seu potius cavillationem invenit primus omnium ipse

„Bajus, qui tamen poſtea illam retractavit in ſua pali-
„nodia ad Gregorium XIII., verum eam inſtauravit po-
„ſtea Janſenius ipſius Baii auditor, quem laudat & ſequi-
„tur Janſenius libro 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 27.
„Eidem cavillationi ſubſcripſerunt faſti Academici Lo-
„vanienſes editi à Valerio Andrea pag. 366. Quin etiam
„ipſa Academia Lovanienſis in eo ſenſu Conſtitutionem
„illam interpretata eſt, tum olim ab initio ferè, tum
„poſtea in actis die 4. Decembris 1641. ut habetur in
„atteſtationibus editis pro Janſenio pag. 65. & ſeqq.,
„quibus per omnia ſubſcribunt alii, & præſertim Ma-
„carius Havermans in tyrocinio Theologiæ &c." Hi omnes, quos Cardinalis notat, Belgæ ſunt, omnes *Theologi Lovanienſes.* Fueruntne hi omnes in cauſa Baii *irreprehenſibiles*? damnaruntne ut oportet, *omnes articulos à Pio V. damnatos?* Ita nobis, reſpondet Arioviſtus, contra veritatem tam manifeſtam perſuaſum vult D. Hennebellus.

Præterea, inquit Venantius, nunquid Belga & Facultatis Theologicæ Lovanienſis Doctor erat Janſenius, qui poſtquam ab annis 70. fulminata à Pio V. & mox à Gregorio XIII. fuerat doctrina Baii, eandem reſuſcitavit in ſuo *Auguſtino*, & ut teſtatur Urbanus VIII. "
"magno cum Catholicorum ſcandalo, & autoritatis di-
„ctæ Sedis contemptu contra præfatas damnationes de-
„fendit."

Nunquid Theologi Belgæ erant, & quidem Lovanienſes, qui Janſenii librum approbare pertinaciter pertexerunt, poſtquam declaratus eſt multas ex propoſitionibus damnatis à Pio V., Gregorio XIII., & Urbano VIII. defendere? Nonne Theologi Belgæ & Lovanienſes erant, qui ſub nomine Academiæ Lovanienſis ad Academiam Pariſienſem an. 1644. 10. Martii ita ſcripſerunt; " Non ſine magna admiratione, & animi
„noſtri dolore ex litteris quorumdam apud vos Reli-
„gioſorum nuper audivimus, Bullam à Theologis So-
„cietatis adverſus Reverendiſſimum Dominum Epiſ-
„copum Iprenſem Romæ extortam, & tot nominibus
„ſubreptitiæ & doloſæ impetrationis ſuſpectam, non ſo-
„lum vos recepiſſe, ſed etiam ad damnationem quo-
rumdam

„rumdam articulorum, qui in Auguſtino illius Reverendiſſimi explicantur, inclinare, aut jam damnaviſſe, „quod tamen poſtremum, ubi ingenium, ſolertiam, do„ctrinam, prudentiam tot illuſtrium virorum, ex qui„bus Academiæ veſtræ cœtus componitur, cogitamus, „credere non poſſumus: ergone poſt tot veterum tem„porum pugnas & victorias ſacroſancta S. Auguſtini „doctrina, tandem victa ſuccumbet, & quæ aſſultu to„ties dejici non potuit, jam ſuffodietur cuniculis? Non „ſinat Deus, Perilluſtres & Eximii Domini, ut ſic diſſi„petur hereditas Verbi incarnati, & patrimonium Cruci„fixi. Certe nos hic nequidem Bullam illam recepi„mus."

Quatuor annis poſt, nempe 1648. Lovanienſes urſerunt Facultatem Theologicam Duacenam, ut tum per litteras, tum per deputatum Doctorem *Recht* ſibi adhæreret: verum hæc Facultas per litteras datas 9. Decembris ejuſdem anni ſic reſpondit, "Impleviſſet gau„dium noſtrum Eximius & admodum Reverendus De„putatus veſter, ſi nuntius fuiſſet certior, quod diſſen„ſiones omnes pro Auguſtino Janſeniano ſopitas eſſe „velitis, cum hoc unum ſuperſit ad integerrimam in„ter nos concordiam... Confratres Eximii, omnibus votis „optamus, ut id ipſum malum nomen, infauſtiſſimum „certè Belgii omen, teſtimoniis certioribus eluatis."

Jacobus Boonen Archiepiſcopus Mechlinienſis præcipuus Janſenii defenſor rationem pertinaciæ ſuæ ſic palam reddidit anno 1649. in ſcripto typis edito. "Qui, „inquit, librum Janſenii probarunt, hi aliis & nu„mero & autoritate longè ſunt ſuperiores in mea Diœ„ceſi." Eam Urbani VIII. Bullam nullam eſſe, & „invalidam prorſus non dubitant." Lovanium autem eſt in Diœceſi Mechlinienſi, atqui cauſa damnati libri Janſeniani ab Urbano VIII. allegabatur, "quod multas pro„poſitiones à Pio V. & Gregorio XIII. contineat, & ma„gno Eccleſiæ ſcandalo, & S. Sedis contemptu contra „præfatas damnationes & prohibitiones defendat."

Denique quæ excogitari poteſt major Bullarum Pii V., Gregorii XIII., Urbani VIII. contemptio, quam

ea quæ omnibus inſpicientibus pateſcit manifeſtiſſimè in notis & vindiciis operum Baii nuper editis, uti & in Ignatio Eyckenboom, in Martino du Cheſne, & Autore difficultatum propoſitarum Domino Steyaert, ac pluribus aliis, quos omnes libros ut Lovanii diſtractos, ita & in Belgio editos eſſe veriſimillimum eſt, licet plerique nomen Colonienſe mentiantur. Certè, inquit Arioviſtus, opera Baii in Belgio edita eſſe, & quo loco, nunc detectum eſt, uti & quis Ignatius Eykenboom. Id novi & ego, ſubdit Venantius; & quod ad opera Baii attinet, ea etiam in Belgio non ſine plurium conſpiratione edita eſſe, argumenta probant nec pauca nec levia: & quidem unde habitæ ſint tot litteræ manuſcriptæ, tot inſtrumenta, quæ hactenus edita non erant, ſed latuerant in Archivis Lovanienſibus? Hæc omnia primùm lucem viderunt anno 1696. juncta prioribus Baii operibus. Quid tibi nunc videtur D. Baccalauree? Nonne ex hactenus dictis evidens eſt, in tota Hennebelli objectione micam ſinceritatis non eſſe?

Hîc cum Baccalaureus hæreret piſce mutior, placuit Arioviſto quaſi rerum ſummam ſubducere: ſic itaque pronuntiabat; evidens eſt. Primò, non fruſtra egiſſe Regem pro extirpatione doctrinæ Michaëlis Baii à Sede Apoſtolica condemnatæ. Secundò, illa ad controverſiam quam maximè ſpectare. Tertiò, " Facultatem „Theologicam Lovanienſem " nec totam, nec ſemper in ea cauſa fuiſſe irreprehenſibilem. Quartò, juramentum illud Graduandorum, quo ajunt ſe recipere Bullas Pii V. & Gregorii XIII., nec non damnare articulos illos damnatos, vel non conſtitutum fuiſſe tempore Baii & ab omnibus petitum (idem dici poteſt de tempore Urbani VIII. & primis annis Innocentii X.) vel reſpectu plurimorum *fuiſſe negotium ambulans in tenebris*; ita ut ignoraverint, vel certè ignorare voluerint, quid jurarent. Si Ignatius Eykenboom, ſi Autores nuperæ editionis Baii, & ſimiles Theologi juramentum illud præſtiterint, quo ſenſu illud intellexerunt? Potueruntne jurare in ſenſu obvio? Velim ab Hennebello de hoc èdoceri, forte hinc colligere poterimus, quis Hennebelliaſ

nis

nis Theologis, sit sensus obvius Formularii Alexandri VII. contra 5. propositiones.

De hoc, ait Venantius velim & ego edoceri. At ecce horologii index signat meridiem. Serius jam est, quàm ut materiam aliam inchöemus. Igitur corpori tribuamus aliquid, sub vesperam repetituri pulverem.

DISSERTATIO VI.

De integra conformitate Decretorum Regis nostri Caroli II. cum Brevi S. D. N. Innocentii XII.

TRes illi Pugiles præceperunt statum tempus certandi, & citiùs sese in æstu certaminis deprehenderunt, quàm se arma cepisse animadverterent. Classicum cecinerat imprudens Baccalaureus, qui cum duo aliqua, de quibus fors inciderat sermo, vellet significare maximè pugnare inter se, dixit ironicè; Tanta inter illa duo consensio est, quanta inter Decreta Regia Caroli II. & Breve Pontificis Innocentii XII. Ad hoc tantùm non exarsit Ariovistus, quid? Inquit, inter Regis Decreta & Breve Pontificis nulla est consensio, nulla conformitas? Inspice quid Memorialis Autor dicat vel in ipso §. 4. titulo.

Fallit iste titulus, reponit Baccalaureus satis inhumaniter. Doctor Hennebellus de toto §. ita pronuntiat; " „Multa ibi exaggerat, permiscetque Pater Palazol, quæ „non ad exponendum genuinum controversiæ statum, „sed ad fucum faciendum spectant." Ariovistus fatebatur quidem hoc ita à Doctore Hennebello pronuntiari; sed nullam aiebat afferri probationis speciem aut simulacrum.

Imo, addebat, quicumque textum Patris Palazol inspicere gravatus non fuerit, ei clarum erit atque perspicuum, Patrem illum quod in titulo promittit, optimè in contextu paragraphi demonstrare, & refellere omnes Hennebelli aliorumque contra Regis Decreta ca-

lumnias. Tum dixit Baccalaureus; tu, Arioviſte, textum Patris Palazol appellas; ego verò appello textum Doctoris Hennebel, qui ſic habet; " Si rectè Majeſtatem Suam informare volebat de ejus Decretorum cum „Brevi Apoſtolico conformitate, ante omnia exponere „debebat quid præcipiat Breve Pontificium. Vidiſſet Sua „Majeſtas in hoc Brevi à Sua Sanctitate confirmari „Conſtitutiones Innocentii X., Alexandri VII., Epiſ„copiſque mandari, ut contra omnes, & quoſcumque „cujuſlibet ſtatûs, gradûs & conditionis exiſtant, qui au„ſu temerario prædictas 5. propoſitiones ſic damnatas in „Conſtitutione Innocentii X. & Alexandri VII. publicè „vel privatim, tam in ſcholis, quàm in concionibus „verbo vel ſcripto defendere præſumpſerint, ſervato juris „ordine procedant, eoſque debitis pœnis in eiſdem Con„ſtitutionibus contentis puniri curent. " Hæc enerva, Arioviſte, ſi potis es.

Arioviſtus autem, quo magis inſoleſcere Baccalaureum animadvertebat, eo conabatur reſpondere ſedatiùs. Ut, inquiebat, Pater Palazol rectè " informaret Majeſtatem „Suam de ejus Decretorum cum Brevi Apoſtolico con„formitate, " non neceſſum erat ei recitare totum Breve Pontificium, ſed eas dumtaxat partes, contra quas peccare eadem dicebantur Decreta, quorum defenſionem ſuſceperat Pater Palazol oſtendendo ea ne in ullo quidem apice contraria eſſe Brevi Apoſtolico. Ordinatè autem diſtinctèque procedit idem P. Palazol declarando occaſionem, ac neceſſitatem hujus defenſionis ortam eſſe ex gravi calumnia à Doctore Hennebel impacta Regiæ Majeſtati & ejus Miniſtris quaſi inobedientibus Brevi Apoſtolico Innocentii XII. Pontificis Maximi, " non modò non curando, ut ei obediatur, ſed „etiam mandando contrarium. " Ad convincendam hanc calumniam profert primò verba Brevis, contra quæ dicuntur Decreta Regia delinquere. Verba autem Brevis hæc ſunt. " Ne ulla ratione quemquam vagâ iſtâ „accuſatione & invidioſo nomine Janſeniſmi traduci „aut nuncupari ſinatis, niſi priùs ſuſpectum eſſe legiti„mè conſtiterit aliquam ex his propoſitionibus docuiſſe

aut

„aut tenuisse, nec quemquam sub hoc prætextu repelli „ab officiis, muniis, beneficiis, gradibus, ac concio„nibus habendis, aut alia quacumque functione Eccle„siasticâ permittatis, nisi servato juris ordine, eam pœ„nam, quæ viris alioquin Catholicis gravissima est, com„meruisse probatum fuerit."

Dein ostendit Regem in suis Decretis nullo modo procedere, neque decernere, ut procedant Episcopi ex accusatione vaga, longè quæsito Jansenismi obtentu, aut suspicione levi & temeraria, neque Rex in suis Decretis quemquam " invidioso nomine Jansenismi tra„ducit, sed neque nuncupari sinit, nisi priùs suspectum „esse legitimè constiterit &c." Decernit, inquit Baccalaureus, ut *Jansenistæ*, quicumque illi fuerint, vel de " „Jansenismo suspecti, & illis adhærentes excludantur in „nominationibus ad officia vel beneficia deinceps con„ferenda;" Venantius confestim respondit; non eo quidem inficias, sed in hoc nihil adversatur sanctioni Pontificiæ.

Primùm, inquit, quia Rex non jubet excludi eos qui temerè suspecti habentur, verum qui legitimè: quippè qui temerè tantum suspectus est, is *suspectus* simpliciter in jure non dicitur, & suspicio temeraria pro nulla reputatur. Sitne aliquis velut suspectus excludendus negativè, seu non promovendus, stare vult non famâ levis vulgi, sed suffragio Reverendissimorum & Religiosissimorum Episcoporum, quos in suspicando temerarios esse præsumendum non est; & quorum judicio Rex in similibus acquiescere poterit, quasi eorum, quos " „Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei."

Tum sapienter animadvertit P. Palazol discrimen inter meram exclusionem negativam, seu non promotionem ad officium indebitum & repulsam seu exclusionem positivam, quæ est dejectio à gradu jam acquisito, seu privatio, & spoliatio beneficii jam possessi, ita ut quis jus acquisitum habeat. Prior exclusio non est propriè pœna, sed mera negatio beneficii indebiti, ad quam non requiri intentationem litis, multo minus convictionem judicialem, certum est apud omnes etiam practicè. De hac

sola

fola exclufione Regem agere ex ipfis Decretorum verbis clariffimùm eft. Neque minus clarum eft, quod Pontifex, ubi in Brevi *ad repellendum quemquam ab officiis &c.* requirit probationem *fervato juris ordine*, agat de *repulfa* feu *exclufione pofitiva*, cum hæc fola propriè pœna fit; de pœna autem eaque graviffima exprefsè Pontifex loquatur. Atqui nufquam Rex permittit etiam Epifcopis, ut quemquam à gradu & jure acquifito *repellant*, aut aliâ *pœnâ* afficiant, nifi " eam commeruiffe „fervato juris ordine probatum fuerit."

Tertium denique cum, ut fatetur Doctor Hennebel, in hoc " Brevi à Sua Sanctitate confirmentur Conftitu„tiones Innocentii X. & Alexandri VII.," huic confirmationi prorfus conforme eft Decretum, quo Rex prohibet, ne Conftitutionum illarum tranfgreffores, imo & qui de tranfgreffionibus fufpecti funt, promoveantur ad officia & dignitates. Sic ad ejufdem Brevis executionem facit, quod Rex prohibet Magiftratibus fecularibus, " ne ullos ad fe recurrentes Ecclefiafticos, „quos Epifcopi propter mores aut doctrinam aggreffi „fuerint, vel deinceps aggredientur, recipiant, neve fe „iis immifceant, aut ullâ ratione præftent patrocinium „&c." Cum enim, ut ait Doctor Hennebel, in " Bre„vi Epifcopis mandetur, ut contra omnes, qui aufu te„merario prædictas quinque propofitiones, fic damna„tas in Conftitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. „defendere præfumpferint, falvo juris ordine procedant „&c." Valdè conveniens, imo neceffarium fuit, ut Rex talem reorum receptionem, ac protectionem fecularibus Majeftatibus interdiceret: nam quomodo Epifcopi contra reos procederent *fervato juris ordine*, quando à Magiftratibus, ad quos talis caufa non pertinet, impedirentur?

Dixerat hæc Ariovistus, cum eum Venantius ita alloquitur; tua illa perpetua tamque gravibus fententiis diftincta oratio, Ariovifte, me mirificè recreat, & penitus enervat quæ ab Hennebello objiciuntur: non enim quifquam adeò fungus eft, ut ex his non concludat, Doctorem Hennebel calumniatum effe. Primò, cum dicit

dicit in ſuo priori Memoriali ad Pontificem, "Regiam „Majeſtatem non tantum non curaſſe, ut Breve Pon„tificium executioni mandaretur, ſed etiam imperaſſe „prorſus contrarium." Secundò, cum ibidem dicit " „Decretum Hiſpanicum oppoſitum Decreto Suæ San„ctitatis dare veniam Epiſcopis, ut contra omnes ſuſ„pectos de Janſeniſmo procedere poſſint pro arbitrio."

Non mihi, inquit Arioviſtus, hæc tribuenda laus eſt, verum doctiſſimo P. Palazol, qui primus iſta omnia, in ſuo ad Regem Memoriali tam eruditè diſtinctèque poſuit ob oculos ad Hennebellum de calumniis convincendum. Et tamen, ſubdit Venantius, ad tam manifeſtas calumniarum ſuarum convictiones, ne verbum quidem reſpondet D. Hennebel, ſed magnâ facilitate ſe omnibus expedit; dicendo, " Patrem Palazol ibi multa „exaggerare & permiſcere, quæ non ad exponendum „genuinum controverſiæ ſtatum, ſed tantum ad fucum „faciendum ſpectant."

Sic eſt, Venanti, Arioviſtus reponit; at verò ut ipſemet fateris, & negare non audet D. Baccalaureus, cuique legenti paragraphum Patris Palazol perſpicuum eſt, nihil illic afferri, niſi ad ſcopum in titulo propoſitum apprimè pertinens: ſed nodos, quos adverſarius videt ſolvi non poſſe, putat hac ratione diſcindi. Quæ verò in ulla cauſa vel ſcientia poterit demonſtratio eſſe tam clara, quæ hâc eludi reſponſione non poſſit? Vel hoc profectò *eſt fucum facere*, vel neſcio quid *fucum facere* tandem fiet? Sed videamus jam quid Hennebellus obganniat præterea.

Ita habet, inquit Baccalaureus. Tibi ego, D. Baccalauree, inquit Arioviſtus, haud ſatis fido. Vereor profectò, ne quid ipſius textui addas vel demas; quare ſine, ego potiùs legam vel Venantius. Ne quid infideliter legam, ait Baccalaureus, ſatis invigilat Venantius, qui mihi legenti ſemper adſtat à tergo & ſingula luminibus perſequitur. Poſtquam hîc omnes modicè riſiſſent, lectus à Baccalaureo eſt ſubſequens Hennebelli textus; "Erat „tum Patris Palazol exponere Suæ Majeſtati, quomo„do præfati Epiſcopi, ne quidem contra unum Belgii

Theo-

,,Theologum hactenus processerint juxta normam Bre-
,,vi Apostolico præscriptam, cum tamen innumeri de
,,Jansenismo coram Majestate Sua quotidie accusentur;
,,quoties nempè officium aliquod, vel seculare, vel Ec-
,,clesiasticum vacare contingit. Cum non ignoret Ma-
,,jestas Sua Belgii Episcopis zelum non deesse persequen-
,,di Jansenistas; si qui darentur, mox videret. Præ-
,,fati Episcopi non audent contra ullum servato juris
,,ordine procedere, quia desperant, re maturè examina-
,,tâ, Jansenistam ullum reperire. Quod si inter innume-
,,ros, qui accusantur, ne unus quidem reperiri potest,
,,qui de Jansenismo legitimè convinci possit, nemo est
,,qui non videat quod sit insulsa hæc Jansenismi accu-
,,satio, & Decreta quæ phantasmata ejusmodi feriunt,
,,non bono, non quieti populorum, sed turbandis tan-
,,tum permiscendisque omnibus servire posse. Talia au-
,,tem sunt Decreta, quæ à Catholica Sua Majestate ex-
,,torserunt ii, qui cum Jansenistam unum compellare
,,coguntur, vel obmutescunt, vel si nominent, ita mox
,,confunduntur, ut obmutescere cogantur. Nominavit
,,Doctorem Henuebel Mechliniensis Archiepiscopus,
,,sed nominare deinceps desinet, nisi obstrepere velit
,,Apostolicæ Sedi, quæ aliter censuit suumque de illo
,,judicium tam Catholicæ suæ Majestati, quàm Sere-
,,nissimo Bavariæ Duci innotescere voluit. Sufficere id
,,debebat Patri Palazol, ne cum toto hoc suo Memo-
,,riali aggregare auderet pertinacissimæ factioni contra
,,Apostolicam Sedem rebelli." Hæc omnia, inquit Ariovistus, quàm iterum vitrea sunt, quàm straminea! Quid ergo? Reponit Baccalaureus; an Belgæ Episcopi vel contra unum Theologum unquam processerunt secundùm juris ordinem, ad eum de Jansenismo convincendum?

Viri dignitate conspicui, respondet Venantius, imo etiam Lovanienses obtulerunt nuper ita procedere adversus D. Opstrate, D. Vander Schuer, D. Claes. Sed omnes tres istam aleam subire detrectarunt. Novi, dicit Ariovistus, verum nolim tam parcè cum D. Baccalaureo agere. Eapropter demus illi, Episcopos non ita proces-
sisse

fiſſe hactenus. Quin imo addam ego eos veriſimiliter ſic proceſſuros nunquam, niſi aliunde remedium adhibeatur. Et verò cur ita procederent? Sciunt certò ſe ne unam quidem litem ad felicem perducturos exitum, etiamſi non centeni ſed etiam milleni forent in Belgio Janſeniſtæ. Imò quo plures futuri ſunt, eo minus poterunt *ſervato juris ordine* convinci. Etenim ſi vel minimum quid contra eorum quempiam fiat, ſtatim tota commovetur factio, quæ cum ſit tam potens, tot fulta patrociniis in Magiſtratibus ſecularibus, tot artibus & calumniis inſtructa, tam furibunda in quemlibet adverſantem, nemo privatus audet contra eam accuſatoris partes ſuſcipére, nemo in judicio contradictorio teſtari. Quod ſi qui Religioſi, aut viri omni invidiâ ſuperiores, de iis quæ in concione audiverint, teſtentur, habent concionatores ex ſuis auditoribus ordinariis devinctos ſibi aliquos & adhærentes, à quibus teſtimonia oppoſita accipiant, quemadmodum facile eſt ſententiam vivâ voce prolatam in alium ſenſum convertere, modò vocula una alterave addatur vel omittatur. Accedit quod novæ ſectæ præcones plerumque & cautiores ſint, quàm ut errores ſuos palam eâ exponant claritate, ut de erroneo ſenſu convinci poſſint, præſertim ubi Religioſos vel ejuſmodi adeſſe conſpiciunt auditores à quibus queant accuſari. Multiplices etiam artes Novatoribus ſunt ac variæ, ut legitimi ſuperioris ſui judicium ſubterfugiant, eum involvant ſumptibus inutilibus, moleſtiis fatigent, & litem protrahant in infinitum.

Arioviſtus, D. Baccalauree, nondum enarravit omnia, ſubjungebat Venantius; Jus Canonicum, (ut noſti) requirit tres ſententias conformes. Jam verò priuſquam ad unam perveniatur, norunt ſagaces homines & verſipelli quâdam mente præditi interjicere quædam incidentia, quæ tribus diſtinctis Tribunalibus ſucceſſivè tribus ſententiis conformibus terminari debeant. Interea ex uno incidenti movetur aliud atque aliud. Accedunt recuſationes quorumdam judicum ut ſuſpectorum, qui ſi ſuſpectationem velint quaſi injuſtam repellere & ſibi indecoram, en litem novam & principalis

cau-

causæ suspensionem, adeò ut contra ejusmodi cavillationes nulla sit causa tam liquida, cujus felicem exitum Episcopus sperare possit umquam. De hoc in variis casibus ad excessus alios ejusdem factionis pertinentibus edocti sunt; præcipue verò de frequenti refractariorum ad Tribunal seculare, tamquam ad sacram anchoram recursu. Quapropter Belgii Episcopi, ut juxta Breve Apostolicum Innocentii XII. possint procedere *servato juris ordine*, & finem consequi à Beatissimo Patre intentum, pacem scilicet, tranquillitatem ac salutem suarum Ecclesiarum, quæ nisi detectis, convictis, & convenienti castigatione emendatis & expulsis novitatum disseminatoribus, nunquam obtinget, summis votis expetunt memoratum Ministrorum Regiorum ac Theologorum cœtum, ut de mediis opportunis exequendi Brevia Apostolica deliberari & Rex informari possit.

Imo verò, inquit Ariovistus, Episcopi spem exterminandi è Belgio Hispanico Jansenismum aliasque novitates post tot Constitutiones Apostolicas præcipuam ac ferè unicam repositam habent in Regia Majestate. Idque ignorare non potest Dominus Hennebel, neque ignorat quisquis legit tot libros Novatorum, tot scripta, ubi omnes Bullas Apostolicas sibi contrarias proscindunt & conculcant, diras sive excommunicationes Romanas irrident tanto audaciùs, quanto aliunde magis enervata & protrita est Episcopalis autoritas. Quis ergo modus vindicandi Constitutiones Innocentii X., Alexandri VII. & aliorum Pontificum, atque exequendi ipsum Breve Innocentii XII. superiores Constitutiones confirmantis, nisi Majestas Regia potentius auxilium tulerit? Hoc dum tot machinationibus impedire conatur Doctor Hennebel cum suis, quis non videat per eos stare, non per Episcopos, quo minus Brevia Innocentii XII. aliorumque Pontificum Bullæ ac definitiones suum sortiantur effectum? Quanta autem fraus est impedire ne Brevia ad exequendum Breve necessaria Episcopi obtineant, & interea ubique vociferari contra Episcopos, & apud Summum Christi Vicarium eos accusare quod Breve non exequantur!

Ex eo igitur, idem Ariovistus pergebat, quod nullus juridicè accusetur de Jansenismo, non magis sequitur, ut nullus Jansenista sit, vel etiam ut non sint plurimi, quàm ex eo quod nullus juridicè accusetur, quod vendat, distribuat, vel penes se habeat ejusmodi libros infames & apertè Jansenianos, quales nuper retulimus, & quibus constat abundare Belgium, sequatur ut nulli vel non plurimi ejusmodi libri in Belgio vendantur, distribuantur, retineantur. Estne ullus hactenus in Belgio juridicè accusatus, quod sit Calvinista vel Judæus? Ideone sequitur nullos esse? frustrà expectatur in his Belgii circumstantiis, ut quis onus & invidiam in se ultro suscipiat tales accusandi. Quantum socii vel sequaces Doctoris Hennebel declamant ubique contra hujus temporis, ut ajunt, *Semipelagianos*, quasi omnia iis plena sint, quasi ipsa *Roma* sit *Massilia*: immo, inquit Martinus du Chesne in disquisitionibus pag. 78. " Ecclesia fere tota lu„gens se miratur Pelagianam, " videtne tamen quispiam vel unum de Pelagianismo aut Semipelagianismo accusari in judicio?

Sicut nihilominus in Belgio nonnulli satis legitimè suspecti sunt de Judaismo, ut ad munia publica, multo minus ad Sacerdotium & curam animarum non promoveantur, ita & de Jansenismo, Rigorismo, ac Novitatibus multi in Belgio satis legitimè suspecti sunt, ut ad officia ac dignitates non efferantur, sed his præteritis adhibeantur potius viri fidei & doctrinæ per omnia perspectæ ac probatæ. Ita judicavit Archiepiscopus Mechliniensis non esse conveniens, ut Canonicatus Lovaniensis, cui annexum erat officium Censoris librorum, conferretur Domino Hennebel, utpote quem Archiepiscopus censebat suspectum, & ideo fertur suasisse Serenissimo Electori Bavariæ Gubernatori Belgii, ut nominaret alium, cum ad Regem nominatio spectaret. Audivit Serenissimus Antistitem suum, & solicitationes pro Domino Hennebel rejecit: hinc tantæ hujus Doctoris contra Archiepiscopum suum invectivæ. At aliter Roma judicavit, inquit Baccalaureus. Quid obsecro, reponit Ariovistus, Roma in favorem Hennebelli judicavit?

Tum

Tum Venantius sic egit; D. Baccalaureus vult dicere quòd Doctor Hennebel post Thesium suarum condemnationem, & improbationem Epistolæ ad Archiepiscopum Mechliniensem, multis protestationibus & promissione obedientiæ perpetuæ erga Sanctam Sedem omnesque ejus Constitutiones obtinuerit ex Romana Curia litteras, quibus declaratur Sanctam Sedem nullum impedimentum canonicum in illo Doctore deprehendere, neque ipsam obstare velle, quo minus ad officia vel beneficia promoveatur.

Obtinuerit, inquit Ariovistus, talem declarationem. Quid tum? Non enim hâc declaratione approbatur ejus doctrina; sed submissio, quæ vera ac sincera supponitur, ut supponebatur olim Cœlestii Pelagiani, de quo S. Augustinus lib. 2. ad Bonifacium cap. 3. " voluntas emenda-„tionis, non falsitas dogmatis approbata est, & propte-„rea libellus ejus Catholicus dictus est,.....hoc in illo „factum esse putabatur, quod se litteris piæ memoriæ „Papæ Innocentii, quibus de hac re dubitatio tota sub-„lata est, consentire respondit."

Quin & interea auctis ab Hennebello pro nova factione studiis, perspectis tot ejus ad impediendam Jansenismi extirpationem & Apostolicarum Constitutionum etiam nuperorum Brevium observantiam machinationibus, tot jactis in Regiam Majestatem ejusque præcipuos Ministros ad defendendos Novatores & suspectos calumniis, nemo sapiens dubitaverit dicere Regiam Majestatem gravissimè ab hoc Doctore læsam esse, & autoritatem etiam dignitatemque Episcopalem ob eodem fœdè protritam, atque adeò non expedire paci & incolumitati Belgii, ut ipse & ejus sequaces postpositis tot viris bonis, notæ fidei, doctrinæ sanæ, probatæ vitæ & submissionis, promoveantur. Quod si talem informationem, occurrente promotionis occasione, sequatur Archiepiscopus etiam deinceps, & juxta eam det consilium Regi ejusve Ministris, non apparet, quid in hac re facturus sit Brevi Apostolico vel memoratæ pro Doctore Hennebel declarationi ab annis aliquot datæ contrarium. Neque video cur propter ejusmodi declaratio-

ratio-

rationem longè anteriorem ſcripto Patris Palazol impediri hic debuerit, quo minus ad Regis, & eorum quorum intereſt, informationem, eumdem Doctorem deſcriberet quaſi Janſenianæ & Sedi Apoſtolicæ rebellis factionis patronum: talem enim ſe prodit indies magis & magis; atque vel ideò non leviter de Janſeniſmo ſuſpectus eſt. Sed an ulla eſt Janſeniana factio? Inquit Baccalaureus. Hanc invenies, opinor, in Utopia Morboniæque Inſula, vel potius in Jeſuitarum cerebro.

Noli, reſpondit Arioviſtus, tam ludicrâ interrogatione ſermonem divertere. Eſſe in Belgio verè Janſeniſtas, demonſtrabimus alio loco. Hic tantum quæro cum Patre Palazol num. 5., " poſſitne dici leve teſtimonium, quod „unanimiter de Janſeniſmo talis perſonæ perhibent tot „Epiſcopi?" Hanc quæſtionem, inquit Baccalaureus, pulcerrimè elidit Hennebellus, dum dicit; " Ego verò „à P. Palazol peto, poſſitne dici quod de Janſeniſmo „talis perſonæ teſtimonium perhibere audeant tot Epiſ-„copi, & nullus eorum audeat ſervato juris ordine pro-„cedere contra unum ſaltem ex innumeris, qui quoti-„die de Janſeniſmo accuſantur? An tale teſtimonium „de Janſeniſmo alicujus perſonæ perhibuerint aliquan-„do unanimiter Belgii Epiſcopi, ignorare me fateor: „hoc ſcio, quod ſi tale perhibuerint de Theologo, qui „juramentum graduandis Lovanii proponi ſolitum præ-„ſtitit, qui Brevibus Apoſtolicis ad Epiſcopos Bel-„gii miſſis, per omnia ſeſe conformari profitetur, te-„ſtimonium ejuſmodi non niſi leviſſimum & Apoſtolicæ „Sedi injurioſum eſſe poſſit."

Tum Arioviſtus, primo congreſſu, inquit, quem ego tecum, D. Baccalauree, ſuper hoc ſcripto Hennebelli habui, expoſui tibi id quod à biennio factum eſt à Paſtore N. Diœceſeos Mechlinienſis coram vidente & audiente Epiſcopo Gandenſi cum propriis ſuis adminiſtris aliiſque viris honoratiſſimis, ubi Paſtor ille etiam poſt increpationem non deſtitit dicere *utinam omnes eſſent Janſeniſtæ*! Aliis nequidquam ingeminantibus *utinam nulli eſſent*! Teſtimonium de hoc autenticum dedit Epiſcopus cum quibuſdam aliis, uti & de facto ſcur-

rili ejusdem Curatoris animorum. An hoc meministi? Item cum Archiepiscopus Mechliniensis à novennio Brugensem Episcopatum administraret, jamque nominaretur à Rege ad Archiepiscopatum, quidam Sacerdos non vulgaris in Mechliniensi Diœcesi notæ, multis nominibus pridem suspectus de Jansenismo, ita tunc deprehensus est scripsisse ad suum cognatum in Hollandia ejusdem factionis Presbyterum Missionarium, ubi lugens nuntiaverat nominationem illam à Rege factam," „En, inquit, quot præsagia de iis quæ miseris Jansenistis impendent! verum spero Deum veritatis suæ defensores non derelicturum." Ita non ignorant, nec dissimulant viri isti inter se quales sint. Epistola casu forte elapsa ei, ad quem scripta erat, delata dein est aperta ad novum Archiepiscopum, qui eam cum multis aliis ejusdem Autoris Epistolis contulit, deprehenditque esse genuinam. Non est autem dubium, quin per *Jansenistas* illos, & Divinæ *Veritatis defensores* intelligat eos Lovanienses & alios Belgas cum eorum sequacibus, quorum Theses & sententias plurimas accuratè refert Eminentissimus Cardinalis de Aguirre in defensione Cathedræ Sancti Petri totâ disputatione 21. tamquam omnino conformes 5. propositionibus in Jansenio damnatis.

Quid si, D. Baccalauree, de illo Pastore, qui in tali consessu non veretur dicere *utinam omnes essent Jansenistæ*! quid si de Epistolæ jam relatæ Autore, quid si de iis, quorum de sententiis fideliter exscriptis Cardinalis de Aguirre quærit, " Quod ovum alteri ovo similius „quam Theses ipsorum & doctrina Jansenii? " De quibus affirmat " quod videantur prorsus eædem cum fulgurita & hæreseos notatâ ab Innocentio: " quid si inquam, vacante officio vel beneficio magni momenti, quod sit Regiæ nominationis, Episcopi omnes vel plures ex illis de tali Pastore, de Scriptore talis Epistolæ, de Autore talium Thesium ad officium vel beneficium istud aspirante, Regem informent, hominem hunc videri Jansenistam, vel saltem suspectum, adeóque Regi supplicent, ut potius alteri magis exploratæ fidei viro

con-

conferatur; numquid agunt Episcopi pro muneris sui ratione? Numquid debent sic agere ad avertendum grave malum vel periculum? Numquid Rex prudentissimè se tali Episcoporum conformat testimonio? Age, D. Baccalauree, responde aliquid.

Baccalaureus autem aliud nihil respondit quàm illud Hennebellianum; " Testimonium ejusmodi, inquit, „non nisi levissimum & Apostolicæ Sedi injuriosum esse „potest. " At nemo, ait Venantius, studio partium liber tibi consentiet, etiamsi omnes illi Thesium Autores, uno alterove excepto, graduati Lovanienses sint, uti & Scriptor Epistolæ, & is ad quem scripta erat, juramentum præstiterint cum ceteris. Verum, optime Arioviste, estne Pastor ille graduatus? Non scio, dicit Ariovistus, hoc autem certum puto, quod nec ipse, nec ullus alius, excepto Paulo Aurelio, jusjurandum Lovaniense & professionem se conformandi per omnia Brevibus Apostolicis ad Episcopos Belgii missis, detrectaturus sit. Et tamen vix ullus eorum, quorum Theses retulimus aut eis adhærentium, aut Pastor, aut Scriptor Epistolæ, umquam nisi forte coacti, fatebuntur se à prioribus suis sententiis vel transversum unguem recedere. Aliud nempè est juramentum præstare & quidlibet verbis promittere, aliud promissa & jurata fideliter implere. *Quam multa sunt fucis illita!* Sic nemo Theologis istis, si verbis eorum creditur, potest esse infensior omnium restrictionum hostis; an verò aperta mendacia & calumnias omnes ita oderint, quædam indicant eorum Memorialia contra Regem, Regios Ministros & Belgii Episcopos, tum in Belgio tum in Urbe composita. Sed de his jam satis multa. Audiamus alium textum Hennebelli.

Hunc textum Baccalaureus ita recitavit; " Quærit ibi„dem (P. Palazol) an sua Majestas dederit Episcopis „facultatem agendi pro arbitrio, & excludendi quos „volunt? Respondeo eam facultatem Episcopis à Ma„jestate Sua datam non esse; plures tamen Episcopos „abusos esse Decretis Regiis ad excludendos pro arbi„trio quos voluerint, Jansenismi titulo; nec igno„rarunt Episcopi illi quanti forent & quàm perniciosi

„in Diœcesibus suis de Jansenismo rumores; nec igno-
„rarunt quid eis in casu cjusmodi faciendum præscribe-
„ret Sedes Apostolica, vel ad plectendos Jansenismi
„reos, si tales deprehenderentur, vel ad plectendos ini-
„quos accusatores, si qui leviter ac temerariè vagam
„hanc Jansenismi notam innoxiis Theologis inussisse
„reperirentur. Quod si nihil horum præstiterint præfati
„Episcopi, utique fatendum est, eos pro arbitrio in hoc
„negotio processisse, iisque adscribendos esse motus qui-
„bus tamdiu agitatum fuit Belgium; tum ad eos com-
„primendos executioni mandanda forent, quæ tam sa-
„pienter in Brevibus suis præscripsit Sua Sanctitas." Ha-
ctenus Hennebellus, inquit Baccalaureus; Numquid
liberè & ut virum decet?

Satis liberè, respondet Venantius, sed non ut decet virum sapientem: etenim hîc negat " esse datam Episcopis „à Sua Majestate facultatem agendi pro arbitrio, & „excludendi quos voluerint; attamen datam esse " affirmat in famoso suo Memoriali, dicendo " Decretum „missum ex Hispania oppositum Decreto Sanctitatis „Vestræ dat facultatem Episcopis agendi pro arbitrio „contra omnes prætensos suspectos de Jansenismo." Caditne in sapientem loqui pugnantia? Forte inquit Ariovistus, priorem calumniam retractat. Multum dubito, subdit Venantius; quare velim edicat clarè Hennebellus, hanccine calumniam retractet verbis superiùs allegatis, an verò & qua ratione simul utraque conciliet, ac velit etiamnum sustinere? Tum iterum Venantius non sine nervoso sale, quid ni, inquit, Hennebellus ista conciliet? Conciliare novit hæc " Non accuso „Decreta Regia: Decreta Regia sunt tota contraria Bre-„vi Apostolico, contraria reverentiæ & obedientiæ de-„bitæ Apostolicæ Sedi: Sunt exemplum inobedientiæ in „nulla Catholici Principis Curia visum &c." Quin & in hac sua responsione postquam articulo primo dixerat " „non accuso Decreta Regia, " ait articulo quarto " ne-„mo non videt, Decreta quæ à Catholica Sua Maje-„state extorserunt, esse talia, quæ non bono, non quie-„ti populorum, sed turbandis tantum permiscendisque

omni-

„omnibus ſervire poſſint. Denique refert Patrem Palazol „velle exautorare Breve Innocentii XII., quia ait eſſe per „ſiniſtras informationes obtentum, " licet ſimul fateatur „eſſe " in ſe ſanctiſſimum & juſtiſſimum. " Ipſe verò, *non accuſat*, ut quidem ait, *Decreta Regia* licet ea dicat" „obtenta per ſiniſtras informationes, mendacia, calum- „nias, " & præterea ea deſcribat ut enormiter injuſta," „concedentia facultatem Epiſcopis agendi pro arbitrio „cum prætenſis ſuſpectis de Janſeniſmo, quod contra „nullos reos in nullo genere delictorum umquam licuit." Si iſtud eſt conſequenter arguere, non capio.

Igitur, Arioviſtus inquit, ut redeamus ad præcipuum hujus diſſertationis caput; ex adductis & probatis hactenus colligitur manifeſtè, quod ex eo, quod Epiſcopi contra nullos ratione Janſeniſmi in judicio agant, minimè ſequatur, nullos eſſe aut non multos Janſeniſtas, cum quanto plures fuerint, tanto minus in poteſtate Epiſcoporum futurum ſit eos litigando compeſcere, vel litem ullam ad finem perducere, niſi erectâ prius Epiſcoporum autoritate, quæ hominum factioſorum calumniis audaciâ, patrociniis nimium protrita jacet, nec niſi ope *Junctæ* facile erigetur? Unde patet non Epiſcopis ſed Doctori Hennebel ejuſque ſociis qui *Junctam* præpedire conantur, acceptum referri debere, quod judicium contra Janſeniſtas inſtitui nequeat, aut ulla Pontificum Conſtitutio contra rebelles & contemptores vindicari. Interea dum, quod unicum poſſunt viros exploratæ fidei & doctrinæ præ ſuſpectis ad officia & beneficia conantur promovere, non pro arbitrio agunt, ſed pro rectæ rationis dictamine & muneris ſui debito. Quid hic præterea objiciat Doctor Hennebel, haud ſatis memini.

Hoc objicit, inquit Baccalaureus, quod " plures Epiſ- „copi abuſi ſint Decretis Regiis ad excludendos pro ar- „bitrio, quos voluerint, Janſeniſmi titulo. " Id ipſum eſt, ait Arioviſtus, cujus meminiſſe non poteram. Verum cum id objiciat tantum, non probet, poſtulo ut probet factis particularibus, quod ni fecerit, patiatur ut hanc ceteris ſuis calumniis annumeremus. Imo ego poſtulo, inquit Baccalaureus, ut quod facturum te re-

 ceperas,

ceperas, probes Janſeniſtas in Belgio inveniri. Id probabo, inquit Arioviſtus, ubi Venantio viſum fuerit. Sed Venantio viſum fuit differre: non enim convenit, aiebat, diem totum diſputando ducere.

DISSERTATIO VII.

An detur ullus Janſeniſta in Belgio.

PRæcipitante jam in veſperum die, cum eſſent à modica deambulatione reduces, iterum ad diſputandum aggreſſi ſunt. Et Baccalaureus quidem vixdum domum ingreſſus, jam tempus eſt, inquit, Arioviſte, ut datam præſtes fidem. Age, ſcrutare in lucernis Belgium, & Janſeniſtam ſi quem ibi inveneris, è ſuis latebris in lucem trahe. At verò cum idem Baccalaureus animadvertiſſet ab Arioviſto afferenda ea argumenta quæ in Memoriali attulerat P. de Palazol, illum ſic præoccupavit; nihil mihi, inquit, cum P. de Palazol. Theologorum noſtrorum Homerus (ſic enim Hennebellus poteſt appellari) ejus argumenta enervavit ac penitus eliſit.

Quæ iſtæc, ait Arioviſtus, Thraſonica gloriatio eſt? Ita eſt, dicit Baccalaureus; Hennebellus argumenta illius Patris enervavit ac penitus eliſit, & in ſui Patrocinium adduxit Eminentiſſimum Cardinalem de Aguirre, cui vos tam multum tribuitis. Si nondum creditis, Hennebelli verba audite; "Experiri hic lubet, quam ſint „evidentia argumenta, quibus evicturum ſe ſperat P. „Palazol dari in Belgio Janſeniſtas, quos ibidem nec „Apoſtolica Sedes, nec Epiſcopi hactenus reperire po„tuere: argumenrum ejus primum hoc eſt. Multis in „Belgio diſplicent Decreta Regia contra Janſeniſtas: er„go dantur in Belgio Janſeniſtæ. Reſpondeo diſtinguen„do conſequens; ergo dantur in Belgio Janſeniſtæ ali„quam ex 5. propoſitionibus ab Apoſtolica Sede dam„natis ſuſtinentes, qui juxta Breve Apoſtolicum ſoli pro „veris janſeniſtis habendi ſunt; nego conſequentiam:

ergo

„ergo dantur in Belgio Janſeniſtæ latiori ſignificatione,
„quam ſic exponit Eminentiſſimus de Aguirre in Sy-
„nopſi collectionis maximæ conciliorum numero 40.
„*hanc* (Janſeniſmi aut Bajaniſmi) *notam*, *ex eodem*
„*doctrinæ morum ſeverioris capite inurere auſi ſunt non*
„*nulli plurimis Catholiciſſimis Epiſcopis*, *Prælatis*, *Do-*
„*ctoribus*, *&* *Scriptoribus*, *licet nullo fermento hære-*
„*ſeos vel doctrinæ erroneæ aſperſis & palam rejicienti-*
„*bus illas 5. famoſas Theſes ab Innocentio X. & Alex-*
„*andro VII. fulguritas*, *atque in iis Illuſtriſſimo Fagna-*
„*no*, *quo neminem in Sacris Canonibus doctiorem aut*
„*celebriorem ætas noſtra tulit.* Et tales Janſeniſtas in
„Belgio dari concedo perlibenter: Hi autem ſunt qui-
„bus Regia Decreta in Belgio diſplicent, utpote jam
„non ſemel expertis, quod cum alia ſimilia Decreta jam
„pridem à Catholica Sua Majeſtate extorta fuiſſent, tur-
„piter contra illos ejuſmodi Regiis Decretis, qui ea ex-
„torſerant, abuſi fuerint, ab omnibus eos Janſeniſmi ti-
„tulo aut excludendo aut excludi faciendo, quantumvis
„palam profiterentur, ſeſe jam pridem præſtitiſſe, iterum-
„que præſtare paratos eſſe, quidquid ad eluendam
„notam Janſeniſmi præſtare præcipit Apoſtolica Sedes."

Poſtquam hæc quaſi ovans & triumphabundus legiſ-
ſet Baccalaureus, Arioviſtus ſic orſus eſt. Experiri lu-
bet & mihi, an argumenta Patris Palazol non evidenter
conficiant *dari in Belgio aliquem Janſeniſtam.* Henne-
bellus fallit ſtatim à principio, dum Patrem Palazol fa-
cit ſic argumentari; *multis in Belgio diſplicent Decreta Re-*
gia, *ergo dantur in Belgio Janſeniſtæ.* Sed hæc fictio op-
portuna illi viſa eſt, ut haberet quod redargueret tam-
quam non ſatis congruens Brevi Innocentii XII. Non
igitur ex ſimplici & mera *diſplicentia*, ſed ex tot clamo-
ribus aliiſque indiciis & argumentis id conficit Pater Pa-
lazol; an verè videbimus poſtea.

Putat prædictus Pater, tantos quorumdam contra De-
creta Regia clamores, tantos motus, tot lamenta, tot
machinationes ad ea ſubruenda argumentum eſſe non
omnino leve ſuſpicandi eos qui talia agunt, à Janſeniſmo
non longè refugere. Et rectè quidem hoc putat: quippè

 cum

cum contra vitia aut errores ſcribitur, nemine nominato vel per umbram indicato, quemadmodum nemo in Decretis Regiis nominatur, tum *ſi quis iratus fuerit atque reſcripſerit, ſuo quaſi mus prodetur indicio*, ut ante monentem audivimus S. Hieronymum. Ita ſi Rex ſtatuat, ne quis Judæus vel Calviniſta, vel de alterutra perfidia ſuſpectus, adhibeatur ad officia publica & dignitates ſeu ſeculares ſeu Eccleſiaſticas; atque contra hoc Decretum tamquam injuſtiſſimum nonnulli inſurgant & debacchentur palam, etiam Memorialibus, quà impreſſis, quà manuſcriptis, atque hi inter illos ſint qui quantumvis ſæpè rogati & preſſi, numquam tamen adduci potuerunt, ut Calvinum in aliquo errare confiterentur, numquid tales ſe ipſos legitimè ſuſpectos reddunt de Calviniſmo? Idem reſpective applicari poteſt Judaiſmo, Janſeniſmo &c. Tales autem ſunt Autores Memorialium contra Decreta Regia, atque in primis Doctores Huygens & Hennebel, qui hactenus fateri noluerunt, & vereor ut fateantur umquam, Janſenium in aliquo contra fidem erraſſe, aut ullam libri ejus propoſitionem legitimè eſſe condemnatam in ſenſu obvio libri & propoſitionis.

Bene reprehendis, interrumpit Venantius, & ſe iſto modo res habet. Verum negare non potes, Arioviſte, eſſe nonnullos qui etiam immerentibus notam Janſeniſmi imprudenter affingunt. Hoc ego, repoſuit Arioviſtus, numquam negavi. Sicut Janſenius, Hennebellus & alii, horum inſtitutione atque exemplo, nimium leves ſunt in quibuſdam viris apprimè Catholicis, Epiſcopis, Prælatis, Doctoribus, Scriptoribus vocandis Semipelagianis; ita quoque facilè crediderо nonnullos nimium leves eſſe in aliquibus nil tale merentibus nomine Janſeniſtæ compellandis. Sed, doctiſſime Venanti, quid inde concluſum vis? An propterea deſinit eſſe inepta diſtinctio Doctoris Hennebel & Brevi Apoſtolico diſſentanea? Hic non admittit Janſeniſtas eſſe, ſed in latiori ſignificatione viros *Catholiciſſimos qui nullo fermento hæreſeos, aut doctrinæ erroneæ aſperſi ſint.* Abeſt quoque à vero quod Cardinalis de Aguirre hanc ſignificationem adſtruat. Sic quia aliqui vocant Semipelagianos

eos

eos qui minimè merentur, ut Doctor Hennebel S. Salesium inter Semipelagianos collocat, non ideò dici potest vox *Semipelagianus*, (idem est de appellationibus *Calvinistæ* & id genus aliis) latiori significatione significare viros *Catholicissimos, licet nullo fermento hæresos vel doctrinæ erroneæ aspersos.* Alioquin non foret difficile eludere Breve Innocentii XII., dum enim cavillator aliquis quosvis pro lubentia vocasset Jansenistas, de calumnia accusatus respondere posset, *se Jansenistam intelligere in latiori significatione* admissa à Domino Hennebel, & quæ ipso teste, *exposita est à Cardinale de Aguirre.*

Superest alterum, inquit Venantius, Hennebellianæ distinctionis membrum, ad quod cum tu, Arioviste, respondere prætermiseris, ego pace tuâ respondebo D. Baccalaureo, & ritu quidem Academico illud clarissimè distinguam; " Juxta Breve Apostolicum soli pro ve-„ris Jansenistis habendi sunt aliquam ex 5. propositioni-„bus ab Apostolica Sede damnatis sustinentes " explicite & ipsis terminis formalibus propositionum damnatarum, nego: explicite vel implicite & saltem terminis æquivalentibus, concedo: neque ullus dubitat, quin Calvinista merito appelletur is qui licet non terminis formalibus; tamen æquivalentibus dicit idem, quod Calvinus; item qui abstinet ab omni propositione particulari quidem, sed generaliter tenet *Calvinum in omnibus recte & Catholicè scripsisse.* Sic Urbanus VIII. in Brevi ad Dominum Franciscum de Mello Belgii Gubernatorem non immerito vocavit *Jansenianos*, qui librum Jansenii, postquam de scandalosa defensione multarum propositionum prius condemnatarum convictus, ab eodem Pontifice & damnatus est, tueri perrexerunt & Urbani Bullam rejicere.

Hoc loco Baccalaureus nihil tam in promptu habuit, quàm isti Urbani VIII. Brevi opponere Breve Innocentii XII. Sed Venantius hunc Baccalaurei Achillem citò debellavit, dicens; non præcipit Innocentius XII. Episcopis in Brevi, " ne quemquam nuncupari sinant invi-„dioso nomine Jansenismi, nisi prius legitimè constiterit, „aliquam ex his propositionibus docuisse aut tenuisse, sed

„sed nisi prius suspectum esse legitimè constiterit, ali-
„quam ex his propositionibus docuisse aut tenuisse " pro-
ut omnium judicio *suspectus legitimè* est, quisquis Jansenii seu libri ejus *Augustinus* appellati doctrinam illimitatè approbat, non tantum aliquam ex eis, sed omnes tenere, quamquam & hic omnes damnatas in Jansenio propositiones sustinet implicite, & sustinere præsumitur: cum quo si quis juramentum seu Lovaniense seu Formularis Alexandri VII. componere voluerit, is adeò non eluet Jansenismi notam, ut se Pontificiarum Constitutionum etiam Brevis & Formularii defensorem probaturus sit. Hoc modo Jansenismi notam elui, numquam Sedes Apostolica declaravit, & certò scimus non declaraturam, obstante Apostoli effato; *si nos aut Angelus de Cœlo &c.*

Hunc Venantii sermonem non sine jucunditate audivit Ariovistus, ac dein ita Baccalaureum allocutus est: jamne adhuc, D. Baccalauree, ausis gloriari, quod argumentum Patris Palazol ab Hennebello infractum jaceat? Tacuit Baccalaureus, non erubuit tamen.

Ariovistus autem sic voluit prosequi; nunc transeo, inquiebat, ad ejusdem Patris argumentum secundum. Teste Hennebello, hoc est, " quod prætensi Janseni-
„stæ reformatum vellent Sedis Apostolicæ de 5. propo-
„sitionibus judicium, ut ipsis inauditis latum. Respon-
„det Hennebellus; manifesta calumnia est, neque ad
„eam confutandam alio opus est instrumento, quàm
„illo Memoriali nostro Hispanico, ex quo hujus ca-
„lumniæ occasionem sumpsit Pater Palazol, si quidem
„in illo Memoriali §. 2 post medium apertissimè di-
„citur, quod Lovanienses semper rejicient 5. proposi-
„tiones in eo sensu, in quo eas damnarunt Pontifices,
„id est, in sensu obvio, easque condemnabunt in om-
„nibus Autoribus, quicumque sint illi, in quibus eo
„sensu reperientur; sicut semper tam positivè & publicè
„fecerunt, ut numquam calumnia fuerit crassior, quàm
„illa, qua errores istos sustinere accusantur." Domine Baccalauree, dispiciamus jam quàm nervosa sit ista responsio Hennebelli.

Ante

Ante omnia verò dic mihi, quæ ea forma judicii aut ſpecies æquitatis eſt, condemnare ſcriptorem aliquem de calumnia, neque refellere, aut ne referre quidem ejus probationem? Adducit Pater Palazol verba Memorialis Belgici ex idiomate Gallico in Hiſpanicum verſi, ubi ſocii Doctoris Hennebel conqueruntur, quòd „ſpatio plus quàm quinquaginta annorum, quo liber „Janſenii accuſatus eſt, tantum una partium audita ſit, „quod contra omnem æquitatem habita ſit fides illi parti „in accuſationibus vagis & confuſis quibus adverſarios „ſuos oppreſſit, & quòd numquam pacatè, nec in ju„dicio ordinato & contradictorio auditum ſit quod ha„beret pars alia quod opponeret. Statim ſubjungunt, „quod huc uſque factum non eſt, ſemper tempus eſt „ut fiat." Hinc infert Pater Palazol, videri non obſcurum quòd Theologi iſti velint reformare Eccleſiæ judicium circa 5. Propoſitiones, videlicet ut declarentur innoxiæ vel non niſi in ſenſu fictitio & à nemine in Eccleſia tradito condemnatæ, ut deinceps liber Janſenii & univerſa ejus doctrina, licet plus quam in 50. diverſis propoſitionibus à variis Pontificibus confixa, ab orco revocetur. Approbare ſcilicet Romæ non audebat apertè Doctor Hennebel iſtud ſuum ſuorumque dictum expreſſum in Memoriali Belgico & Hiſpanico; improbare autem niſi retractando non poterat, ob eamque cauſam maluit de eo altum ſilere, atque ita ſuppreſsâ veritate contra Patrem Palazol ferre ſententiam.

Hic objecit Baccalaureus; dicit Doctor Hennebel cum ſuis *ſe rejicere 5. Propoſitiones in eo ſenſu, in quo eas condemnaverunt Pontifices, id eſt, in ſenſu obvio.* Id tibi aſſentior, inquit Arioviſtus, ſed non dicit in *ſenſu obvio libri.* Atqui tamen Innocentius XII. in ſuo Brevi pronuntiat *eas propoſitiones ex libro Janſenii excerptas in obvio ſenſu*, itáque damnari eas ibidem imperat ab eis qui ad juramentum adigendi ſunt. Fateatur ergo Dominus Hennebel cum ſuis, ſaltem non interpoſitâ juramenti religione, eas ex *libro Janſenii excerptas eſſe in ſenſu obvio.*

Hìc producis, ait Venantius, quaſi lapidem lydium, ad quem Hennebellus cum ſuis explorandus eſt: etenim quam-

quamdiu id fateri mordicus detrectat, perspicuum est eum cum suis Memorialis autoribus propositiones non velle damnare in sensu, quo ab Innocentio X. Alexandro VII. & ab ipso Innocentio XII. damnatæ sunt, atque ita eum velle universam Jansenii doctrinam retinere ut integram, ut innocuam & ab omni anathemate intactam. Quamobrem si ego quidpiam possem exigere ab Hennebello, hoc exigerem ut clarè nobis ediceret, an sensus obvius, quo propositiones 5. fulminatas intelligit, non sit fictitius, id est, nec à Jansenio, nec ab ullo in Ecclesia Theologo traditus.

Numquid itaque, D. Baccalauree, inquit Ariovistus, insignis fucus est, dum tales profitentur *se quinque propositiones damnare in omnibus autoribus in quibus eo sensu*, nempe fictitio, *reperientur*? Novit Doctor Hennebel. & noverunt omnes qui umquam Jansenium legerunt, primam propositionem è quinque non obscurè extare in ejus Augustino; & Alexander VII. declarat ac definit se propositionem illam damnare ut excerptam ex illo libro & eodem sensu, quo illic defenditur. Saltem illam primam Hennebellus cum suis agnoscat in memorato libro defendi eo sensu, qui postea damnatus veréque hæreticus est. Tunc Patrem Palazol fatebimur errasse in tam sinistra de illis Theologis opinione concipienda; sed vereor, ne id cum suis præstare differat usque ad Calendas Græcas: unde nihil hic *Calumniæ*, nedum *Crassæ*, est in Patre Palazol, sed in Hennebellianis fucus est Catholicis Theologis, quales haberi volunt, adeò indignus.

Sed ubi hîc est, quærit Venantius, illud Cardinalis de Aguirre patrocinium quod D. Baccalaureus ita jactabat? Jam jam sequetur, respondit Baccalaureus. Ergo purgate aures, & Hennebellum attendite, sic habet; „Opponit idem Autor (P. Palazol) num. 70. propositiones quas in libro suo, cui titulus Defensio Cathedræ „S. Petri collegit Eminentissimus Cardinalis de Aguirre: „verùm super iis jam pridem ipsi Eminentissimo Cardi„nali satisfactum fuit: agnovit Eminentissimus Cardi„nalis propositiones, quas reprehendit, esse æquivocas,

cas

„eas alio ſenſu à ſe, alio à Lovanienſibus accipi: decla-
„rarunt Lovanienſes, ſe eas libenter damnare ſenſu,
„quo ab Eminentiſſimo Cardinali damnantur. Ex pro-
„poſitionibus ſuis oſtenderunt ſenſum illum à mente ſua
„alieniſſimum eſſe. Viſis omnibus per Lovanienſes al-
„legatis gaviſus eſt Eminentiſſimus Cardinalis videre
„ſenſum eorum ita orthodoxum: monuit tamen ut
„eum deinceps clariùs exprimerent, nec talibus abute-
„rentur vocibus, quæ aliis ſcholis offenſioni eſſe poſſent.
„Cui tam prudenti doctiſſimi ac pientiſſimi Cardinalis
„monito ſe libenter obtemperaturos ſpoponderunt.

Verène putas, D. Baccalauree, inquit Arioviſtus, in hac Hennebelli oratione nullam eſſe impoſturam? In hac oratione, reponit Baccalaureus, impoſtura eſſe quæ poteſt? Audies, dicit Arioviſtus. Ego demonſtrandum hic ad oculum ſuſcipio, Doctorem Hennebellum aut Eminentiſſimo Cardinali de Aguirre aut nobis inſigniter imponere. Cardinali, ſi talia ab ipſo reſponſa acceperit; ſin finxerit, nobis. Veriſimile autem eſt eum imponere utriſque, Cardinali non ſincerè exponendo ſua ſuorumque ſenſa; nobis additione, omiſſione, vel aliâ mutatione vitiando dicta Cardinalis. Audax promiſſum! ait Baccalaureus. Illud tamen exequar, Arioviſtus reponit, Quid enim? proſequebatur. Agnovitne Eminentiſſimus Cardinalis omnes quas collegerat Lovanienſium propoſitiones, eſſe æquivocas, an tantum aliquas? Si tantum aliquas, quænam eæ ſunt? Et quomodo hâc ratione ipſi ſimpliciter & abſolutè ſatisfactum eſt? Sin omnes ſint æquivocæ, æquivocas etiam eſſe oportet Propoſitiones Janſenii, quibus dicit Lovanienſes à ſe citatos adeò congruere, ut ita quærat ſub fine ſectionis primæ, in quonam quæſo ii autores recedunt "ab illa
„prima propoſitione Janſenii damnata? aut quod ovum
„alteri ovo ſimilius, quàm Theſes ipſorum & doctrina
„Janſenii? Præſtaret certè illam male imbibitam bene
„& ex animi ſententia corrigere, atque ob oculos ha-
„bere illud Auguſtini libro 3. contra Creſconium cap. 3.
„aientis, ſententiam falſam numquam tenere prima
„laus, ſecunda mutare." Conſimiliter de aliis Janſenii
pro-

propositionibus damnatis & nominatim de secunda ostendit sectione secunda. " Recentiores multos è Belgis „ac potissimum Lovaniensibus in eodem luto hærere „adhuc post constitutionem Innocentii, & metuendum „illud anathematis fulmen; quo, ut inquit, videtur „palam constare ex innumeris testimoniis aut thesibus „ipsorum, quas subjungo, prout allegantur à Duffio, „parte 2. classe 2. & 3." Ita Cardinalis procedit ad alias propositiones in Jansenio damnatas, resuscitatas autem à Belgis, præsertim Lovaniensibus.

Atqui Eminentissimus numquam admisit, quod omnes propositiones Jansenii, quas ex ipso producit, sint æquivocæ, sic ut habeant sensum verum obvium, seu sic ut in sensu obvio sint veræ. Et ipsi Hennebelli commilitones sensum obvium quinque propositionum, ut hæreticum, esse à Pontificibus recte condemnatum, non inficiabuntur, saltem publicè; eum damnare centies parati sunt, licet per obvium intelligant imaginarium, & à nullo umquam in Ecclesia Theologo traditum.

Sed nonne, quærit Baccalaureus, 5. Jansenii propositiones habent duos sensus obvios, alterum verum & Catholicum, falsum alterum & hæreticum? Ita in Belgio quidem, ait Ariovistus, tenent aliqui liberéque divulgant, verùm non expecto ut Hennebellus id Romæ scribere audeat, tametsi Paulus Aurelius dicat jam esse *tempus loquendi*. Certè Hennebellus, addit Venantius, inveniret sibi adversantem Cardinalem de Aguirre, si id scriberet: nam docet quoquè Cardinalis non posse propositiones illas habere in rigore sensum verum ab assertore intentum, sicut in defensione Cathedræ S. Petri disputatione 20. sectione 1. de propositionibus Baii pronuntiat: " Si aliquæ ex propositionibus Baii sustineri „possent aliquo pacto in rigore ac proprio sensu ab as„sertoribus intento, immerito Pontifices statim adjecis„sent illarum damnationem sub pœna anathematis Sedi „Apostolicæ reservati: quippe injustum est damnare & sub „anathematis pœna proscribere illas propositiones, quæ „aliquo pacto sustineri possunt in rigore & proprio ver„borum sensu ab assertoribus intento, nimirum nulla pro-
pro-

„positio vera, aut quæ defendi jure possit aliquo pacto „in rigore ac proprio verborum sensu ab assertoribus „intento, digna est aliqnâ ejusmodi notâ aut tam acerbâ „pœnâ, quanta est anathematis." Jam verò si propositiones, quas in Jansenio damnatas in eo verè contineri Cardinalis demonstrat, non possint habere sensum proprium ab assertore intentum, qui in rigore verus sit, sequitur, ut vel in nullo sensu veræ sint, vel saltem non in proprio, obvio & intento ab assertore.

Rectissimè, Ariovistus exclamat; ex hac tua argumentatione, Venanti, suâ sponte promanat id quod jam parabam conficere: etenim si illa subsistat, sicut reverâ subsistit, quomodo Hennebellus potest Eminentissimo Cardinali satisfacere circa propositiones Lovaniensium, eique persuadere omnes *alio sensu ab Eminentissimo, alio à Lovaniensibus accipi?* Verum quidem est, quod de omnibus propositionibus id asserere expressè non audeat, sed satis indicat, dum ait, *Eminentissimo Cardinali satisfactum.* Quomodo, inquam, propositiones quæ in nullo recedunt à propositionibus Jansenii damnatis, imò tam eis similes sunt, *ut non possit esse ovum alteri ovo similius*, possunt esse veræ in sensu obvio, seu proprio & ab assertoribus intento? Si Hennebellus dicat sensum verum propositionum Lovaniensium, qui ab assertoribus intentus est, non esse proprium & obvium, sed alienum quemdam & improprium; id quidem difficile creditu videbitur Magistros illos in thesibus, in quibus potissimùm sermonis proprii, accurati & perspicui debet esse cura, sensum passim intendisse improprium & ab ordinaria vocum acceptione abhorrentem. Hoc obscuritatis studium ipsi thesium autores eorumque discipuli non agnoscent.

Et, ut agnoscerent, subdit Venantius, posset responderi quòd sicut Apostolica Sedes in propositionum, thesium, librorum condemnatione procedit secundum sensum illorum obvium; ita Cardinalis & nos ejus vestigiis insistentes agamus contra collectas istorum Belgarum ac Lovaniensium propositiones intellectas in sensu obvio, quem illarum verba præ se ferunt. Hunc autem

tem intendisse earum autores præsumendum est, donec clarè probetur oppositum.

Sed quid, Arioviste, censes de illo ejusdem Cardinalis monito, " ut Lovanienses sensum orthodoxum „deinceps clariùs exprimant, nec talibus utantur voci„bus, quæ aliis scholis offensioni esse possent?

Illud est, inquit Ariovistus, sapientissimum prudentissimumque. At utinam quemadmodum *se illi libenter obtemperaturos spoponderunt*, ita etiam reapse obtemperarent constanter! Tum conversus ad Baccalaureum sic fatus est; D. Baccalauree, cur *voces*, quibus isti Lovanienses usi sunt in suis thesibus, *offensioni esse possunt aliis scholis*, nisi quia sensus obvius illarum vocum offensioni est? Habentne ergo Lovanienses tui aliam nomenclationem seu significationem vocum in Theologicis, quàm ceteræ in Ecclesia Academiæ & Scholæ Catholicæ? Latet hic mysterium aptum fallere eos, qui sinceritate suâ metiuntur Hennebelli ipsique adhærentium versutiam. Dicamus nos quod res est; ex hactenus deductis apparet verissimum esse, imò moraliter evidens, quod Theologorum istorum sensum non plenè, non integrè Hennebellus exposuerit, quòd ubi simpliciter negant *gratiam sufficientem* & *arbitrii indifferentiam* in statu naturæ lapsæ, dixerit ab eis solùm negari gratiam sufficientem Molinæ, ejusdemque indifferentiam: ubi negant potentiam observandi præceptum etiam justis, quotiescumque labuntur, dixerit tantùm negari ab illis potentiam plenissimam, qualem adstruunt Jesuitæ; & ut multa alia prætercam, ubi Hennebelliani negant Christum esse mortuum pro omnibus, Deum in hoc statu velle salutem omnium, hæc tantum negaverunt eo sensu quo à Schola Societatis asseruntur, non autem prout à Thomistis & ceteris gratiæ per se efficacis defensoribus.

An ergo, quærit Baccalaureus, non sumus in hac materia verè Thomistæ? De obtenso illo & simulato Thomismo, respondet Ariovistus, videbimus alio die. Jam tantùm moneo, quod tunc clarissimè probabitur, nihil esse familiarius recentioribus quibusdam Belgis Jansenii propugnatoribus, quàm terminos Thomistarum

facere

facere æquivocos, in sensu æquivoco iis uti ad occultandum sensum Jansenianum, adeòque dum Hennebellus talibus terminis explicare nititur obtensam propositionum Lovaniensium æquivocationem, nunquid metuendum est, ne obtensas æquivocationes, æquivocationibus novis involvat, & per speciem lucis afferendæ tenebras affundat atque caliginem?

Hic obtentus æquivocationis, inquit Venantius, unum ex subtilioribus novæ factionis artificiis est, quo omnes Pontificum Bullas contra Baium, Jansenium, & alios suarum partium Theologos editas, molitur subvertere aut reddere prorsus inutiles. Exempla de singulis Bullis mihi jam in promptu non sunt. At sunt mihi, subdit Ariovistus & sine mora extraxit opera Baii cum notis & vindiciis impressa anno 1696. In hoc libro, inquit, in Synopsi Chronologica pag. 13. dicitur, " Michaël „Bajus Pio V..... suam Apologiam misit, in qua luce „clariùs demonstrat quòd falsò isti articuli ipsi adscri„bantur, & quo sensu plerique ipsorum verissimè sint „& ad mentem S. Augustini. " In eodem libro, parte 2. pag. 240. dicitur " Bulla Pii V. in intricatos & am„biguos articulos indiscretam & absque ulla explicatio„ne sententiam pronuntiat, quæ æquè in verum ac in „falsum hujusmodi articulorum intellectum cadere po„test."

Sic etiam, interrumpit Venantius, articulos quos ingenti copiâ ex Lovaniensium Thesibus collectos refert Cardinalis de Aguirre, censetque tam similes propositionibus in Jansenio damnatis, ut non possit esse *ovum alteri ovo similius*, vult Doctor Hennebel esse *intricatos & ambiguos*, sive ut ipse loquitur, *æquivocos*. Cumque Cardinalis eos ad classem revocaverit eamdem, in qua sunt propositiones Jansenii damnatæ, ostenderit scilicet Dominus Hennebel Eminentissimo Cardinali quòd " in „intricatos & ambiguos articulos indiscretam & absque „explicatione sententiam pronuntiarit, " sicut Pius V. juxta superiorem Autorem in articulos Baii. Ostenderit præterea eidem Eminentissimo idem Hennebel, quo sensu non modò *plerique eorum*, sed omnes *ve-*

rissimi sint & ad mentem Augustini, sive ut ipse ait, *orthodoxi*.

Mirabile mihi, pergebat Venantius, semper visum est minimèque credibile, quòd inter *propositiones innumeras* Lovaniensium relatas à Cardinale, extet ne una quidem, quæ non sit æquivoca, & sensu non alio quàm *orthodoxo* à suis Autoribus tradita, neque quidquam æquivocationis in iis observaverit Eminentissimus, vel certè nullius fecerit mentionem; sed simpliciter propositiones omnes damnatis in Jansenio prorsus similes videri, & in nullo ab eis recedere declaraverit? Ista scilicet Eminentissimus & perspicacissimus Magister discere ab Hennebello & ejus sociis debuit, neque tantum de doctrina eorum Lovaniensium, qui vivunt, verum etiam eorum qui jam vitâ functi sunt.

Hic subridens Ariovistus, an ergo eruditissime Venanti, inquit, numquam legisti istud omnium sermone tritum proverbium, *Balbum melius Balbi verba cognoscere?* Rectè mones, dicit Venantius: nam illud hîc obtinet. Ita S. Hieronymus Epist. ad Domnionem ridebat Monachum, qui jactabat neminem præter se assequi sensum Joviniani. Sed obsecro, Arioviste, tu progredere ad Bullas alias prætextu æquivocationum ab adversariis consimiliter elusas.

Paruit Ariovistus, & accipiebat Jansenianorum libros fermè prout sors manibus offerebat; & cum eosdem locos adhuc ostendisset aliàs, erant omnes cœruleâ chartâ notati, quo factum est, ut nullo negotio invenirentur.

Autor, inquiebat, qui sub hisce litteris initialibus C. O. C. latere voluit, nisi quod declaret se Presbyterum anno 1689. in Epistola 2. Apologetica pag. 18. sic habet; " ut Clerus Hollandus doctrinam suam „quoad 5. damnatas propositiones secernat à doctrina „Janseniana, necesse est doctrinam suam secernat à „sensu hæretico, quem 5. illæ propositiones in com„muni verborum significatione habere possunt, non au„tem à Catholico sensu, quo in libro Jansenii con„tineri possent. "

Do-

Dominus Germain in defensione Ecclesiæ Romanæ & Summorum Pontificum 1696. cum approbatione, ut ait, Domini Le Peau Leodiensis de iisdem 5. Jansenii propositionibus pag. 430." aliud enimverò est, inquit, „quinque propositiones in aliquo sensu, aliud aliquem „sensum propositionum defendere, istud licet ac sem-„per licuit, illud post definitionem non licet: Idem de Luca Wadingo retractante priorem suam Jansenianarum propositionum aliquot defensionem sic observat pag. 452." Ceterum cum post conditam Constitutio-„nem, propositiones in aliquibus sensibus à se defensis, „in nullis autem defendendas velit ac spondeat, nihil „tamen de Jansenii sensu retractat, cui videlicet nul-„lum alium affixerat, nisi Agustinianum gratiæ efficacis „sensum, quem non esse Constitutione Apostolicâ dam-„natum certo certiùs noverat.

Palladius contra Martinum Steyaert Doctorem Lovaniensem anno 1688. in Spongia notarum parte 2." „Litigandi materiam non amovet, quod in sensu Jan-„senii damnatæ propositiones dicantur: nam cum varii „Janseniani sensus circumferantur; constare non potest in „quem conferenda sit censura." Quid, interjiciebat Venantius, ad omnem pro libitu sensum defendendum dici potest accommodatius?

Sed restant etiamnum alii, adjungebat Ariovistus, En iterum sese offert Eugenius de Gelder Brugensis in ultima voce zelatricis innocentiæ anno 1689. pag. 114. ita aiens," „sicut per vafrè fabricatas 5. propositiones in se justè „condemnabiles, ad sensum tamen Catholicum fa-„cilè reducibiles, doctrinam Jansenii Romæ procura-„runt damnari, ut per latus Jansenii doctrinam S. Au-„gustini à doctrina Jansenii reverà inseparabilem arie-„tarent & dejicerent, sic etiam fortassis hoc tempore „multas propositiones Michaëlis Molinos talibus termi-„nis concepere, quod vix à propositionibus fundamen-„talibus vitæ internæ & spiritualis à SS. Patribus..... no-„bis propositis distingui possint, ita ut per condemna-„tionem Molinos (quem aliqui magis infelicem quàm „nocentem autumant) & prætensæ ejus doctrinæ, vi-

„deantur voluisse eliminare illud parum quod restat super-
„naturalis operationis spiritûs Dei vivificantis expertivè
„intimum fundum spiritualium animarum: sed quid-
„quid conentur, quidquid machinentur, quidquid sub-
„dolè per se & suos efficiant Jesuitæ, spiritus, illis fren-
„dentibus, ubi vult spirabit, & omnes qui ex spiritu
„nati sunt, vocem ejus audient, licet nesciant, unde
„veniat, aut quo vadat.

D. Baccalauree, inquit Venantius, quid jam ais? Vides hîc obtentu æquivocationis seu diversorum sensuum, defensam doctrinam, non Jansenii tantum, sed & Molinos. Quænam propositio utriusque illius Autoris quamvis damnata, sustineri hoc pacto non poterit eodem prorsus sensu, quo primùm tradita & damnata est? Sic quidquid *conetur*, quidquid *efficiat* S. Sedes, Jansenianus *spiritus ubi vult spirabit*, quamdiu potentiori manu Regis non præfocabitur. Ideò nova factio, quemadmodum autoritatem Pontificum, Cardinalium, Quæsitorum fidei, Episcoporumque protrivit, sic tandem autoritatem Regis hebetare & infringere molitur, suscitando contra eum populos, Magistratus, Sacerdotes, atque ipsam Sedem Apostolicam.

Idem ego vicissim censeo, ait Ariovistus. Sed in gratiam D. Baccalaurei pergamus in detegendo prætensarum æquivocationum artificio, protulitque litteras cujusdam Abbatis ad quemdam Curiæ Romanæ Prælatum 1691. quæ de Decreto Alexandri VIII. contra propositiones 31. hæreticas, schismaticas & aliis respective censuris confixas pag. 23. sic habent " Innocentius XI. videbatur
„tranquillitatem Ecclesiæ utcumque restaurasse, & ali-
„qua ex parte amputasse similium novarum dissensio-
„num radices: atque ecce jam reviviscunt per De-
„cretum æquivocum ad nihil nisi ad dissensiones utile.
„Pag. 22. Harum propositionum tamquam æquivoca-
„rum damnatio ad nihil valet, nisi ad ignem injicien-
„dum scholis. Pag 11. Certum est & notorium toti or-
„bi sensum malum, in quo solo propositiones sunt
„censurabiles, à nemine defensum fuisse "

Adjunxit quoque Autorem difficultatum propositarum

rum Domino Steyaert anno 1692. parte 9. pag. 124. de eodem Pontificis Decreto dicentem; " Plenum est „æquivocationibus, & quidem subdolè affectatis, ut „damnarentur propositiones quas numquam sustinuimus, „nisi eo sensu quo sunt verissimæ. " En iterum prætensas æquivocationes, en modum facillimum defendendi propositiones omnes damnatas eodem sensu quo ab Autoribus traditæ & à Pontificibus proscriptæ ac condemnatæ sunt.

Similis modus, subdit Venantius, placet Doctori Hennebello & ejus sequacibus, ut propositiones omnes Lovaniensium ab Eminentissimo Cardinale de Aguirre collectas propugnet omni sensu, quo à suis Autoribus defensæ sunt, quamvis à propositionibus Jansenii damnatis in nullo recedant, *nec ovum alteri ovo similius sit quàm Theses ipsorum & doctrina Jansenii*, teste eodem Eminentissimo, quem nihilominus Doctor Hennebel jubet *agnoscere* sibi circa omnes illas propositiones esse *satisfactum*, modò Lovanienses *sensum* suum orthodoxum *clariùs exprimant, nec talibus utantur vocibus, quæ aliis scholis offensioni esse possent.* Quasi verò aliæ istæ scholæ Hennebellianos Theologos non intelligerent, aut solis vocibus & non magis sensu per voces significato tot viri doctissimi, qui vitam omnem studiis & controversiis impenderunt, adeò commoverentur? Ergo universa Baii & Jansenii doctrina mordicus retineatur & propugnetur strenuè quoad sensum; abstineatur modò à terminis similibus propositionum damnatarum, & *agnoscere* debebunt etiam Romani Pontifices sibi esse *satisfactum.*

Et quidni, inquit Baccalaureus, istud Romani Pontifices agnoscant? Mihi certè mirum videri solet, quòd se istud agnoscere nondum professi sint in Bulla aliqua vel Brevi: nam ut rectè ait Autor editionis operum Baii cum notis & vindiciis anno 1696. de propositionibus 79. à Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. condemnatis parte 2. pag. 77. *Articulorum qui proscripti sunt verba magis quàm sensum damnavit Pontifex.* Sic Dominus Germain eodem anno 1696. verbis supra citatis illud reverentiæ deferendum censet Constitutionibus In-

nocentii X. & Alexandri VII. contra doctrinam Janſenii, ut 5. propoſitiones damnatæ non defendantur, nempè iiſdem terminis, quibus proſcriptæ ſunt: imo abſolutè, inquit, pag. 450. " illud poſt definitionem „non licet, ſed aliquem ſenſum propoſitionum earum„dem defendere licet, ac ſemper licuit."

Jtane verò, D. Baccalauree? Infit Arioviſtus. Ergo quo nihil poteſt eſſe magis ridiculum, Romani Pontifices, ſpatio plus quàm centum & triginta annorum, quo Bajaniſmum, Janſeniſmum & annexas ei novitates eradicare ſtuduerunt, ſolis vocibus bellum indixere. Ergo ad decidendas quæſtiones de nomine tot Eccleſiæ ſtudiis & laboribus, tot precibus privatis & publicis, etiam ſolennibus Romæ ſupplicationibus opus fuit. Ergo iſtud eſt malum, quod dicebat Urbanus VIII. " in „ſcandalum totius Reipublicæ Chriſtianæ & Fidei Ca„tholicæ perniciem vertere. Ergo iſta eſt hæreſis adinſtar „colubri tortuoſi, cujus caput attritum eſt, in gyros & ca„villationum deflexus iens," ut de Janſeniſmo loquitur Alexander VII. Bullâ *Regiminis Apoſtolici.* Hinc Autor libelli, cui titulus " Doctrina Auguſtinianorum „Theologorum circa 5. propoſitionum materiam expo„ſitio &c." pag. 1689. pag. 22. dicit nunc omnium oculis patere, quàm inani fundamento ſubſtructum ſit totum illud novæ hæreſeos figmentum, quanto ſe crimine polluerint, qui tantos in Eccleſia diſſenſionum fluctus gratis excitarunt. Quàm facile autem fuiſſet tam diuturnarum contentionum æſtus vel in ipſo ortu comprimere vel etiam prævertere.

Simili modo mentitus Abbas, Autor litterarum ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum dolebat, quòd propter res ejuſmodi leviſſimi momenti, ut ſunt propoſitines triginta & una hæreticæ, ſchiſmaticæ & aliis reſpectivè, ſtigmatibus infames, Decretum ederetur ab Alexandro VIII. ideoque pag. 11. *Condemnare*, inquit, *illas propoſitiones eſt de re nihili excitare ſtrepitum*; debuiſſet tantum audiri Doctor Hennebel, forte non minori facilitate totum negotium compoſuiſſet, quàm illud propoſitionum Lovanienſium, quarum *innumeras* cenſebat Eminentiſſimus

Cardi-

Cardinalis de Aguirre minimè discrepare à damnatis in Jansenio: si enim sub Alexandro VIII. dixisset, se propositionum Autores " moniturum, ut sensum suum or-,,thodoxum clariùs exprimerent, nec talibus uterentur ,,vocibus, quæ aliis scholis offensioni esse possent, " numquid debuissent Alexander VIII. & Cardinales acquiescere, ac Decreto supersedere?

Omnino respondet ridens Venantius. Et si eadem dicta fuissent Pio V. Gregorio XIII., Urbano VIII. Innocentio X. & Alexandro VII. quibus Constitutionibus, Decretis, Brevibus parcere potuissent! Sed hæc Roma nescivit, infelix scilicet & cimmeriis circumfusa tenebris, quamdiu fuit tam præclaris destituta Doctoribus, qui quæstiones omnes, quantumcumque appareant de rebus gravissimis, revocare norunt ad inutiles ac grammaticales quæstiunculas de vocibus: si autem quæstio fidei inter Theologos agitata sit & à Pontificibus dirempta, quomodo sensum illarum propositionum, quas Cardinalis de Aguirre ait damnatis Jansenii propositionibus esse quàm simillimas, Hennebellus pronuntiat orthodoxum, dum Cardinalis cum universa Ecclesia ex declaratione Apostolicæ Sedis agnoscit sensum Jansenii, prout in libro ejus exprimitur, circa damnatas propositiones esse hæreticum?

Hennebellus, interrumpit Baccalaureus, potest ostendere discrimen inter sensum propositionum Jansenii & suorum Lovaniensium. Cur igitur non ostendit? rogat Venantius. Ego certè, D. Baccalauree, cupidus sum videndi illud discrimen, quod hactenus frustra à vobis postulatum est. Eadem cupido incessit & me, inquit Ariovistus. Sed non scio, D. Baccalauree, an satis observaveris, quàm universim asserat Hennebellus *satisfactum* esse Cardinali de Aguirre circa propositiones Lovaniensium ab ipso Eminentissimo collectas & impugnatas. Istud equidem, reponit Baccalaureus, satis observavi. Quid tum? Estne igitur, quærebat è vestigio Ariovistus, etiam *satisfactum* Eminentissimo de hac propositione Joannis Sinichii, quæ est 6. inter 31. condemnatas ab Alexandro VIII. *gratia sufficiens statui nostro non*

tam utilis quam perniciosa est, *sic ut proinde meritò possimus petere*, *à gratia sufficiente libera nos Domine?* Estne etiam Eminentissimo *satisfactum* circa propositionem hanc Macarii Havermans quæ est 30. inter damnatas eodem Decreto: *ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam*, *illam absolutè potest tenere & docere non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam?* Utraque est inter illas, quas Eminentissimus collegit. Estne etiam Eminentissimo Cardinali *satisfactum* circa cavillationem ejusdem Macarii Havermans & à Lovaniensibus aliis non paucis usurpatam de *famoso commate*, seu interpunctionis virgula in Bulla Pii V. contra 79. Baii articulos? Non est simile vero, ait Venantius, cum evidens sit, quòd ut demonstrat idem Eminentissimus, *irrita prorsus & incassum lata esset ea Constitutio*, si cavillatio illa subsisteret.

Tum Ariovistus sic prosecutus est; plurimæ sunt ejusmodi Lovaniensium propositiones, in quibus certum est non potuisse Eminentissimo satisfieri, sicut numquam satisfieri poterit circa propositiones in Jansenio damnatas quibus istæ *ut ovum ovo simillimæ sunt*: aut si circa illas omnes satisfiat eò quod dicantur *æquivocæ*, uti nulla propositio tam clara & univoca est, quæ in varios & alienos sensus ab hæreticis non detorqueatur, ita nulla propositio tam manifestè hæretica est, ut ei sensum *æquivocum* affingere quilibet non possit, & inter sensus varios fortè unum tolerabilem; sed non ideo propositio secundùm se, in sensu obvio atque ipsius autoris ut primum prolata est, hæretica esse desistit. Insignis hæreticorum fraus est, & pridem fuit Pelagianorum aliorumque ubi captos se vident, sensum à catholico non abhorrentem saltem in speciem, propositioni suæ hæreticæ tribuere ad tempus, sensum verò hæreticum, quem tenent, in meliorem opportunitatem reservare, clarè apertiusque profitendum.

Quas hìc, inquit Baccalaureus, alias Lovaniensium propositiones Ariovistus commemorat? Eas, credo, de quibus in suo Memoriali P. Palazol. Sed audite, quæso, quid de iis Hennebellus scribat; "*Opponit* (P. Palazol)
num.

„*num.* 74. *farraginem propositionum congestam in librum*, „*cui titulus, propositiones disseminatæ per Belgium. Dicit eo* „*viso sic erubuisse Jansenianos, ut aliquo tempore silere coacti* „*fuerint.* Dicere debebat, quod ipsos illius collectionis „Autores ita puduerit operis sui, ut diu ne magno qui- „dem pretio à Lovaniensibus Theologis exemplar illius „comparari potuerit : mox autem, ut habitum fuit, ita „omnia, quæ sibi in illa opponuntur, scriptis publicis „exposuerunt ac confutarunt Domini Huygens, Op- „straet, de Cocq aliique in illo libro accusati, ut eo- „rum responsiones nemo hactenus confutare ausus sit. „Si quid in illo libro horridum erat, non Lovanien- „sium, non Theologorum, sed Anonymorum hæreti- „corum, aut saltem externorum erat. Ex iisdem varia „hoc Paragrapho congessit P. Palazol, quæ cum ad nos „non pertineant, nullam quoque à nobis vel responsio- „nem vel defensionem merentur.

Ista ex Hennebelli scripto recitaverat Baccalaureus, cum Ariovistus eum sic adortus est ; An ergo immeritò opponit P. Palazol *farraginem* istam *propositionum ?* Certè etsi deessent cetera omnia, tamen hæc farrago evinceret Jansenianam luem reverà etiamnum grassari & quidem per Belgium. Ille autem *Propositionum disseminatarum* liber conscriptus est, & propositiones collectæ sunt curâ hodierni Archiepiscopi Mechliniensis, postquam hic à sacra Congregatione litteris Eminentissimi Cardinalis Cybo acceperat mandatum colligendi propositiones quibus Belgium turbari judicaret : cumque earum numerus ad chiliadem forte accederet, nimis difficile visum est tot exemplaria describere, quot opus esset ad distribuendum inter Cardinales, Consultores & Qualificatores sanctæ Inquisitionis ; idcirco propositiones illæ typis excusæ sunt. An viso illo libro, quærit Baccalaureus, ita nostri erubuerunt, ut scribit P. de Palazol ? Hoc ego, D. Baccalauree, respondet Ariovistus, sciscitarer ex te, qui istis hominibus uteris adeo familiariter. Hoc certùm scio tuos hîc habuisse, cujus puderet, si quod Pater Palazol supponit, erubescere aliquando didicissent : nam statim initio libri videbant articulo 1. *Contemptum*

Romanorum Pontificum. Articulo 2. *Contemptum Eminentissimorum Cardinalium & Consultorum S. Officii.* Articulo 3. *Contemptum Indicis Tridentini, & Ritualium*, & plurima alia horrenda, articulis sequentibus de Baianismo, Jansenismo, Quietismo, de propositionibus 31. damnatis ab Alexandro VIII. de prohibitione Novi Testamenti Montensis, de Sacramentis, &c.

Tunc iterum Baccalaureus dixit; Asserit P. Palazol eos ita erubuisse, *ut aliquo tempore silere coacti fuerint.* Sic est, reponit Ariovistus: quippe postquam liber Romam missus est, signatis singulis paginis à duobus Notariis Apostolicis, qui fidem excerptionis, sive ut vocant *Concordantiam cum originalibus* testarentur, illic, ut fit, communicatus est cum iis quorum intererat. Tum statim apparuit quædam in nova factione consternatio; certè pruritus scribendi, qui aliàs quotidie novi aliquid protrudebat in lucem, aliquo tempore repressus fuit. Atque istud silentium est, cujus meminit Pater Palazol, & cujus nulla ratio reddetur verisimilior.

Sic etiam ratio, subdit Baccalaureus, quare liber iste statim non prostiterit venalis, nulla reddetur verisimilior, quàm quæ jam reddita est ab Hennebello, nempe *quod autores puduerit operis sui.* Erras mi Baccalauree, ait Ariovistus, erras. Ratio cur liber ille statim in officinis venalis non prostiterit, hæc est, quia, ut jam nunc dixi, ad usum tantummodo S. Congregationis conscriptus erat, & quia explorare priùs Archiepiscopus voluit, an S. Congregatio distractionem publicam non esset prohibitura: nam monitus fuit Archiepiscopus ex Hispania, non multa illuc exemplaria transmitteret, alioquin librum ab Inquisitione Hispanica prohibendum vel propter sola absurda quæ referuntur parte 7. art. 4. §. 4. ex Gummaro Huygens & Joanne Opstrate de examine quod Confessariis præscribunt instituendum circa pœnitentes utriusque sexûs, cujuscumque ordinis, & ætatis in castitatis materia, etiamsi nullum indicium sit, ex quo censeantur pœnitentes in illa materia deliquisse. Non ergo pudor, ut Hennebellus arguit, aut malæ fidei conscientia in causa fuit, cur ab initio exemplaria

libri

libri iſtius palam in officiis divendita non ſint. Hoc facilè, Venantius addebat, unuſquiſque crediderit: etenim libri illius auctores fruſtra voluiſſent denuntiationem illam celare adverſarios, quos ſciebant & Romæ ſuos habere & S. Congregationem ipſis communicaturam puncta accuſationis; non enim ſolet ſtatuere aliquid parte inauditâ alterâ. Quamobrem, Arioviſte, tranſi potiùs ad alia, & narra nobis, quinam ad iſtum librum reſponderint, & quo ſucceſſu.

Tum Arioviſtus ſic pronuntiavit; Ad propoſitiones ex ſcriptis ſuis deſumptas, reſponderunt Domini Huygens, Opſtrate, de Cocq. Et cum Arioviſtus hìc ſiſteret, ſubdebat Baccalaureus hæc reliqua verba Hennebelli; *aliique in illo libro accuſati*. Sed quinam iſti alii ſunt? quærit Arioviſtus. Quaſi verò reſponderint omnes, quorum propoſitiones in illo libro denuntiatæ ſunt. Ego præter tres iſtas reſponſiones, nullas ex profeſſo compoſitas vidi. Neque ego, inquit Venantius. Deinde Arioviſtus ſubſumpſit; atqui propoſitiones, ad quas illi tres reſponderunt, vix ſunt quinquageſima pars libri & propoſitionum denuntiatarum; neque reſponſiones aliò ferè ſpectant, quàm ut propoſitionum atrocitatem interpretationibus mitigent. Tu jam conclude, D. Baccalauree, ſi lubet.

Baccalaureo autem interroganti, cur propoſitionum Collectores non confutaverint eas interpretationes, reſpondit Arioviſtus, quòd id non cenſeant eſſe muneris ſui. Quia, inquiebat, quod ſibi ab Archiepiſcopo & per hunc à S. Congregatione impoſitum erat, impleverunt jam & examen relinquunt Sedi Apoſtolicæ ac S. Congregationi, ad quam pertinet diſpicere tum de propoſitionibus tum de interpretationibus, legitimæne illæ ſint, an verò *excuſationes in peccatis*, & an propoſitiones ſecundùm ſe atque in ſenſu obvio non ſint dignæ reprehenſione ac cenſurâ. Alioquin, addebat Arioviſtus, ſi S. Congregationi gratum fore noviſſent, ut reſponſum aliquod ad interpretationes illas conficeretur, id conficerent quam celerrimè, quemadmodum mihi nuper aliquis ex Collectoribus indicavit. Idem & ego audivi, ſubdit Venantius. Sed dum

illa

illa fuit inter vos contentio, fraudem insignem Doctoris Hennebelli observavi & Ecclesiæ præsertim Belgicæ perniciosissimam, quæ modò retegenda est.

"Si quid, inquit, in illo libro, propositionum per Bel„gium disseminatarum, horridum erat, non Lovanien„sium, non Theologorum, sed Anonymorum, hæretico„rum, aut saltem externorum erat." Quid ergo? Quærebat Venantius, nihilne horridum erat in doctrina Eugenii de Gelder Brugensis, cum, ut aliàs vidimus, scripsit in libro cui titulus, Ultima vox Zelatricis innocentiæ anno 1680. pag. 30. "Quod Urbanus VIII. fuerit deceptus, patet ex „propria ipsius bulla: Ibidem quod Innocentius X. fue„rit deceptus, ad oculum demonstratur. Idem pag. 31. „quod Alexander VII. fuerit deceptus, ex eo constat „quod liber Jansenii numquam Romæ rite fuerit exami„natus." Nihilne horridi in eodem libro pag. 115. cum pronuntiat "doctrinam S. Augustini à doctrina Jansenii „reverà inseparabilem?" Nihilne horridi in eo quòd eâdem paginâ dicit "fortassis multas propositiones Mi„chaëlis Molinos talibus terminis conceptas quod vix „à fundamentalibus vitæ internæ & verè spiritualis à SS. „Patribus nobis traditis distingui possint?" An fortè hunc rejiciat inter hæreticos? tales quidem apud me sunt omnes verè Janseniani, sed an non posset hic æquè ac tam multi alii ex Hennebellianis, obtentu æquivocationum sese defendere? Quis dubitat? inquit Ariovistus. Et ita quidem se defendit pag. 114. vocans "5. propositio„nes vafrè fabricatas (à Jansenii adversariis) in se justè „condemnabiles, ad sensum tamen catholicum facilè „reducibiles." Igitur eâdem ratione, infert Venantius, explicare potest dictum suum ibidem de propositionibus Michaëlis Molinos, adeoque quid aliud opus erat Eugenio de Gelder, nisi ut sensum suum orthodoxum dein„ceps clariùs exprimeret, nec talibus uteretur vocibus, „quæ aliis scholis offensioni esse possent." Deinde, ut pergamus uti Hennebellianorum propositionibus, cur Molinos non dicatur in sola erasse quæstione facti? Sed quemadmodum non solus ille Eugenius Jansenii sensum, ita nec solus Michaëlem Molinos excusavit, cùm pag. 115.

dicat,

dicat, " quòd aliqui eum magis infelicem, quam no-
„centem autument.

Quinam ſunt iſti *aliqui*? rogat Baccalaureus. Reſpondit Arioviſtus; Satis ſuperque notum in Belgio eſt Eugenium de Gelder plurimos adhærentes & fautores habuiſſe. Sed nimis confidenter, quæ audiverat in cubiculis, prædicavit ſuper tecta. Putabat, uti nunc putat Paulus Aurelius, adveniſſe tempus loquendi. Quanto Academicorum concurſu & plauſu contra Societatis Religioſos & pro nova factione concionatus eſt Lovanii? Vix templa capiebant auditores, præſertim Theologos, qui apertis valvis, turmatim & velut factis agminibus ad tam zeloſum & intrepidum veritatis præconem effundebantur. Tot autem munuſculis, tot lautitiis ac cupediis quotidie à fautoribus cumulabatur concionator, ut illis conſumendis non ſufficeret: his ipſe excipiebat ſequaces ſuos & novos faciebat proſelytos. Ita eſt, ut dicis Arioviſte, reſpondet Venantius; & adhuc illud tempus mihi videre videor. At verò redeo ad librum *Diſſeminatarum propoſitionum*. Nunquid *horrida* ſunt, quæ in illo libro referuntur ex libellis Ægidii de Witte Decani nuper & Paſtoris in Collegiata Eccleſia D. Virginis Mechliniæ.

Baccalaureus non audiebat æquo animo narrari ſimilia quæ vel ipſi horrorem incuterent, & Hennebelli partiarios ita in invidiam vocarent. Eſt itaque conatus Venantium aliò avocare, aiens; quàm malè ille Ægidius de Witte ſibi ab hoc Archiepiſcopo metuebat! Ultrò ſeſe Decani ac Paſtoris munere abdicavit, & dein vagatus eſt per varias civitates Belgii. Tamen, inquit Arioviſtus, nondum ſilet, mittit adhuc ſibilos pro Janſenio & contra Jeſu Societatem, neſcimus ex qua fovea quave latebra, adeò ut ipſe ſit quaſi *Albinus canis* per quem, teſte Hieronymo præfat. in 3. lib. in Hierem. olim latrabat aliquis mutus hæreticus. Duas Epiſtolas anno ſuperiore typis ab ipſo mandatas Senatus ſupremus Mechlinienſis publicâ ſententiâ & decreto condemnavit, de hoc alibi diſtinctiùs dicere aliquid cœpimus. Reſtant plura, quæ ego jam... Siſte, Arioviſte, inquit Venantius,

tius, non videris mihi præter morem tuum observasse D. Baccalaurei versutiam. Eò spectat ipsius de D. Ægidio instituta oratio, ut nos à *disseminatarum propositionum* libro abducat. Revolvamur igitur, unde iterum fermè digressi fuimus.

Numquid *horrida* in eodem libro exhibentur excerpta ex Dictatis publicis Matthæi Rouvroy Theologi Lovaniensis & Professoris in Seminario Episcopali Namurcensi? Episcopus Professorem exautoravit, ejus dictata commisit examinanda omnium ordinum Theologis, atque etiam Lovaniensibus quibusdam Doctoribus: omnium illa oculos offenderunt: ipsi Doctores Lovanienses, Reverendissimus Lambertus le Drou, qui nunc Romæ est Sacrista Pontificius Episcopus Porphyriensis, & Henricus Charneux hanc sententiam suam scripto dederunt anno 1691. 8. Februarii, " Quantum ad tertiam (Jansenii propositionem) quæ sic habet, ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione, non potuit ex Dictatis ostendere quòd se satis ab illa decernat: unde censemus potuisse propterea citari, & si pertinaciter adhæsisset doctrinæ, quam dictata continere videntur, etiam puniri pœnâ privationis voti activi & passivi ad Decanatum, & ad quodcumque beneficium Ecclesiasticum.

Numquid *horrida* satis multa sunt in Dictatis Jacobi Gilbert, cum in ea, velut Jansenianam hæresim apertè continentia, horrendùm nuper fulminaverint Episcopus Atrebatensis & Parisienses Doctores? Quid magis *horridum* excogitari potest, quàm quæ continentur in Epistolis Domini Malpaix & Domini de Ligny? Quàm multi Duaceni subscripserunt famosis 7 thesibus! Ipsi subscribentes judicarunt esse tales, ut si hæ subscriptiones innotescerent, non essent evasuri pœnam exilii, ut reverà contigit, saltem aliquibus, nempe Dominis Jacobo Gilbert, Francisco de Laleu, Rivette, & de Ligny.

Nihilne horroris habet illud Martini de Swaen, quod adhuc citavimus ex ejus thesi anno 1689. cum rogatus

cur

cur nollet condemnare 5. propositiones in sensu Jansenii, respondit his verbis. An illa musca, interjicit Baccalaureus, revolat iterum, jam abacta toties? Abacta est numquam, reponit Venantius, neque ei abigendæ ullum sufficiet *muscarium*. Res certa est. Respondit, inquam, his verbis; " quis enim non videat periculum „imminere non infundatum, si propositiones famosas „damnarem in sensu ab autore intento, ne hinc inferat aliquando (adversarius) me non meam tantum, „sed etiam majorum doctrinam imprudenter damnasse? & tamen hic Doctor Lovaniensis est & omnes supra citati partim Lovanienses partim Duaceni sunt; certe ad unum omnes Belgæ, vel in Belgio ista tradiderunt: omnes isti citantur in libro *Propositionum per Belgium disseminatarum*. Nihilne igitur continet liber iste, quod argumento esse possit Patri Palazol ad probandum dari aliquem in Belgio Jansenistam?

Quod attinet ad libros & libellos Anonymos & Pseudonymos, horum plurimos *horroris* plenos esse fatebitur quisquis haud amans novitatum eos legerit. Quare tu, Venanti, quærit Baccalaureus, vocas libros nostros Pseudonymos? Pseudonymos voco, respondet Venantius, non quòd scripti sint sub aliorum Autorum nomine, sed quòd sub nominibus fictitiis vel ita larvatis, ut dignosci nequeant. Ejusmodi libelli pro Jansenio contra Pontificum Constitutiones, contra SS. Inquisitionum Episcoporumque Decreta, ultimis hisce annis editi sunt complures, & toto Belgio sparsi, alii Flandricâ linguâ, alii Gallicâ, pauciores Latinâ. Tales sunt circiter sexaginta ex iis, quos Archiepiscopus Mechliniensis Decreto anni 1695. 15. Januarii prohibuit. Plures post illud prodiere. Verùm quoniam nunc agitur de solis libris, qui citantur in libro cui titulus *propositiones per Belgium disseminatæ*, aliqua minutiùs concidenda sunt. Quare fas mihi sit tantisper quasi professorem agere. Vos favete linguis.

Itaque dico primò, gratis asseri à Doctore Hennebel quòd libri in quibus *aliquid apparet horridi*, sint *hæreticorum*. De sola Apocalypsi Melitonis ab aliquibus dubitatur, an alicu-

alicujus Calviniani non ſit, affirmantibus aliis ſe ſemper audiviſſe quòd ſit alicujus Epiſcopi, quem nominant. Quidquid ſit, ſolum ex illa allegantur quædam contra Religioſos. Ex aliis verò autoribus, velim Dominus Hennebel hæreticos deſignet, nempè ab Eccleſiæ communione ſejunctos. In eorum libris nullum talis ſejunctionis ſignum occurrit, nullum veſtigium aut ſimulacrum Calviniſmi, prout Calviniſmus plus aliquid erroris, quàm Janſeniſmus complectitur. Quin imo Autores illi paſſim ſe profitentur filios Eccleſiæ Romanæ, Pontifici ſubjectos & à Calviniſtis aliiſque hæreticis alienos.

Dico ſecundò, non rectè à Doctore Hennebello libros illos attribui *externis*, agendo ſaltem de libris ultimo decennio editis: nam imprimis de libris omnibus linguâ Flandricâ exaratis, quales inter *horridos* illos valdè multi ſunt, planum eſt conſcriptos eſſe à Belgis, cum nullus niſi in Belgio & quidem ab ineunte ætate enutritus difficillimum illud idioma ediſcere ita valeat, ut ad ſcribendos libellos idoneus evadat; quin & ex ipſis Flandris pauci ſunt, qui tam perfectè linguam patriam calleant, ut in ea aliquid audeant vel poſſint concinnè in lucem edere. Quid plura? Me noſtis hîc natum & enutritum; tamen ne epiſtolium quidem auderem ad virum honoratum Flandrico idiomate conſcribere.

Dico tertiò, ne quidem libros Gallicos, ſaltem recentiores, qui pacto neſcio quo plus præ ſe ferunt audaciæ, externis tribuendos eſſe, niſi externos confundere velis cum domeſticis: nam licet etiam pauci Belgæ ſint adeò ſermonis Galllici ſcientiâ exculti, ut ad ſcribendos in eo libellos proſilire audeant, vagantur tamen per Belgium ibique ſedem fixerunt ſat multi, qui cum in Gallia ad novitates divulgandas non ſatis tuti eſſent, inde profugêre in Belgium, ut profugit famoſus Antonius Arnaldus, qui ædibus P. Martini de Hont Oratoriſtæ Bruxellis exceptus eſt, & annos plurimos latuit ſolis illius factionis hominibus notus, in eademque domo mortuus. Illi ſe annos vitæ ultimos comitem individuum adhæſiſſe teſtatur Queſnel Oratoriſta

Gallus

Gallus ſcriptis & ipſe magis quam facie notus Belgis, utpote ex quibus nemo extra factionem illam auditus Bruxellis eſt dicere, quòd eum viderit: fatentur autem Arnaldi defenſores in ſcriptis publicis, quòd varia ediderit tecto nomine: eſtne veriſimile, quòd Pater Queſnel, & ipſe Scriptor famoſus, qui propter *negotium formularii* dicitur Galliis exceſſiſſe, vitam cum Arnaldo ſcriptionibus vacuam duxerit? Certe fama eſt, non nulla, quæ contra Steyartium ſcripta ſunt, illius eſſe fœtum. De hoc quidquid ſit; ſat multis, ut dixi, Gallis abundat Belgium, ut Autores ſint libellorum omnium anonymorum, de quibus querimur: in Galliis enim editos eſſe, nullo modo ſimile ſit vero, propter ſummam Miniſtrorum Regiorum in Typographos vigilantiam & Chriſtianiſſimi Regis in plectendis ejuſmodi reis ſeveritatem.

Tum Arioviſtus, ignoſce mihi, inquit, eruditiſſime Venanti, ſi tua dicta ſingulari aliquo evento comprobare aggrediar. Exemplar cujuſdam libelli Antonii Arnaldi paucis antè annis deprehenſum fuerat apud neſcio quem Pariſiis Typographum, ſatis hoc Regi fuit, ut eum damnaret ad triremes. Propiùs, ait Venantius, Duaco abſumus. Detectis in Univerſitate Duacena novitatibus, quas interceptæ Novatorum litteræ prodebant, rei ſtatim juſſi ſunt ſolum vertere, tantùm unâ alterâve horâ conceſſâ, ut de rebus ſuis & itinere diſponerent, præterquam quòd uni inter illos ægroto tempus, dum convaleſceret, ex ſpeciali gratia indultum fuerit. Quapropter, concludebat idem Venantius, in tota ditione Gallica non facile reperire eſſet Typographum, qui ſimilia imprimere auderet, nedum diſtrahere. Sed & quomodo tanta exemplarium copia, quanta in Belgio conſpicitur, illuc ex Gallia deveheretur? Tanta eſt eorum, qui gabellas colligunt accuratio, & diſquiſitio tam ſtudioſa, ut videantur eſſe totidem Argi, atque adeò difficillimum ſit vel in rebus exiguis eos fallere; merces autem ejuſmodi apertè declarare foret periculoſæ plenum opus aleæ. Sed & fruſtra adirentur tot pericula & tot ſumptus, tum vecturæ tum Gabellarum,

quandoquidem in Belgio summa hactenus fuerit edendi quidlibet licentia, vel eorum, quorum esset impedire, dissimulatio.

Ariovistus sicut ferme ubique, ita & hîc assensus est Venantio. Vera dicis, inquiebat; & ista indomita quidlibet typis mandandi licentia majus quotidie capit incrementum. Non movet pedem Archiepiscopus Mechliniensis; Martinus Steyaert Sacræ Theologiæ Doctor nullum verbum proloquitur contra novam factionem, ejusve doctrinam aut praxim, sive in schola, sive in convivio, sive in alio cœtu, quin statim contra illud prodeat libellus Gallicè conscriptus, cujus infinita exemplaria Lovanii & totâ Brabantiâ dispergantur. Igitur necesse est dicere, vel quòd Lovanienses & alii qui in Diœcesi Mechliniensi degunt, cum Gallis in Gallia existentibus conspirent, omnia annotent, omnia illis transcribant, ut illic concinnentur & excudantur libri, qui dein mittantur in Belgium, id quod nullam veri speciem gerere jam ostendimus; vel quòd libri ex Gallia manuscripti transmittantur excudendi in Belgio, aut Coloniæ, aut Leodii. Sed hoc etiam parum credibile est propter nimias ambages periculumque Autoris, talia & componentis in Gallia & transmittentis: etenim litteræ quandoque intercipiuntur; & majores ejusmodi fasciculi atque perpetuum litterarum commercium, tempore belli, quo plerique illi libelli Gallici conscripti sunt, suspicionem facilè injicerent præfectis cursorum.

Quamvis, inquit Venantius, hoc gratis concederetur, tamen mali radix ac semen esset in Belgio, unde materies hujuscemodi scriptoribus submitteretur, atque adeò omnes illi conscii ac participes non minus quàm ipsi Scriptores rei forent. Vel demum, subjungit Ariovistus, dicendum est atque videtur indubitatum, quòd Gallici isti Scriptores in Belgio versentur, ubi summa est scribendi & imprimendi libertas, ac facilè ali illic possunt solis expensis, quibus constarent litteræ ultro citroque mittendæ cum tam copiosis documentis & autographis opusculorum.

Non ita pridem aliqui Lovanii cum tot novos libel-

los

los viderent præ se ferre nomen civitatis Coloniensis, Coloniæ per amicos inquiri sedulò curarunt, quid ea de re esset. Responsum autem retulêre, neminem illic Typographorum quidquam scire de ejusmodi libellorum impressione. Et quæ necessitas? quis fructus tantorum sumptuum, cum exiguus ejusmodi libellorum numerus distrahendus sit Coloniæ, ubi in paucissimis est amor aliquis novitatum aut studium eas cognoscendi, multo minus in reliqua Germania, in Belgio verò, præsertim Lovanii, Bruxellis, Antverpiæ, summa sit erga tales merces aviditas, & summa ementium multitudo?

Minor etiam ratio videtur asserendi vel suspicandi, quòd pauci illi libelli qui Latino idiomate editi sunt, aliunde in Belgium advolarint, cum vix quidquam contineant, quod in Flandricis vel Gallicis non legatur. In Spongia *notarum* contra Dominum Steyaert pars aliqua dicitur alibi concepta, aliam verò partem & subsecutas Spongiæ defensiones, quas Autor *Crisim* & *prosecutionem Criseos* vocat, satis constat Scriptoris esse Belgæ, qui ex suo stylo vehementi & indomito æque ac pictor ex certis lineamentis internoscitur.

Tum Ariovistus, & illud inquit, notandum est quòd libri, in quibus Constitutiones Pontificiæ & SS. Congregationum Decreta fœdissimè proscinduntur, editi sint sub titulo impugnandi Archiepiscopum Mechliniensem aut Martinum Steyaert Sylvæducensem Vicarium. Per horum latus Sedes petitur Apostolica.

Quid opus est pluribus? Pergebat idem Ariovistus; Ex iis quæ ego & Venantius hoc loco disseruimus, patet, D. Baccalauree, malum in Belgio esse, non modò quia libris ejusmodi infamibus omnia illic plena sunt, sed etiam quia illic imprimuntur & componuntur. Neque ideò malum minus est, quia libellis Anonymis, & Pseudonymis diffunditur. Contrà cum tenebriones illi verisimiliter quidam transfugæ sint, viles stipendiarii, vel in sua patria infames, minus autoritatis haberent eorum libri, atque ita minus nocerent, si nomina Autorum propria præ se ferrent. Nunc autem cum scribitur sub nomine " Francisci Man-

„ſeau Præpoſiti Sancti Petri, G. Prioris S. Martini, Ab-„batis du Manoir, D. le Prêtre Abbatis Frigidæ Vallis, „Abbatis ad quemdam Prælatum Curiæ Romanæ, D. „Germain Doctoris Theologi, Pauli Aurelii &c." Ab iis qui ejuſmodi fraudum ignari ſunt, putantur eſſe viri magni & integra Autorum legio, cum forte duo ſolùm vel tres ſint, quales deſcripſi, fidei & autoritatis ſuſpectæ, varias & ſpecioſas ad fallendum larvas induti.

Hîc Baccalaureus eò progreſſus eſt (audaciæne dicam an dementiæ?) ut quæſierit, an hujuſmodi male ominati libri non eſſent ab ipſis Jeſuitis elaborati & editi. Arioviſtus autem mitiùs quàm merebatur, illum ſic refutavit. Ad id, inquiebat, memini me tibi reſpondere adhuc aliàs; tamen & jam reſpondebo. Fateor equidem eſſe nonnullos qui dicuntur obſcuris ſubinde clam inſinuare ſermonibus, quaſi prætenſorum Janſeniſtarum adverſarii, & nominatim Societatis Patres componerent libellos iſtos abſurdiores pro doctrina Baii & Janſenii contra Pontificum Conſtitutiones, contra Inquiſitionis Decreta, contra Belgii Epiſcopos, præcipuè contra Archiepiſcopum Mechlinienſem, contra D. Steyart, imo contra ipſam Societatem, cujus Theologi in ſimilibus libellis vocantur Pelagiani, & tot calumniis onerantur, ut nulla foret hæreticorum ſecta Eccleſiæ pernicioſior, ſi vera eſſent, quæ à libellorum iſtorum Autoribus Societati affricantur. Sed neque tu, D. Baccalauree, neque Doctor Hennebel, neque quiſpiam illorum qui ſimilia clam ſpargitis, auſi eſtis hactenus hoc probandum ſuſcipere, vel in aliquo libello aut ſcripto publico ullam de eo ſaltem ſuſpicionem movere, ne Societatis Patribus præberetur occaſio hanc calumniam coram toto mundo convincendi.

Interea provoco, non te tantum mi Baccalauree, verùm etiam tuos omnes, ut aliquos ejuſmodi deſignetis libellos, de quibus hanc poſſe injici ſuſpicionem arbitremini. Edicite mihi, an inter 70. libros, quos Archiepiſcopus Mechlinienſis proſcripſit Decreto anni 1695. 15. Januarii, ſit vel unus de quo ſuſpicio vel minima eſſe poſſit, quod

quod ab aliquo Societatis vel ejus amico sit compositus? atqui præter aliquot primos & ultimos Calvinianos, & unum alterumve folium aliò pertinens, omnes illi libri anonymi pro Jansenio ejusque sequacibus militant; & vix quidquam horridum contra Constitutiones ac SS. Congregationum Decreta excogitari potest, quod in libris istis non audacissimè effutiatur ac propugnetur. Edicite quoque de libris anonymis post Decretum istud Archiepiscopi editis, E. G. de *operibus Baii cum notis & vindiciis*, de Gallica defensione *Ecclesiæ Romanæ & Summorum Pontificum* sub ficto nomine *Domini Germain*, de libello sub nomine *Ignatii Eyckenboom*, de libello sub nomine *Martini du Chesne*, de libro sub nomine *Abbatis du Manoir* de *causa Arnaldina* edita sine nomine Autoris, de *Panegyri Janseniana* & *Prologo Galeato* sub nomine *Pauli Aurelii*, edicite inquam, an de his & similibus suscipio possit incidere, esse compositas à Societatis Theologis ad invidiam adversariis conflandam? Hinc facile gradus fieret, ut quidquid Romæ subinde à nefariis hominibus famosorum Scriptorum contra summos Ecclesiæ tam spirituales quàm seculares Principes clam affigitur, diceretur compositum ab ipsis Principibus, quorum fama denigratur; atque hoc ab ipsis studiosè fieri, ut in suspicionem vocent suos adversarios, atque ita illorum odio inflamment omnes, qui in ejusmodi scriptum oculos conjecerint. Quæ quam absurda sint atque incredibilia, nemo non videt.

Vellem, inquit Venantius, adesset Hennebellus. Iteratò ex eo quærerem, an ex dictis non constet Jansenianos libros, Belgium inundantes, non aliunde illuc affluxisse, sed ex Belgio traxisse originem. Nunc alia, ait Ariovistus, detegenda est Hennebelli ejusque sociorum machinatio longè perniciosissima. Ecquæ obsecro, Baccalaureus rogat. Confestim Ariovistus hunc in modum ratiocinatus est; Omnium aliarum provinciarum ac regionum Episcopi & Principes de libris illis nihil sciunt, vel si unum forte alterumve exemplar curiosus quisque nactus fuerit, satis securi & certi sunt, ea illic impressa non esse; hinc fit persæpe ut nemo illic se tali-

bus libris eorumque autoribus magnopere opponat. Quapropter si Doctor Hennebel & ejus socii persuadere possint, libros illos non in Belgio scribi nec imprimi, non multum soliciti erunt Belgii Moderatores, atque ipsa Catholica Majestas, ut modum ponant & ejusmodi libros cum suis Autoribus & Impressoribus eliminent, aut in hos vigilantiùs jubeant inquiri. Dum contra tales Episcopi conqueruntur, & remedium, quod ipsi fractâ jam & elisâ autoritate afferre per se non possunt, à suprema postulant potestate, dicuntur σκιομαχεῖν sive contra umbras depugnare, quasi nullum in Belgio malum sit; unde & magis decrescit Episcoporum existimatio, & populo persuadetur nihil in libris istis mali esse, nihil veneni, cum permittantur; vel si prohibeantur Romæ, id fieri propter pravas informationes vel importunas solicitationes; si prohibeantur ab Episcopis, tribuitur prohibitio nescio cui labi animorum. Sic quotidie augescit audacia & numerus novaturientium, dumque hi videntur contra Episcopos prævalere, malum redditur quodammodo immedicabile.

Eâ Ariovisti raciocinatione finitâ, Venantius dixit advenisse tempus cœnandi, quod ubi fecerant, redintegrata fuit dissertatio & in multam protracta noctem. In causa fuit Ariovistus, qui occasione nescio quâ dixerat Patrem Palazol illo §. 5. adducere plura alia argumenta ad demonstrandum Jansenianum colubrum serpere adhuc & sibilare in Belgio.

Non ignoro, subdebat Ariovistus, & Hennebellus pronuntiat ea esse nullius ponderis;" En summam, inquit, „argumentorum Patris Palazol, quæ aliquâ saltem specie „allegari posse videntur ad probandum dari in Belgio „veros Jansenistas: cetera enim ne per speciem quidem „id probant, quia aut sunt incertorum Autorum, aut ad „Belgium nullo modo pertinent, neque Belgis nisi ri„diculè adscribi possunt: quale V. G. illud est, quod „allegat ex Nicolao Antonio in sua Bibliotheca veteris „Hispaniæ, cui, à Jansenista quodam Belga, insertum „aliquid fuisse prætendit lib. 6. cap. 11. num. 265."

Tum Ariovistus infit; Summa hæc argumentorum

Patris

Patris Palazol, à Doctore Hennebello subducta est more suo, id est infidelissimè: nam quænam ea argumentorum summa est, quæ argumenta maximè certa & evidentia silentio præterit? Præter argumenta superiùs memorata, quæ obscurare & eludere frustra conatus est Doctor Hennebel, supersunt convincentia ex *nova editione operum Baii*, ex *adumbrata Ecclesiæ Romanæ defensione*, ex *Testamento spirituali Antonii Arnaldi &c.* De his altum tacet, nisi quòd sepia unâ simul omnia infuscet atque obducat dicendo, *Cetera ne per speciem quidem id probare*, videlicet dari in Belgio Jansenistas. Non audet tamen, inquit Venantius, illis Autoribus Jansenismi notam adimere; sed ideò solum contendit locos ex illis citatos id non probare, *quia aut sunt incertorum Autorum*, *aut ad Belgium nullo modo pertinent*, *neque Belgis nisi ridiculè adscribi possunt.* An ergo Hennebello, subjungit Venantius, tam incerti sunt Autores novæ editionis operum Baii, ut nesciat quinam ea Baii manuscripta, litteras, & quæcumque ante edita non erant, tam operosè Lovanii & alibi collegerint, quæ nunc recèns impressa conspicimus, quis & ad quem miserit edenda, in qua typographia impressa sint, cujus fidei commissa correctio? Non credo eum umquam Sacramenti religione affirmaturum, quòd istorum omnium ignarus sit: nos quidem de nobis fatemur, quòd eum ne unius quidem puncti ignarum esse, non auderemus asserere vel sine juramento, uti & quis sit Ignatius Eykenboom *adumbratus Ecclesiæ Romanæ defensor* propter indicia & testimonia autentica, quæ apud nos sunt certiora.

Sed agamus, inquit Ariovistus, paulo liberaliùs, ac proinde fingamus animo scripta illa & facta esse *incertorum Autorum*; ideòne inepta sunt ad probandum, quòd in Belgio existant Jansenistæ? Quàm multa sunt in singulis religionibus, provinciis, civitatibus vitia, quorum etsi Autores incerti sint; non desinunt tamen ea crimina reverà perpetrari, & probare esse in illis religionibus, provinciis, civitatibus homines quosdam sceleratos ac nefarios. Sic procul dubio tot famosæ chartæ, quæ Pasquino & Marforio affiguntur, etsi incerto-

rum Autorum sint, satis manifestè probant tales Scriptores Romæ esse, licet metu suppliciorum cohibeantur, ne iniquitates suas operentur, nisi in tenebris. Igitur argumento Patris de Palazol manet sua vis, suum robur.

Jam verò si libellorum istorum, saltem plerorumque & absurdiorum, Autores sint extranei, quibus tutis in Gallia esse non licuit, atque hac ratione Hennebellus dicat eos *ad Belgium nullo modo pertinere*, tametsi multis illic annis habitaverint; quicumque demum illi sunt, non possunt esse sine fautoribus, patronis & adhærentibus, qui eos in edocendo de omnibus, quæ aguntur, atque in imprimendis & distrahendis libellis adjuvent.

Interlocutus Venantius dixit; Tales satis multos adhærentes constat habuisse Antonium Arnaldum. Si ope expetitæ *Junctæ* sive Congregationis, pergebat Ariovistus, obtineri posset ejusmodi extraneorum expulsio, non exiguus esset fructus, futurus uberior quando pariter ab Illustrissimo Belgii Hollandici Vicario summâ diligentiâ in tales inquireretur, neque finerentur illic sacris operari. Sive ergo malum quod in Belgio est ab ipsis præcipuè Belgis sit, sive ab aliis in Belgio delitescentibus, quamquam & ab ipsis quoque Belgis esse argumento multiplici declaratum est, non desinit verum esse, quòd in Belgio dentur Jansenistæ, & quòd malum illic sit gravissimum, & singulari atque efficaciori, quàm hactenus adhibitum est, remedio indigeat. Domine Baccalauree, nonne jam tibi fidem exolvi meam? An demonstrationem afferre ullam clariorem potui?

Verumtamen Baccalaureus noluit victas manus dare, flecti nimium pertinax. Intra dentes obmurmurabat aliquid, non ausus disertè proloqui, credo, quòd quæ cogitabat, ea ipsemet perspiceret esse imbecilla. Maluit itaque transire ad suspicionem Patris Palazol, quasi inserta fuisset libro posthumo Domini Nicolai Antonii defensio hujus propositionis, *Sanguinem Christi pro omnibus fusum credentibus, non verò pro his qui numquam crediderunt, nec hodie credunt, nec umquam credituri sunt.*

Hoc loco postquam aliquantulum exultaverat Baccalaurei oratio, Venantius dixit; Erraverit in hac suspi-

cione

cione Pater Palazol, ut facile est in rebus facti tam dissiti, sicut Madrito dissita est Roma, ubi liber Nicolai Antonii, *Bibliotheca Hispaniæ veteris* appellatus, in lucem prodiit. Ideò qui Memoriale Patris Palazol ex Hispanico in Italicum transtulit, totum id de Nicolao Antonio, & S. Prudentio expunxit. Quapropter esto, quòd D. Nicolaus Antonius lib. 6. cap. 11. num. 265., ut ipse Hennebellus citat, dixerit *verè Catholicam esse illam Prudentii sententiam, indignamque Hincmari Censurâ.* Quid de sententia sit, & quâ ratione eam Hennebellus defendat, mox videbimus. Tantùm hîc verbo indico adeò non *molestam & importunam*, quemadmodum Hennebellus calumniatur, Jesuitis *jam pridem fuisse integritatem Eminentissimi Cardinalis de Aguirre*, ut potius neminem contra Hennebellum frequentiùs, neminem cum majori elogio citare consueverint. Et, si doctrinam ejus universam amplecti cum suis voluerit, nominatim quæ habetur in defensione Cathedræ S. Petri totâ disp. 19., 20., & 21., nihil ad fidei & doctrinæ *integritatem* circa materiam 5. propositionum Jansenii, imo & Bajanismi, à R. D. Hennebello ejusque sociis amplius requirent.

Hem, inquit Baccalaureus; quid de Prudentii sententiâ sit, mox videbitis. Priùs obsecro, audite quid Hennebellus pronuntiet. Id, inquit Venantius audiemus, quàm libentissimè. Sed ante nobis animadvertendum est, quantopere vulgo imponat etiam Autor solutionis diversorum Problematum valdè conducentium ad pacem Ecclesiæ pag. 103., ubi dicit *Cardinalem de Aguirre in Memoriali à P. Palazol vocari in suspicionem Jansenismi, quia visus est approbare dictam propositionem S. Prudentii.* Quâ fronte, inquit Ariovistus, vel quâ religione Autor ille hoc scripserit, ego non intelligo: tantum enim abest, ut P. Palazol id vel per umbram insinuet, ut num. 69. disertè dicat & probet talem propositionem tanto Theologiæ Magistro ac Cardinali attribui nequaquam posse. Nunc age, dixit Venantius, audiamus, D. Baccalauree, quid tuus Hennebellus pronuntiet.

Hæc ſunt, inquit Baccalaureus; " Si Patri Palazol „S. Prudentium accuſare libet, non deerunt Sancto, „neque Nicolao Antonio ſancti viri Apologiſtæ defen-„ſores. Refert itaque Nicolaus Antonius vir clariſſimus „hanc S. Prudentii propoſitionem, SANGUINEM CHRI-„STI PRO OMMIBUS FUSUM CREDENTIBUS, NON VERÒ „PRO HIS QUI NUMQUAM CREDIDERUNT, NEC HODIE „CREDUNT, NEC UNQUAM CREDITURI SUNT. Sic ſuo „ſeculo locutum S. Prudentium, mirum non eſt, cum „ipſe Proſper in reſponſione ad capitulum 9. Gallorum „doceat, POSSE SALVATOREM DICI PRO HIS TANTUM „CRUCIFIXUM, QUIBUS MORS IPSIUS PROFUIT. Hanc S. „Prudentii ſententiam, eodem ſeculo, confirmarunt San-„cti Viri & Eccleſiæ Concilia. S. Remigius cum tota „Eccleſia Lugdunenſi, Concilium Valentinum, Lin-„gonenſe, aliaque. Ut quod res eſt clarè dicatur, faten-„dum eſt quòd propoſitio ejus varios ſenſus admittit: „mirum proinde non eſt accidiſſe propoſitioni S. Pru-„dentii Tricaſſini, quod accidit huic, UNUS E TRINI-„TATE PASSUS EST; quæ quam variè ob diverſos ſen-„ſus, quos admittit, diverſis temporibus accepta fuerit, „norunt omnes: reprehendi ergo non meretur Nico-„laus Antonius, quòd Bibliothecæ ſuæ veteris Hiſpaniæ „lib. 6. cap. 11. num. 265. Dixit VERE CATHOLICAM „ESSE ILLAM PRUDENTII SENTENTIAM, INDIGNAM-„QUE HINCMARI CENSURA, eo utique ſenſu quo à Pru-„dentio, totque aliis Sanctiſſimis Viris, tam ejus ſecu-„lo, quam aliis prioribus defenſa fuit. S. Prudentium „rectiſſimè defendit Nicolaus Antonius eo modo, quo „Catholici omnes defendere debent Joannem II. Vigi-„lium ac Synodum V., qui hanc propoſitionem, UNUS „E TRINITATE PASSUS EST, tamquam Catholicam de-„finiverunt, licet alio ſenſu rejici poſſit, eamque reve-„rà rejecerit Hormiſdas Papa" hæc Hennebellus.

Scio, reponit Venantius; & hæc omnia jam dudum refutata legi in opuſculo aliquo quod abhinc tribus menſibus prodiit in lucem, inſcribiturque *Reſponſum cujuſdam Religioſi è Societate Jeſu ad libellum cui titulus; Calumnia convicta ſeu Epiſtola familiaris Cleandri ad clariſſi-*

mum

mum, *eruditissimum Virum Evaristum.* Hoc opusculum, ait Baccalaureus, numquam legi. Jesuiticum est, reponit Venantius, non legitur apud vos; atque idcirco decretum est mihi quæpiam inde delibare. Non ignoras, D. Baccalauree, inter propositiones 31., damnatas ab Alexandro VIII. *tamquam temerarias*, *scandalosas*, *male sonantes*, *injuriosas*, *hæresi proximas*, *hæresim sapientes*, *erroneas*, *schismaticas*, *& hæreticas respectivè*, damnatam esse hanc quartam, *dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo*, *non pro solis electis*, *sed pro omnibus & solis fidelibus.* Confer si placet, hanc propositionem cum ea quæ S. Prudentio tribuitur, & cum D. Hennebellus sustineat propositionem Prudentii rectè defendi à Nicolao Antonio, quæro ex Hennebello quid intersit inter propositionem illam damnatam & hanc, quam ait esse S. Prudentii. Propositio damnata dicit *Christum se oblationem dedisse pro solis fidelibus*, Prudentii propositio *pro solis credentibus*, sive ut verbis ejus utar, *Sanguinem Christi pro omnibus fusum credentibus*, *non verò pro his qui numquam crediderunt*, *nec hodie credunt*, *nec umquam credituri sunt.* Ne propositio Prudentii durior videatur, quàm illa damnata, per *credentes* debent intelligi non soli qui aliquando actu credent, sed etiam qui habebunt solum habitum, ut parvuli baptizati & ante usum rationis emigrantes è vivis. Ergo juxta Prudentium etiam benignè intellectum *Sanguis Christi fusus est pro solis credentibus*, *seu fidelibus.* An satis clarè? Rogat Venantius. Clarissimè respondet Baccalaureus.

Tunc iterum Venantius; Dicat itaque mihi Hennebellus. Primò, de propositione condemnata, sitne damnata in sensu obvio & proprio. Secundò, an propositio Sancto Prudentio attributa non habeat eundem sensum obvium & proprium, quem propositio damnata. Sine dubio necesse est ad primum respondeat affirmativè. Ad secundum autem quid respondere possit, non video: cum enim hæ duæ propositiones altera ab altera neutiquam differant quoad terminos, non possunt differre quo ad sensum obvium & proprium; quî ergo audet Hennebellus hanc propositionem defendere post

tam

Unde etiam Baronius, addebat Ariovistus, ad Annum Christi 519. ait, " Versipelles sub prætextu quo„dam impugnandi Nestorianos, Eutychianam hære„sim auctam blasphemiis Theopaschitarum invexerunt, „Calice aureo Babylonis impii blasphemias propinarunt." Ibidem Baronius rationem reddens, cur Legati Apostolici sententiam approbare noluerint; " latere enim, „inquit, sciebant sub melle venenum & errorem oc„cultum sub piorum involucro verbornm sententia„rumque celari, atque foveri aspidum ora assertione „Catholicæ Fidei. " Neque verò inanis ea erat suspicio, quia cum quidquid ea propositio in sensu obvio Catholicis significat, jam definitum esset in Concilio Calchedonensi, quod Catholici omnes recipiebant, quid opus erat hanc propositionem non tantum concipere terminis novis, sed etiam inculcare quòd Calchedonenses definitiones non sufficerent, nisi hæc propositio accederet? Damnabilis ergo erat eorum arrogantia, simulatio, & intentio hæretica sub piis verbis & sententiis, imo sub assertione Catholicæ Fidei, qualem esse hanc propositionem in sensu obvio sciebant ipsi Apostolici, Legati teste Baronio.

Hîc Venantius, actis Ariovisto gratiis quòd sibi opem tulisset, ita fatus est in gratiam Baccalaurei; Dicat nunc igitur nobis tuus Magister Hennebel, an etiam propositio quam defendit, sit in sensu obvio *Assertio Catholicæ Fidei*, & non potiùs assertio in terminis æquivalentibus evidenter damnata. Si Doctor Hennebel respondeat se propositionem Sancti Prudentii defendere non quidem in sensu obvio, utpote quo defendi non potest post Constitutionem Alexandri VIII., sed solum in sensu Prudentii; quæro quomodo ea possit comparari cum hac propositione *unus de Trinitate passus est*, quæ in sensu obvio secundùm se, & præscindendo à maligna intentione proferentium, est & fuit olim *Assertio Catholicæ Fidei*, atque ut talis nota Legatis Pontificiis, teste Cardinale Baronio. Præterea quomodo Doctor Hennebel propositionem clarè condemnatam tam confidenter defendit in sensu Prudentii, cum Sedes Apostolica nusquam de-

cla-

clararit eam in sensu Prudentii sanam esse & Catholicam? Idem Doctor non audet ullam propositionem ne primam quidam ex 5., tam clarè in libro Jansenii contentam etiam sine juramento damnare, eo sensu quo à Jansenio in eodem libro defenditur, quamvis clarissimè sic Alexander VII. pronuntiet." Quinque illas pro- „positiones ex libro præmemorati Cornelii Jansenii Epis- „copi Iprensis, cui titulus est Augustinus, excerptas, ac „in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damna- „tas fuisse, definimus, & declaramus & uti tales.... „iterum damnamus."

Bicornis ille aries non magnopere placuit Baccalaureo, qui tamen dixit; Quem propositionis illius sensum agnoscat Doctor Hennebel esse Sancti Prudentii, & ut talem defendendum suspiciat, indicat in fine hujus articuli. Ariovistus autem Baccalaureum scitè redarguit; Quemcumque, inquiebat, Prudentii sensum Hennebellus agnoverit, non declaravit Sedes Apostolica propositionem in sensu Prudentii esse Catholicam, sicut declaravit 5. famosas propositiones esse hæreticas in sensu Jansenii. At verò de sensu, quò illam Prudentii propositionem Hennebellus defendendam suscipit, mox agemus: nunc enim necesse est respondeamus ad reliqua quæ nobis supra ex Hennebello prælegisti. Alioqui conquereris aliqua à nobis dissimulari vel præteriri silentio.

Ergo Hennebellus supra objicit Prosperum, Ecclesiam Lugdunensem cum S. Remigio, Concilium Valentinum & Lingonense; sed hæc omnia pridem à Jansenio, Vincentio Leni, aliisque Jansenii defensoribus objecta; fuere atque à Stephano de Champs aliisque & adhuc nuperrimè in citato Responso refutata, adeò ut ista omnia non sint nisi sæpiùs recocta crambe. Porrò in eo versatur tota prædictarum autoritatum sententia, quòd Christus magis propriè dicatur Redemptor fidelium, quamvis etiam simpliciter sit Redemptor aliorum, quia priores redemit efficaciter, utpote qui fructum Passionis ejus recipiunt, posteriores verò sufficienter: & quidem loco S. Prosperi, quem Dominus Hennebel truncatum dedit, sic habetur Resp. 9.

ad cap. Gallorum. " Cum itaque rectissimè dicatur Sal-
„vator pro totius mundi redemptione crucifixus propter
„veram naturæ humanæ susceptionem, & propter com-
„munem in primo homine omnium perditionem, po-
„test tamen dici pro his tantum crucifixus, " nempè ef-
ficaciter & magis proprie, " quibus mors ipsius profuit: "
nam paulò post dicit, " dedit pro mundo sanguinem
„suum & mundus redimi noluit, quia lucem tenebræ
„non receperunt: " illuminandis omnibus Christus ve-
nerat, sed qui oculos luci pertinaciter occluserunt, il-
luminati non sunt.

Mihi dicit Venantius, succurrit ejusdem Sancti locus etiam alius. In resp. 1. ad objectiones Vincentianas, ait, " poculum quippè immortalitatis, quòd confectum
„est de infirmitate nostra & virtute divina, habet quidem
„in se ut omnibus prosit, sed si non bibitur, non me-
„detur. " Proponitur autem omnibus ad bibendum, omnes ad illud invitantur nemine excluso, *venite*, inquit Christus, *ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*; qui itaque invitati voluerunt venire, non defectui medicinæ vel medici, sed suo imputent, quòd refecti, sanati & salvati non sint.

Eodem sensu Patres Concilii Valentini, inquit Ariovistus, postquam definiverunt Christum in suo ad inferos descensu non inde abduxisse damnatos, neque pro illis ex inferno liberandis mortem oppetiisse, quamvis aliam illis gratiam meruerit, qua infernum vitare, cum viverent, potuissent, " illud nobis, inquit, sim-
„pliciter tenendum ac docendum placet juxta Evange-
„licam & Apostolicam veritatem, quod pro illis datum
„hoc pretium teneamus, de quibus ipse Dominus no-
„ster dicit, sicut Moyses exaltavit serpentem in deser-
„to, ita exaltari oportet Filium Hominis, ut omnis qui
„credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. "
Fuitne erectus serpens solis iis curandis, qui re ipsa curati sunt? An non potiùs omnibus, modò serpentem aspexissent, quemadmodum aspicere poterant? Non potest clarior esse sententia quam hæc Apostoli, Christus *Salvator omnium, maximè fidelium*: ergo non *fidelium* tan-
tum

tum seu *credentium*, sed etiam eorum & *quidem omnium qui credituri numquam sunt.* Perspicua quoque est sententia Tridentini sessione 6. cap. 3. *pro omnibus mortuus est, sed non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt.* Atqui tamen aliquod beneficium mortis ejus recipiunt credentes, ergo etiam pro non credentibus mortuus est.

De hoc, addit Venantius, dubitationes disceptationesque, sicubi ante ortæ fuerint, cessare debent jam, cum os Domini per Alexandrum VIII. locutum est. *Româ rescripta venerunt, causa finita est, error utinam aliquando finiatur*, ut dicit Augustinus serm. 2. de verbis Apostoli. Neque Augustinus, neque Ambrosius, neque alius SS Patrum suam præsumit, contra Apostolicæ Sedis iudicium, sententiam defendere. Quare merito in eadem Alexandri VIII. Constitutione damnatur inter 31. propositiones hæc penultima: " ubi quis invenerit „doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere & docere non respiciendo ad ullam „Pontificis Bullam: " Si igitur Augustini autoritas neminem adversus Pontificis fulmina possit defendere, multo minus potest autoritas Prudentii, cujus doctrina numquam à Sede Apostolica, numquam ab ullo Concilio Oecumenico commendata est, è contrario multis fuit suspecta.

Suspecta! exclamat cum admiratione Baccalaureus. Imo suspecta, reponit Ariovistus. Numquam legisti, ut video, D. Baccalauree, vel saltem legisse te dissimulas id quod de Prudentio illo habent Annales Bertiani " „Galindo cognomento Prudentius Tricassinæ civitatis „Episcopus, natione Hispanus, apprimè litteris eruditus, qui ante aliquot annos Gotheschalco Prædestinatiano restiterat, pòst felle commotus contra quosdam „Episcopos secum hæretico resistentes, ipsius hæresis defensor acerrimus, indéque non modica inter se diversa & fidei adversa scriptitans moritur. " Hincmari Archiepiscopi Rhemensis Censuram in ejusdem Prudentii doctrinam non est quòd commemorem, cum eam Hennebellus agnoscat: est & vetustissimus codex libri, quem

Pruden-

Prudentius elucubravit contra Joannem Scotum, ubi in aversa tituli pagina sic legitur: " Compositor hujus libri „Prudentius de quibusdam Catholicis dogmatibus non „sentit Catholicè, sicut alia ejus scripta demonstrant."

At sanctus est, infit Baccalaureus; & ut talis refertur in additionibus Carthusianorum Coloniensium ad Usuardum utriusque editionis, & in M S. Florario Sanctorum, & in Martyrologio Gallicano, quod à doctissimo viro D. Andrea du Saussay editum est; Demochares etiam sanctum appellavit, atque post eum recentiores Autores & Hagiologi varii.

Hæc tamen omnia, inquit Ariovistus, non potuerunt permovere Henschenium & Papebrochium, ut ipsum inter Sanctos referrent in suo percelebri opere. Satis habuerunt inter prætermissos die sexto Aprilis quo obiit, dixisse *Prudentium Episcopum Tricassinum*, à recentioribus jam nominatis *sanctum* appellari, & ut talem haberi, " at ex „ipsius aliorumque operibus constare non omnino rectè „in fide sensisse, & odio quodam Hincmari Rhemensis, „qui suæ Ecclesiæ jura contra eum asseruerat, à recto tra„mite deflexisse, quod & Annales Bertiniani intra vi„gesimum à Prudentii obitu annum scripti sic confir„mant, quasi non priùs malè scribendi finem, quàm „vivendi fecisset..... potuit quidem moriens, Ecclesiæ „judicio se suaque subjecisse; meritò tamen requirimus „antiquius aliquod de ejus sanctitate & cultu testimo„nium, quàm sint supra allegata." Nihilominus, tu D. Baccalauree, cum Doctore tuo Hennebello prædicas Prudentium illum sanctum.

Et ego affirmat, Venantius, piè credo talem esse, quamvis ab Ecclesia universa non colatur, sed in Diœcesi Trecensi cujus Episcopus fuit, sicut & Faustus. Regiensis ut sanctus colitur in sua cui præfuit Ecclesia: non tamen propterea doctrina ejus sancta est, sive canonizata sicut nec doctrina Cassiani, licet & hic positis honoretur aris. Quod probatione opus non habet apud adversarios, qui contra nullam hæresim magis, quàm contra doctrinam Fausti Regiensis & Cassiani debacchantur.

Hîc Ariovistus; Quæ dicis, eruditissime Venanti, ea convincunt bene constitutum intellectum. Sed liceat

 mihi

mihi adjungere argumentum unum ad hominem quod vocant. Franciscus Salesius sanctus est, neque in una tantum particulari Diœcesi ut talis colitur, verùm in Ecclesia universa, & ut talis ritu solenni declaratus est à Sede Apostolica. Non tamen exhorruit Hennebellus eum repræsentare pulvere Semipelagiano sordidum. Cur igitur ob unum Prudentium qui nec colitur ubique nec Sedis Apostolicæ judicio sanctus declaratus est, tantæ excitarentur tragœdiæ, si quis ei aliquid ex Prædestinatiana hæresi adhæsisse diceret? Huc accedit quòd Ecclesia libros S. Salesii dicat esse *cœlesti doctrinâ refertos*, nil tale umquam de libris S. Prudentii pronuntiavit. Tum fremens Baccalaureus ait; Prædestinatianus fuit Prudentius? Eodem sono & gestu Ariovistus reponit; Semipelagianus fuit Salesius? Semipelagianus fuit Faustus Regiensis? Semipelagianus fuit Cassianus?

Hîc veluti triplice concussus tonitru Baccalaureus contremuit, cum Ariovistus illum prensatâ manu sic amicè affatus est; Pone metum, D. Baccalauree, non est mihi animus in medium producere S. Hieronymum, S. Chrysostomum aliosque Patres Græcos, quorum sanctimonia non coërcuit Primipilum tuum, Jansenium, quo minus eos Semipelagianismi coargueret. Multo minus animus est *Prudentium accusare*, nedum *Nicolaum Antonium*; etiamsi propositio à Prudentio tradita non modò quoad corticem verborum, sed etiam quoad sensum ab Autore intentum, congrueret cum propositione ab Alexandro VIII. damnata: sed neque propter cujuscumque viri sanctitatem, velim errorem, ab Ecclesia damnatum, defendendum suscipere. Malo imitari in utroque S. Augustinum lib. 6. contra Donatistas cap. 2. dicentem; " Reddens debitam reverentiam, dignumque honorem quantum valeo, persolvens pacifico Episcopo „& glorioso Martyri Cypriano, audeo tamen dicere „eum aliter sensisse de schismaticis vel hæreticis quàm „postea veritas prodidit." Neque enim post Magistri sancti errorem ab Ecclesia damnatum, potest Magistri sanctitas excusare discipulorum in errore defendendo contumaciam; ut rectè monet Vincentius Lyrinensis in Commonitorio cap. 11. " O rerum mira conversio! Autores

tores

„tores ejusdem opinionis Catholici, Consectatores verò „hæretici judicantur. Absolvuntur Magistri, condem„nantur Discipuli. Conscriptores librorum filii Regni „erunt, Assertores verò Gehenna suscipiet. Nam quis illud „Sanctorum omnium, & Episcoporum & Martyrum „lumen Beatissimum Cyprianum, cum ceteris collegis „suis, in æternum dubitet regnaturum esse cum Christo? „Aut quis contrà tam sacrilegus, qui Donatistas & ce„teras pestes, quæ illius autoritate concilii rebaptizare „se jactitant, in sempiternum neget arsuros esse cum „diabolo?" Hæc adducit & obstinatis Baii ac Jansenii defensoribus applicat Cardinalis de Aguirre, in defensione Cathedræ S. Petri, disp. 19. sect. 3. Porrò Dominum Nicolaum Antonium, etiamsi fortè Prudentii sententiam, in sensu condemnato defendisset, excusare posset ignorantia; utpote qui juris, non Theologiæ peritus fuit, & qui Decretum Alexandri VIII. numquam vidit, ante ejus editionem mortuus. Sic eum, subdit Venantius, etiam excusat Autor responsi de quo ante facta mentio est. Plus autem scrupuli habeo quoad D. Hennebel, nec possum evellere, quo me cumque verto. De hoc postmodum, inquit Ariovistus; nunc audiamus ipsum sibi objicientem, & respondentem.

Ergo sic habet. " At defendi saltem non potest pro„positio, quam, ut ait Pater Palazol num. 68., norunt „omnes Theologi eandem esse cum propositione quin„ta ab Innocentio X. & Alexandro VII. damnata. Res„pondeo mirum esse, quòd omnes hodie norint Theo„logi id quod ignorabant illi ipsi, qui ab Innocentio „X. quintæ propositionis censuram petierunt, extat „etiamnum hodie, & in omnium manibus est scriptum, „quo constat, quem illi sensum tribuerint, & in ea dam„natum vellent. Duo quæruntur, inquiunt, circa hanc „propositionem. Primum, quid de ea sentiendum, qua„tenus notam hæresis affingit Catholicorum Doctorum „sententiæ, quæ asserit Christum pro omnibus omnino „mortuum esse. Secundum, quatenus ex mente Jansenii „Christus non pro omnibus, sed pro prædestinatorum „salute tantum mortuus est, ita ut omnibus reprobis „negata sint auxilia sufficientia, quibus possint salvari.

„Hoc ſenſu examinatâ propoſitione, intactæ relinquuntur difficultates circa infantes ſine baptiſmo decedentes, aut infideles, aut obduratos: nam qui dicit Chriſtum non pro ſolis prædeſtinatis eſſe mortuum, non dicit conſequenter pro quolibet reprobo in particulari mortuum eſſe; ſed ſufficit ſi pro aliquibus ſaltem reprobis. Quòd autem pro juſtis ſaltem non perſeverantibus mortuus ſit, patet ex Concilio Tridentino, ubi definit juſtis mandata Dei non eſſe impoſſibilia, quia Deus iis gratiam neceſſariam ſuppeditat; ſi enim poſſunt obſervare mandata, poſſunt ſalvari, at non niſi ex meritis Chriſti. Idem ſeſſione 6. cap. 3. Verum tametſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt; at illi non ſunt alii quam reprobi. En ſenſum quo quintam propoſitionem intellexerunt illi ipſi, qui propoſitionis illius cenſuram ab Innocentio X. petierunt, juxta quem omnino manifeſtum eſt ab hujus propoſitionis cenſura immunem eſſe propoſitionem Sancti Prudentii, quam Nicolaus Antonius dicit eſſe verè Catholicam, indignamque Hincmari cenſurâ. Præfatos Theologos expoſuiſſe obvium ſenſum quintæ propoſitionis negabit nemo, qui rectè expendet ſingula verba quintæ propoſitionis damnatæ. Cum autem Sanctiſſimus Dominus Noſter Decreto ſuo die 28. Januarii 1694. & Brevi ad Belgii Epiſcopos die 6. Februarii ejuſdem anni miſſo, expreſſè vetuerit, damnatum illum propoſitionis ſenſum extendere ultra obvium, quam ipſa propoſitionis verba præ ſe ferunt; rectè concluditur nullum Theologorum poſſe ſub cenſura quintæ propoſitionis comprehendere cenſuram propoſitionis Sancti Prudentii, quin impingat in prædictum Decretum ac Breve Suæ Sanctitatis."

Hæc cum Arioviſtus recitaret ex Hennebello, virtus redibat Baccalaureo in præcordia. Hoc ſaltem eſt aliquid, clamitabat, hoc non enervabitis, hic Deus in pharetra eſt, hic eſt Macedonicus enſis. Sed inſoleſcentem hominem ita reprimere niſus eſt Arioviſtus, inquiens, D. Baccalauree, cum Hennebellus ad verba quintæ propoſitionis damnatæ provocet, adducenda ſunt: " Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino

mor-

„mortuum esse hominibus, aut sanguinem fudisse." Hanc propositionem Innocentius X. & Alexander VII. damnarunt " ut falsam, temerariam, scandalosam; & in„tellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat „prædestinatorum mortuus sit; impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, & hære„ticam. " Non solus autem P. Palazol tenet in censura illa damnari eos, qui dicunt Christum mortuum esse pro solis credentibus seu fidelibus: nam ipse Cardinalis de Aguirre, cui derogare non volet, saltem publicè Doctor tuus Hennebel, sic loquitur in defensione Cathedræ S. Petri disp. 21. sect. 2. " Jansenium tradidisse „eam propositionem, quoad utramque partem, vide„tur manifestum: quoad priorem quidem lib. 3. de gra„tia Christi cap. 21. ubi inquit; neque enim pro om„nibus omnino Christus passus, aut mortuus est: " & aliquanto post. " Videamus modò, an nuperi Scripto„res in Belgio, præsertim Lovanienses adhuc post ju„dicium Sedis Apostolicæ tam luculentum, formida„bilem eandem hæresim tueri pergant. " Tum professus se non judicem, sed merè Theologum agere, primo loco citat Florentium de Cocq, 10. Martii 1677. Thesi 21. dicentem: *Deus quantum in se, non vult omnium hominum salutem.* Atqui si quintæ propositionis damnatæ rei sint, saltem quoad primam ejus partem, illi qui dicunt, *Christum non pro omnibus omnino passum, aut mortuum esse:* item illi, qui dicunt, *Deum quantum in se est, non velle omnium hominum salutem*; perspicuum est ex mente Eminentissimi Cardinalis in eundem offensionis lapidem impingere eos qui ajunt *Christum esse passum pro solis credentibus.*

Hæc Ariovisti argumentatio non displicuit Venantio qui nihil cunctatus Baccalaureo sic insultabat; Ubi jam est, D. Baccalauree, tuus ensis Macedonicus? Ubi Deus in Pharetra? Ubi ille tumidus, elatus & insolescens animus? Neque verò aliud Baccalaureus quàm sciscitatus est, quo indicio constaret Cardinalem agere de quinta propositione, & aliis quatuor Jansenii in sensu obvio, sive prout verba sonant.

Id constat, respondit Ariovistus, ex iis quæ Cardinalis habet in fine ejusdem sectionis. Et cum ille codex ad manum esset, Ariovistus citato loco ostendit ei hæc verba; " Optandum autem est, nescio an magis quàm „sperandum, ut exitus harum controversiarum in Lo„vaniensi Academia sit similis, ac illarum in Oxonien„si. Etenim Guilielmus Archiepiscopus Cantuariensis „tunc toti Angliæ persuasit ad damnandos omnes Wi„cleffi articulos, prout verba sonant, tamquam erroneos, „ac hæreticos: si Lovanienses hactenus allegati & reli„qui ex partiariis id ipsum præstent circa quinque illa „dogmata Jansenii, & alia Baii prout verba sonant, (quod „certè Pontifices præcipiunt) finientur lites & scanda„la. " Accedit, inquit Venantius, quòd passim Professores Theologiæ, qui post Innocentii X. & Alexandri VII. Constitutiones sive in libris, sive in dictatis docent *Christum mortum esse pro omnibus hominibus*, id probent ex Constitutionibus illorum Pontificum, propositionem quintam Jansenii condemnantibus. Idem ego, ait Ariovistus, observavi in positionibus Theologicis sive Thesibus, quas varii Religiosi statis anni temporibus distribuunt tum Lovanii, tum alibi exercitationis gratiâ oppugnandas. Sed quid est de Scripto illo quod supra Hennebellus commemorat, & quod ait esse *in omnium manibus*?

De illo, respondet Venantius, nihil mihi rescire licuit usque adhuc. Nec mihi, subjungit Ariovistus. Venantius dixit; tamen bibliothecæ utriusque nostrûm abundè prospectum est de istiusmodi scriptiunculis. Mirum foret, si hoc scriptum deesset. An tu habes, D. Baccalauree? Istud quærere, respondit Baccalaureus, ridiculum est. Quid ita? rogavit Venantius. An ergo reposuit Baccalaureus, vobis non sufficit Hennebelli autoritas tale Scriptum appellantis? Minimè gentium, inquit Venantius: nam ut mittam alia, quomodo dicere potuit illud esse *in omnium manibus*? Tum festivè Ariovistus subdit; forte per omnium manus intelligit suas, & suorum quibuscum illud communicandum putavit. Sed estne, inquit Venantius, Scriptum illud auten-

tenticum aut magis fide dignum, quam "prætensa Bul-„la Pauli V. contra Molinam; quam asserta Acta Con-„gregationum de auxiliis sub nomine Francisci Pegnæ, „& Thomæ de Lemos, aliorumque Prælatorum, & „Theologorum, qui, ut asseritur, prædictis interfuerunt „Congregationibus?" Suntne magis fide digna, "quam „famosa tredecim Theologorum ad examinandas quin-„que propositiones ab Innocentio X. selectorum suffra-„gia, seu ut appellant vota, Summo Pontifici, scripto „tradita?" Quæ omnia prohibita sunt à Sede Aposto-lica, priora ab Innocentio X., posteriora ab Alexan-dro VII., " atque declaratum ac decretum, nullam „iis fidem adhibendam esse, nec à quoquam allegari „posse, vel debere." Nec tamen cessant Hennebelli se-quaces illa identidem post prohibitionem objicere, & typis vulgare, ut nuper Dominus Germain *in defensio-ne Ecclesiæ*: non credo, quòd hunc tamquam incertum Autorem, & ad se suosque minimè pertinentem Hen-nebellus rejecturus sit. Quædam ex hujusmodi scriptis, addit Ariovistus, citavit etiam nuperrimè Autor qui se nominat Abbatem S. Juliani in quodam opusculo Gallico. Item Autor solutionis diversorum Problema-tum valdè conducentium ad pacem Ecclesiæ, idque lo-co non uno.

Sed nihil est, inquit Venantius, cur nos remorentur ite-rum tales Autores. Remeemus potiùs ad quintam Janse-nii propositionem, & supponamus, quòd Eminentissimus Cardinalis de Aguirre, Pater Palazol, & omnes ipsis con-sentientes errent in designando sensu obvio quintæ propo-sitionis, adeòque quòd propositio statuens Christum mor-tuum esse non pro omnibus, sed pro solis credentibus non comprehendatur in quintæ propositionis censura lata ab Innocentio X. & Alexandro VII. Hoc, inquam, supponamus, saltem negare Hennebellus non potest, illam *in sensu obvio*, & *prout verba sonant* prorsus congruere cum quarta propositione inter 31. damnatas ab Alexandro VIII., ut priùs demonstratum est. Illam nihilominus pergit defendere. Denique idem Prudentius in Epistola ad Hincmarum & Pardulum Episcopos, apertè dicit,

& multis inculcat *Christi Sanguinem pro solis electis fusum esse, neque Deum velle, ut alii salvi fiant, quàm qui reipsa salvantur.* Quæ an in sensu obvio non consentiant propositioni quintæ in Jansenio damnatæ, viderit quisquis oculos habet.

Imo verò, inquit Baccalaureus, quisquis oculos habet, Hennebellum legat, & viderit quo fine ista dicat. Quo igitur, quærit Ariovistus. Tum Baccalaureus Hennebelli Scriptum arripiens, ipse, inquit, finem suum explicet, cœpitque legere quæ subsequuntur; " Hæc eo fi-
„ne tantum dicta sunt, ut ostendam propositionem S.
„Prudentii sustineri posse, prout eam sustineri posse di-
„cit Nicolaus Antonius, nempè sensu S. Prudentii, &
„tot aliorum præstantissimorum virorum qui seculo IX.
„eam sustinuerunt, sic nempè docendo, quòd pro
„solis credentibus mortuus sit Christus quoad efficaciam,
„ut tamen non negetur quòd pro omnibus omnino mor-
„tuus dici possit, saltem quoad sufficientiam, omnium-
„que salutem velut voluntate antecedente, de qua hoc
„ipso loco agit Nicolaus Antonius eis subscribens quæ
„de hac voluntate tradunt S. Thomas, Scotus, ceteri-
„que communiter Theologi; ac simul ut pateat quam
„falsum sit agnoscere omnes Theologos, quòd ab In-
„nocentio X. & Alexandro VII. Sancti Prudentii pro-
„positio damnata sit. "

Cum ab hac Hennebelli oratione recitanda Baccalaureus destitisset, Ariovistus eum sic excepit; An Hennebellus fines suos omnes expresserit, multum dubito. Satis profectò perspicit propositionem Prudentio attributam prorsus eandem esse cum quarta damnata inter 31. ab Alexandro VIII. Et tamen ac si esset hujus Constitutionis ignarus, propositionem mordicus defendit. Non citat hîc quidem Constitutionem illam Pater Palazol, quia cum propositiones illâ Constitutione condemnatæ, numquam traditæ fuissent in Hispania, verisimile est illam Constitutionem ab eo Patre visam non fuisse, quamvis illam circa alias propositiones subinde citet secundùm excerpta, quæ apud alios fideliter relata invenerat. Cum verò Doctor Hennebel Constitutio-

nem

nem iſtam apprimè calleat, quâ ſinceritate D. Baccalauree, quâ fide ſuſtinet propoſitionem, quam in ſenſu obvio eandem prorſus eſſe cum damnata conſpicit?

Tunc Baccalaureus tantùm non frendens dixit; Quam tu, Arioviſte, hîc in D. Hennebello deſideras ſinceritatem ac bonam fidem, hanc ego in te potiùs deſidero. Eum namque ita incuſas ac ſi non proteſtaretur "hæc „eo tantum fine dicta eſſe, ut oſtendat propoſitionem „Sancti Prudentii ſuſtineri poſſe, prout eam ſuſtineri „poſſe dicit Nicolaus Antonius." Illa proteſtatio, inquit Arioviſtus, nequaquam ſufficit, nam propoſitio condemnata cujuſcumque Autoris fuerit, etiam Sancti, poſt condemnationem defendenda non eſt, nullâ factâ mentione Sedis Apoſtolicæ eam condemnantis. Alioqui facilè contingit, ut dum hæc ejus defenſio per multorum manus vagatur, nonnulli videntes propoſitionem ab eo tam confidenter defendi, tamquam ſanam *in ſenſu S. Prudentii, & Nicolai Antonii*, exiſtiment propoſitionem etiam ſecundùm ſe, & in ſenſu obvio ſanam eſſe, cum ubique tum hic maximè. Quare hic magis, rogat Baccalaureus, quàm alibi? Quia hic, reſpondet Arioviſtus, in ſpeciem oſtenditur non prohiberi Conſtitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII., neque ulla mentio fit prohibitionis alterius, quæ, ſi extaret, non ignoraretur à Doctore Hennebel, cognita autem ab eo non ſubticeretur, ut quidem de fide ejus & ſinceritate ſupponent multi quibus minus, quàm nobis notus eſt.

Adigitis me, inquit Baccalaureus, ut vobis ob oculos ponam Hennebelli ſinceritatem ac fidem, quæ mirificè elucet ubi ſenſum ſuum exponit Catholicum, & ancipitis ſive æquivocæ propoſitionis tenebras diſpellit: utitur enim diſtinctione, quâ nulla eſt clarior, nulla vulgatior, nulla denique in omnibus ſcholis magis uſitata. Sed ne diſtinctioni quidem illi, reponit Venantius, fidere ſatis poſſumus, quando adhibetur ab illis præſertim qui numquam fateri volunt libro Janſenii ullum in fide erratum contineri. Etenim videmur meritò metuere, ne talis diſtinctio, quando à talibus Theologis uſurpatur,

patur, plus obſcuritatis contineat, quàm ipſa propoſitio, cui explicandæ & à prætenſa æquivocatione liberandæ dicitur adhiberi. Ut clariùs loquar, prudens metus eſt, ne diſtinctio illa non in ſenſu communi, ſed in ſenſu Janſenii proponatur. Id tibi, optime Venanti, dicit Arioviſtus, planè aſſentior. Nam eadem diſtinctio etiam Janſenio admiſſa eſt, ſed ſenſu ſuo qui fulguritæ doctrinæ non repugnat.

Sed, infit Baccalaureus, diſtinctionem ipſam audite iterum, & attentè conſiderate; Ait Hennebellus, "pro „ſolis credentibus eſſe Chriſtum mortuum quoad efficaciam, ut tamen non negetur, quod pro omnibus omnino mortuus dici poſſit, ſaltem quoad ſufficientiam, „omniumque ſalutem velit voluntate antecedente." Dico iterum, inquit Arioviſtus, iterumque & tertiò dico ſingulos hos terminos etiam adhiberi à Janſenio, ſed alio ſenſu, quàm accipiantur communiter, eoſque à Janſenio conciliari cum ſua doctrina, quæ dein Apoſtolici ictum fulminis effugere non potuit. Ait Chriſtum pro ſolis credentibus eſſe mortuum, quoad efficaciam, ita ut nulli alteri auxilia ad fidem ſufficientia ſit promeritus: abundè ſufficiebat, ſi modò Chriſtus illud pro eorum juſtificatione offerre voluiſſet: juxta Janſenium Deus vult omnium hominum ſalutem voluntate antecedente non ejuſmodi, vi cujus ante peccatum Adami præparabat omnibus auxilia ad ſalutem ſufficientia, ſed ejuſmodi quæ poſt prævifum Adami peccatum, nulli reprobo ſufficientia ad ſalutem auxilia decernit. Locos Janſenii non affero, quia ab aliis ſæpiùs adducti & ubique obvii ſunt, neque quiſquam dubitat, quin ea ſit Janſenii doctrina, in libro ejus perſpicuè propoſita. Quòd Doctor Hennebel aliud nunc velit quàm Janſenius, nullum hactenus habeo fundamentum judicandi; multa autem ſunt in oppoſitum, atque imprimis illa tot annorum tergiverſatio, quâ huc uſque detrectat agnoſcere quidquam eſſe rectè damnatum in ſenſu Janſenii, vel ejus libri.

Hîc non habens quod reſponderet Baccalaureus, dixit; Finem imponamus huic diſſertationi, quia jam multa nox eſt. Per me licet, inquit Venantius. Sed, Arioviſtus

vistus ait, occurrit mihi adhuc aliquid de quo D. Baccalaureum monitum velim, ut suorum malas artes ac dolos meliùs possit perspicere. Et cum Venantius id sibi non injucundum fore asseruisset, Ariovistus prosecutus est hoc pacto; Minimè mirum mihi videri solet Doctorem Hennebel positionem Prudentii tueri eo nomine, *quòd habet diversos sensus*, quando omnes propositiones à Cardinale de Aguirre impugnatas tamquam manifestè consonas propositionibus in Jansenio proscriptis, novit nihilominus defendere prætextu quòd sint æquivocæ, quin & persuadere *quòd super iis jam pridem ipsi Eminentissimo Cardinali satisfactum fuerit.*

Propositiones autem, inter innumeras alias, sunt hæ spectantes ad propositionem Jansenii quintam relatæ & impugnatæ ab eodem Eminentissimo in defensione Cathedræ S. Petri disp. 21. sect. 5. " *pro electorum æterna salute (non item reproborum) rectè dicitur Christus mortuus esse*: Andreas Laurent Doctor Lovaniensis 11. Augusti 1671. Thesi 3. *Semipelagianum dogma est universis hominibus propitiationem, quæ est in sacramento Sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam*: Hrosnata van Saftingen 2. Septembris 1676. in Thesibus. Justificatio Censuræ Lovaniensis cap. 3. pag. 62. *Satis manifestat ipse Dominus, pro solis electis & prædestinatis se redemptionem dedisse.* Gerardus van Werm Doctor Lovaniensis 9. Martii 1652. Thesi 3. *male dixeris pretiosum Christi Sanguinem pro ullius reprobati æterna salute Patri oblatum.* Libertus Fromondus 2. Octobris 1647. Thesi 3. *Christus propriè tantum pro peccatis electorum finaliter abolendis sacrificium propitiatorium Patri obtulit.* Jacobus Pontanus Doctor Lovaniensis 10. Februarii 1645. Thesi 3. *Textus Sacræ Scripturæ, quibus dicitur, Deum velle omnes salvos fieri, Christum mortuum pro nobis, pro mundo, pro omnibus &c. restringendi sunt ad solos electos*: est communis Lovaniensium, qui in quotidianis Thesibus sic respondent.

Tum paucis interjectis sic concludit Cardinalis, " vide quomodo omnia hæc cöeant in id ut Deus prædestinatorum solam salutem velit, nec Christus pro re-

pro-

„probis mortuus ſit. Dum autem tot Lovanienſis Academiæ Doctores & Profeſſores video detrectantes plenam ſubjectionem erga tot Pontificum Decreta contra morem prædeceſſorum ſuorum, ſubit animum recordatio alterius diplomatis Gregorii Papæ XI. contra dogmata impii Wicleffi, quod miſſum à Pontifice ipſo per Magiſtrum Edmundum Stalfdrop non receperunt, uti par erat, Profeſſores Academiæ Oxonienſis in Anglia, ideòque de iis inquit Thomas Walſinghamenſis ad annum 1378., *Univerſitatis Moderni Rectores, quantum degeneraverint à prudentia ſeu ſapientia antiquorum, per hoc facilè conjici poterit, quod auditâ causâ Papalis Nuntii adventus, diu in pendulo hærebant, utrum Papalem Bullam deberent cum horrore (forſan honore) recipere, an omnino cum dedecore refutare. Oxonienſe Studium Generale, quàm gravi lapſu à ſapientiæ & ſcientiæ culmine cecidiſti! Quod quondam inextricabilia atque dubia toti mundo declarare conſueviſti, jam ignorantiæ nubilo obfuſcatum dubitare non vereris, circa quæ quemlibet ex Laicis Chriſtianis dubitare non decet.* Hæc ille utinam præter rem, à nobis adducta!

Iſta cum ex Cardinale de Aguirre Arioviſtus recitaſſet, addit de ſuo; Ita optat Cardinalis. Et nos, inquit Venantius cum ejus Eminentia ita optamus. Quamquam & hoc æquitati ac famæ Univerſitatis Lovanienſis debeamus reddere teſtimonium, quòd pars ejus major etiam in Facultate Theologica Janſenio & Doctori Hennebel adverſetur. Illud teſtimonium, inquit Arioviſtus, reddam perlibenter; neque enim mihi in animo fuit omnes complecti. Sed te, D. Baccalauree, quem hîc coram intueor, te, inquam, potiſſimum hæc mea ſpectat oratio. Agedum, dic mihi, ſi omnes illas propoſitiones defendere audet Doctor Hennebellus, prætextu *quòd habeant diverſos ſenſus*; ſi perſuadere poteſt circa illas *ſatisfactum eſſe Cardinali* doctiſſimo & ſupremo fidei Quæſitori; Quæ tandem propoſitiones umquam tradentur tam abſurdæ, quas idem Doctor prætextu *diverſorum ſenſuum* & æquivocationum defendere non poterit? Suntne uſpiam propoſitiones magis ſimiles propoſitionibus damnatis, &

quoad

quoad sensum obvium magis eædem, quàm propositiones citatæ, etiam ea quæ Prudentio tribuitur?

Si talis defensio, inquit Venantius, admittenda sit, non est vel una condemnata propositio, quæ pariter defendi non possit. Nullus Episcopus valebit umquam Novatorem convincere quòd propositionem damnatam tradiderit damnato sensu, etiamsi ejus propositio, quoad terminos clarissimè æquivalentes imo & formales, eadem sit cum fulgurita? Adeòque nullus quantumvis reus ab Episcopo puniri umquam poterit, sed sufficere debebit Episcopo accusatum *monere*, *ut sensum suum orthodoxum deinceps clariùs exprimat*, *nec talibus utatur terminis*, *qui aliis scholis offensioni esse possent*. Ad quem itaque finem conducet omnis juris ordo ab Innocentio XII. præscriptus, & ab Episcopo servandus, nisi ut Episcopus post omnes molestias sumptusque à reo eludendus & confundendus sit, prout & quando unicuique cavillatori libitum fuerit?

Hæc Venantius dixerat, cum Ariovistus Baccalaureum sic allocutus fuit; Quid tibi jam videtur, D. Baccalauree? Hîc Venantius non argumentatur pingui minervâ. At verò aliquid amplius hinc colligitur. Quid? rogat Baccalaureus. Respondebat Ariovistus hinc colligi, cur Novatores nostri non jam palam, ut ante, detrectent Pontificum Bullas recipere, cur eas tam promptè & sine ulla tergiversatione admittere se simulent. Invenerunt scilicet versuti homines modum, omnibus Bullis nequidquam obstantibus, sustinendi semper eandem doctrinam. Artificium tam subtile ignorarunt primi Janseniani, quando metu condemnandi doctrinam suam, opposuere se tanto impetu promulgationi Bullæ Urbani VIII. Sic Janseniana factio in versandis dolis quotidie magis ac magis proficit. Sed juvat D. Baccalaureum, inquit Venantius, constringere aliquanto arctiùs.

Quandoquidem tu, D. Baccalauree, cum tuo Hennebello tam audacter propositionem damnatam defendendam suscipias sensu Prudentii, & prout eam sustineri dicit Nicolaus Antonius, habesne satis exploratum, quo sensu propositio hæc quarta inter 31. damnata sit ab Alexandro VIII.

dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus & solis fidelibus? Autorem ex quo propositio fidelissimè quoad omnes apices excerpta est, probè nosti. Doctor Lovaniensis est Pater N., cujus nomini parco, quia fertur sub finem vitæ se contra Jansenium, & obstinatos ejus defensores declarasse, ac penitus submisisse Sedi Apostolicæ. Propositio in Autoris illius scriptis exhibita est S. Congregationi, atque ita censurata. Sed quo sensu? nullus in Decreto determinatur. Certum tamen est censuratum esse aliquem; neque enim sola verba materialia, & omni significatione destituta condemnantur; neque solet Pontifex & S. Congregatio damnare sensum merè imaginarium & fictitium, sed intendit errorem doctrinalem è scholis extirpare, & punctum aliquod controversum definire.

His positis, dixit idem Venantius, postulo te D. Baccalauree, ullum discrimen inter sensum, quo eam propositionem post condemnationem cum Hennebello sustines, & illum, quo à Doctore isto defuncto, vel ab ullo alio in Ecclesia Theologo fuit antè tradita, quàm damnaretur. Multùm fallar, si discrimen vel minimum attuleris. Dixit Baccalaureus damnatam esse propositionem in sensu obvio. Intelligo, reponit Venantius, sed vel sensus obvius est alicujus Autoris, vel nullius. Si alicujus, quis ille? Et in quonam saltem vel minimo à sensu tuo discrepat? Si discrimen invenire non possis, quâ religione post condemnationem assumis cum Hennebello eandem propositionem defendendam eodem sensu, quo ab Autore tradita est, & à Pontifice condemnata? Si sensus obvius, in quo propositio damnata est, à nullo traditus sit, ergo damnatur merum & inane phantasma, Pontifex suo Anathemate ferit solum aërem, S. Congregatio tot examinibus, tot disceptationibus, quæ condemnationi præmissa sunt, tanto temporis spatio, tanto studio, tantâ solicitudine cum sola umbra luctata est. Quod principium quisquis sequi voluerit, ut non obscurè videris sequi cum Domino Hennebel, viam sibi aperit latissimam similiter procedendi ad propositiones omnes alias damnatas, easque defendendi omni sensu, quo à suis Autoribus fuerant in lucem editæ. Tum

Tum Ariovistus dixit; Dominus Germain qui præcipuus modò novæ factionis Achilles est, in suâ nupera *defensione Romanæ Ecclesiæ & Summorum Pontificum*, pag. 431. de quinque propositionibus in Jansenio damnatis ait, *licere ac semper licuisse aliquem propositionum* damnatarum *sensum defendere*; *ipsas verò propositiones defendere post definitionem non licere*. At Dominus Hennebel longiùs progreditur; non modò *propositionis* damnatæ *sensum aliquem*, sed *propositionem* ipsam defendi aut *sustineri posse* putat sensu S. Prudentii. Estne autem ullus hæreticus qui dicturus sit se propositiones ab Ecclesia damnatas, alio sensu defendere velle, quam sensu alicujus Sancti Patris, præcipuè S. Augustini, quin & Scripturæ Sacræ? In hoc deficit astutia hæreticorum qui ab Ecclesia separati sunt, quòd hi fassi sint sensum suum anathemate ab Ecclesia perstrictum esse, debuissent tantùm dicere propositiones suas esse *æquivocas*, pati *sensus varios*, in uno rectè damnatas esse, sed non in suo: se propositiones tantùm sustinere in sensu Sanctorum Patrum & Sacræ Scripturæ. Verùm effugium illud, seu cavillationem nondum satis edocti erant, quamvis aliquid subinde quipiam tentare visi sint; ars ista perficienda fuit à Doctore Hennebel, & ipsi adhærentibus.

Hîc Venantius iterum Ariovisto annuit; rectè, inquiebat, dixisti artem istam ab Hennebello *perficiendam*. Inventis est facile aliquid addere. Ea porrò ars inventa vel inchoata erat anno 1680. quando prodiit in Belgio liber, cui titulus; Strena veritatis &c. Ejus Autor se vocat *Lucam Veronensem Baccalaureum Lovaniensem*. Illic pag. 50. dicebatur, *damnari in sensu ab Autore intento, est damnari in sensu obvio, sive ille sit Jansenii, sive non.* Pag. 51. " Certum est & clarum quòd propositiones il-
„læ quinque tam artificiosè & æquivocè sint conflatæ,
„ut sensum habeant hæreticum obvium, habeant & Ca-
„tholicum: propositiones ergo duplicis sensûs boni ma-
„lique damnantur absolutè, quia malum ex singulis de-
„fectibus."

Adhuc memini, subdit Ariovistus, & utrumque hunc locum citat Eminentissimus Cardinalis de Aguirre in de-

defensione Cathedræ S. Petri. Cedo mihi librum, obsecro. Quem cum accepisset, Videte, inquit, disp. 20. sect. 2. sic in locum utrumque animadvertit; " Hæc ille „(Veronensis) quæ certè eo fine excogitavit, ut impu„nè defendi possint quinque illa dogmata juxta Janse„nii sensum, veluti Catholicum penes obviam & tritam „significationem; quamvis addat, inesse quoque illis „alium sensum obvium & hæreticum, juxta quem so„lum damnata fuerint à Pontifice; quod posterius vi„detur addidisse, ne Pontificiæ Constitutioni palam ad„versari credatur." Hactenus Cardinalis, cujus sapientissima animadversio non obscurè nobis detegit *finem*, ob „quem Doctor Hennebel defendens apertè propositionem damnatam, ei tribuat duos sensus, quorum unum tantum ait esse Catholicum, & defendi posse. Numquid, D. Baccalauree, *ne Pontificiæ Constitutioni palam adversari credatur?*

Sic olim Petrus Abailardus si Berengario contra Bernardum credimus, propositiones, quas S. Bernardus ex Abailardo collegerat, & dein Innocentius Pontifex condemnavit, partim non tradiderat, partim tradiderat bono „sensu: ". Indiculum, inquit Berengarius vidimus, in quo „non PETRI (Abailardi dogmata) sed nefandi commenti „capitula legimus..... quædam, fateor, Petrus & dixit „& scripsit; quædam verò neque protulit, neque scrip„sit; quæ autem dixerit, & quæ non dixerit, & quàm „Catholicâ mente, ea quæ dixit senserit, secundus ar„repti operis tractatus Christianâ disputatione ardenter „& impigrè declarabit." Hoc Berengarii institutum, prosequitur Ariovistus, apprimè tenet nova factio, & exactissimè secutus est nuperrimus Baii defensor, qui omnia ejus opera, & jam hactenus ignota edidit cum notis & vindiciis; eadem premunt vestigia omnes discipuli Jansenii, ut Magistrum suum tueantur, præcipuè Doctor Hennebel in propugnatione totius factionis, ut ex hactenus allegatis manifestum est. Atque hæc sunt de quibus Baccalaureum ex Christiana caritate monendum esse ducebam, antequam finem dissertandi hodie faceremus. Tu igitur, D. Baccalauree, ea æqui bonique consule, & fac in utramque aurem dormias.

Posica

Postea omnes secesserunt sibi mutuo faustam quietem de more comprecati; sed non constituerunt, quâ horâ essent postridie arenam repetituri.

DISSERTATIO VIII.

De Rigoristis & Novatoribus Belgii.

TRes illos Disputatores egregios & fessos dissertando, & qui ad multam noctem vigilassent, arctior quàm solebat somnus complexus est. Unde accidit ut etiam solito seriùs ad dissertandum convenerint. Hanc porrò dissertationem inchoavit Venantius; pervenimus, inquiebat, Viri doctissimi amicissimique socii, ad Hennebelli articulum VI. qui est *de Rigoristis & Novatoribus Belgii.* Ariovistus autem, audito Rigoristæ nomine, optarem, inquit, nobis velut lupus in fabula adesset proximi pagi Parochus qui audit Rigorista insignis, mulctas pœnitentibus injungit ridiculas, & promiscuè negat absolutionis beneficium. Rectè mones, ait Venantius; jam jam mittam famulum, qui eum accersat invitetque ad prandium. Dictum factum; Venantius misit famulum, jussitque significari Parocho apud se etiam esse aliquem Academiæ Lovaniensis Baccalaureum, quo Parochus veniret libentiùs: noverat enim Venantius pares cum paribus, ut est in vetere proverbio, facillimè congregari. Interea Venantius, Ariovistus, & Baccalaureus examinarunt ea quæ ab Hennebello dicuntur hoc articulo non adeò ad Rigorismum pertinentia.

Lectum igitur fuit à Venantio istud Hennebelli;" „Triumphum hic canit Pater Palazol num. 89. gloriaturque Jansenistas tum demum arma sua aliò vertisse, „ac Jesuitarum Morali bellum indixisse, cum ab adversariis suis, ac maximè Jesuitis victi fuissent in dogmatica. Id ipsum repetit num. 102. Ego verò ignorare „me fateor, quod sit illud dogmaticæ punctum, in quo „contra prætensos Jansenistas Jesuitæ triumpharint; „maximè si de Belgii Jansenistis agitur. Sic Hennebellus."

Quid hocce monſtri eſt? Inquit Arioviſtus. Hennebellus *ignorare ſe fatetur, quod ſit illud dogmaticæ punctum, in quo contra Janſeniſtas Jeſuitæ triumpharint.* An ergo ipſi exciderunt propoſitiones 79. dogmaticæ à Pio V., Gregorio XIII. & Urbano VIII. in ſenſu ab Autoribus intento damnatæ? An excidit Michaël Bajus qui ſcriptâ & à ſe ſignatâ publicâ profeſſione 24. Martii 1580. agnovit" plurimas ex iiſdem ſententiis in nonnullis libellis à ſe olim & „ante emanatam Sedis Apoſtolicæ ſuper iis cenſuram, „conſcriptis & in lucem editis contineri & defendi etiam „in eo ſenſu in quo reprobantur?" An excidit Bulla Urbani VIII. data anno 1641. pridie nonas Martii, ex qua conſtat" quoſdam in oppido Lovanienſi aſſertos Cornelii Janſenii olim Epiſcopi Iprenſis executores ex teſtamento in „lucem edi curaſſe librum, cui titulus Augnſtinus, atque „ex diligenti ac matura ejuſdem libri lectione poſtmo„dum compertam fuiſſe in eodem libro multas ex propo„ſitionibus à prædeceſſoribus (Urbani VIII.) damnatas „contineri, & magno cum Catholicorum ſcandalo & au„ctoritatis dictæ Sedis contemptu contra præfatas dam„nationes & prohibitiones defendi.... malo in ſcandalum „totius rei Chriſtianæ & Fidei Catholicæ perniciem verten„ti &c.?" An inquam, iſta omnia exciderunt Hennebello?

Debet ipſi, inquit Venantius, etiam conſtare ex Conſtitutione Innocentii X. data 1653. pridie Kal. Junii" inter „alias opiniones libri, cui titulus Auguſtinus Cornelii Jan„ſenii, ortam fuiſſe præſertim in Galliis controverſiam ſu„per 5. ex illis; ideòque Pontificem ſuper unaquaque ea„rum certam & perſpicuam ferre ſententiam." Dein Decreto 1654., 23. Aprilis rurſus teſtatur idem" Sanctiſſimus Dominus, condemnatam ſuâ Conſtitutione in 5. propoſitionibus, Auguſtini Cornelii Janſenii doctrinam." Idem diſertiùs declarat Alexander VII. & omnes oppoſitum dicentes deteſtatur ut *filios iniquitatis* Conſtitutione anni 1656., 17. Kal. Novembris. Propoſitiones 31. damnatas ab Alexandro VIII. eſſe partim Janſenii, partim recentiorum Janſenio faventium, ſatis ſæpè demonſtratum eſt, nominatim ab Hilario à S. Sepulcro.

Hæc audis D. Baccalauree? quærit Arioviſtus. Dic modò, an Janſenium habuiſſe pridem multos & hodie-
dum

dum habere in Belgio ſequaces atque univerſæ doctrinæ ſuæ ſine ulla exceptione approbatores, non ſit luculentis teſtimoniis, atque ipſorum approbatorum verbis ante à nobis demonſtratum.

Ad ea ſiluit Baccalaureus quaſi homo non habens in ore ſuo redargutiones. Arioviſtus autem dixit; Non fuerit fortaſſe inutile approbatoribus adjungere Autorem diverſorum Problematum, quem heſterno die bis citavimus. Hic pag. 65. ſic ſcribit; *Janſeniſmus non eſt aliud quàm.... doctrina ſancta & divina Divi Pauli, Divi Auguſtini totiuſque Eccleſiæ circa prædeſtinationem gratuitam ſanctorum & gratiam omnipotentem Servatoris.*

Liceat & mihi, inquit, Venantius, locum adjungere unum, ubi idem fermè aſſeveratur multo copioſiùs. Haud ita pridem accepi ſcriptum Gallicum, cui titulus eſt; *Litteræ cujuſdam Theologi ad Epiſcopum Meldenſem, in quibus refutatur Apologia falſa veri amoris Dei.* Hoc ſcriptum, ut præ ſe fert, impreſſum eſt Coloniæ apud Petrum Marteau anno 1699. Porrò Autor qui defendit Illuſtriſſimum Cameracenſem, apertè Bajum tuetur ac Janſenium. Is quem hîc Autor impugnat, ſcripſerat de Cameracenſi; *ſecutus eſt doctrinam S. Franciſci Saleſii, ſicut Janſenius doctrinam S. Auguſtini.* Ad hanc propoſitionem Theologus ille poſt alia tria affert hoc reſponſum quartum pag. 62. " Si verum eſt quòd „Cameracenſis Archiepiſcopus ſequatur doctrinam S. „Franciſci Saleſii, ſicut Janſenius doctrinam S. Augu-„ſtini; certum eſt quòd eam ſequatur exactiſſimè, quo-„niam ex omnium Criticorum accuratorum judicio mi-„nimè dubium eſt, quin Janſenius ſecutus fuerit tam „preſsè doctrinam ſancti Defenſoris gratiæ, ut ab anno „1640. cum ipſius Auguſtinus cœpit comparere, non „potuerit uſque ad hoc tempus oſtendi, Auguſtinum „Ipreniem aberrare in ullo alicujus momenti puncto ab „Auguſtino Hipponenſi. Ipſius adverſarii moverunt om-„nem lapidem, & ſcripſerunt infinitam librorum mul-„titudinem ad probandum, quòd Janſenius eſſet falſus in-„terpres & corruptor S. Auguſtini; & cernentes ſe omni-„bus, quas afferebant, probationibus aliud nihil perficere „quàm confirmare cunctos homines ad credendum con-

„trarium, adhibuerunt, ficut fit, omnes Poteftates, ut quod „ratione non poterant, faltem autoritate perfuaderent. „At verò hæc tam irregularis agendi ratio ad perfuadendum factum, cujus evidentia non pendebat nifi à le„ctione unius libri, non alium fortita eft effectum in „animis eorum quorum hîc nihil intererat, quàm quod „fuerint convicti Janfenium tradere doctrinam S. Au„guftini, quandoquidem non oftenderint oppofitum, nifi „per autoritatem & violentiam. "

Hæc pofteaquam Venantius ex dictis litteris fideliter recitaffet, Ariovifttus inferebat; Ergo & ex his patet non deeffe qui hodiedum ftant à Janfenio. Quinam autem funt Janfenio adverfarii quos Theologus ille conatus eft hîc perftringere? Quinam adverfarii Bajo? Certè, pergebat idem Ariovifttus, Societatis Theologos aliquid operæ contuliffe ad condemnationem Baii & Janfenii, nullus rerum geftarum utcumque confcius, inficias ibit. Societatis Theologus erat Francifcus Toletus, dein S.R.E. Cardinalis, de quo ipfe Bajus ita teftatur in fua retractatione. " Significo & profiteor me ex variis colloquiis & communicationibus habitis cum R.P.D. Francifco Toleto Concionatore Suæ Sanctitatis & ad hanc rem fpecialiter miffo..... ita motum & eò perductum effe, ut plane mihi habeam perfuafum, mea„rum omnium fententiarum damnationem atque pro„hibitionem jure meritoque ac non nifi maturo judicio „& diligentiffimâ difquifitione factam atque decretam „effe. " Item quid pro Urbani VIII. Bulla contra Janfenii Auguftinum & multas in eo propofitiones poft condemnationem fcandalofiffimè refufcitatas obtinenda, non minus fedulò egerit Societas, quàm fideliter in confeffo apud omnes eft.

Ariovifte, vera prædicas, inquit Venantius; imò queruntur, adverfarii nimis multum egiffe in hac caufa Jefuitas, quos proinde velut propriam totius mali originem ac fontem implacabiliter perfequuntur. In Epiftola à quibufdam Lovanienfibus nomine totius Academiæ ad Univerfitatem Parifienfem data anno 1644. 10. Martii, quam adhuc diebus aliis citavimus, aiunt Bul-

„Bullam à Theologis Societatis adversùs Reverendissi-„mum Dominum Episcopum Iprensem Romæ extor-„tam." Editus Lovanii est eodem anno 1644." plan-„ctus Augustinianæ veritatis in Belgio patientis, in quo „dicitur, quòd nullus dignitate, officio, aut beneficio „deinceps donetur, nisi qui, abjuratâ in Jansenio Augu-„stini doctrinâ; se Jesuitarum dogmata, sensus, judicia „secuturum aut profiteatur aut mentiatur." Nonne Jesuita est Pater Stephanus Dechamps, qui de libero arbitrio sub nomine Antonii Ricardi contra Jansenium scripsit? Hunc inter primos, palmam ceteris præripuisse, & præcipua ad debellandam in Gallia Jansenii doctrinam arma subministrasse, communis eruditorum sensus est. Illum numquam legi, inquit Baccalaureus. Venantius reposuit id satis credere se, quia, aiebat, si ille liber Lovanii penes te deprehensus fuisset, quantum adiisses periculum! Verisimiliter quemadmodum Cœcus ille Evangelicus è Synagoga, sic tu è tuo fuisses ejectus Collegio.

Quin potiùs, inquit Ariovistus, jubemus Jesuitas valere, & immoramur in adversariorum testimoniis? Hi enim apud Baccalaureum, pacto nescio quo, plus inveniunt fidei; & mihi ad manum sunt quàm plurimi, è quibus paucos exhibebo. Petrus de Ligny Professor Duacenus in Epistola nupera; *plane*, inquit, *persuasum habeo Episcopum Iprensem per factionem turbæ Molinianæ fuisse condemnatum*. Ignatius Eykeboom 1696. in adumbrata Ecclesiæ defensione contra Leydeckerum pag. 49., *quòd Pontifex Jansenii Augustinum falsis Molinistarum suggestionibus proscripsit, & quinque propositiones ipsi ad censuram exhibitas.... damnavit, utcumque ostendisti.* Idem pag. 17. ait; *malis artibus Jesuitarum insertum Bullæ Urbani VIII. quòd Bulla Pii V. à Gregorio XIII. confirmata sit.* Eugenius de Gelder Brugensis anno 1689. in ultima voce zelatricis innocentiæ pag. 115. expressè de Jesuitis dicit, quòd sicut *per vafrè fabricatas quinque propositiones, doctrinam Jansenii Romæ procurarant damnari, sic etiam* egerint respectu *Michaëlis Molinos* & prætensæ ejus doctrinæ: tum animos resumens, *sed quidquid*, inquit, *conentur, quid-*

quid machinentur, quidquid ſubdolè per ſe & ſuos efficiant Patres Jeſuitæ, ſpiritus (Janſenii & Molinos) *illis frendentibus, ubi vult, ſpirabit.*

Tum Baccalaureus dixit, agnoſco nobilem Eugenii indolem timere neſciam. O utinam tam fortes & imperterriti fuiſſent *multi* nuper Duaceni, qui libenter in occulto ſubſcripſiſſent Theſi cuidam, in qua nil niſi veritas eluceſcebat: ſed, prô pudor! timebant ſolùm, ne quis homo Societatis id reſciret: ſic enim Dominus Malpaix Canonicus Duaci ad amicum ſcribit, " multos à Theſi approban- „da avertit, quòd magis timeant Jeſuitas quàm Deum. „Satis vident eandem in ea doctrinam contineri, quam „ſuſtinuit Dominus Gilbert, & ejus ſortem perhor- „reſcunt, nempè exilium." Vah! imbelles nimiumque „degeneres animi. In illa Theſi, inquit Arioviſtus, nil niſi veritatem fuiſſe, ex eo, credo, patet, quòd Janſeniana eſſet: etenim ut talis declarata eſt à Pariſinis Theologis anno 1691., 28. Decembris.

Verùm, inquit Venantius, iterum ferimur extra oleas, quod aiunt. Redeundum eſt ad Jeſuitarum pugnas & victorias. Quòd Societatis Theologi Lovanienſes quoque concurrerint ad denuntiationem plurimarum propoſitionum, quarum 31. damnavit Alexander VIII., teſtari poteſt R.P. Duffius Minorita Hibernus, qui tamquam Theologus Regis Catholici denuntiationem Romæ inſtituit ſub Innocentio XI., quam dein ſub Alexandro VIII. proſecutus eſt R. P. Franciſcus Diaz ex ordine S. Franciſci Hiſpanus. Teſtimonium Jeſuitis hîc non negabit D. Malpaix in Epiſtola data 2. Februarii 1691. ita ſcribens; " Miſe- „rum Innocentium XI.! qui poſt mortem impedire non „potuit quod vivus averterat, qui numquam permittere „voluit Decreti illius ſcandaloſi promulgationem, quam- „vis factio Monachalis, & nigra turba Eſcobarii ſeu „Jeſuitarum, toties apud Inquiſitionem inſtitiſſet. "

Si hic tamen, dicit Baccalaureus, aliique omnes quorum teſtimonia jam protuliſtis, interrogentur, an in ullo dogmate convicti ſint à Jeſuitis, an à Minoritis, an ab Epiſcopis, an à Sacris Inquiſitoribus, an à Sede Apoſtolica; negabunt fortiter. Negabunt? Inquit Venantius; imo

imo verò cum bile repellent ejusmodi quæstionem tamquam ineptissimam. Sic cum ab annis paucis Lovanii Dominus Franciscus Martin Hibernus, vir, ut nostis, doctissimus ad Doctoris adspiraret lauream, quam & merito consecutus est, inter cetera impedimenta à quibusdam objectum ei fuit, quòd aliquando de Antonio Ricardo contra Jansenium & Vincentium Lenem seu Libertum Fromondum scribente dixisset, *mactat suum adversarium.* Adeò grave istis hominibus est audire, quòd Jansenius in ullo dogmate fuerit de errore convictus.

Ariovistus subdidit; Si grave illis sit convinci à Jesuitis, vel à Minoritis, vel ab aliis suis adversariis; saltem grave esse debet obedientibus Ecclesiæ filiis convinci à Sede Apostolica, quam esse supremam Ecclesiæ totius Magistram Dominus Hennebel non diffitebitur, saltem Romæ. Sed fac Jesuitas nihil prorsus operæ & studii posuisse in ejusmodi convictionibus & Bullis Pontificiis impetrandis. Poteftne Hennebellus verè dicere; "ego „verò ignorare me fateor, quod sit illud dogmaticæ „punctum, in quo contra prætensos Jansenistas Roma „triumphavit, maximè si de Belgii Jansenistis agatur?" Nonne Michaëlem Bajum Lovaniensis Academiæ Doctorem, Professorem Publicum & Cancellarium à Pio V. & Gregorio XIII. convictum fuisse de plurimis erroribus in materia *dogmatica* seu doctrinali, ex ipsius Baii Professione à se scripta & signata superiùs ostendimus? Nonne Jansenium *multas ex propositionibus* in Baio damnatis resuscitasse, & magno Ecclesiæ scandalo & Sedis Apostolicæ contemptu *contra damnationes & prohibitiones defendisse*, evicimus verbis ipsius Bullæ Urbani VIII.? Nonne *in quinque propositionibus* ab Innocentio X. damnatis, esse *condemnatam Augustini Cornelii Jansenii doctrinam*, pariter demonstravimus ex Decreto Innocentii X. id expressis terminis declarantis 23. Aprilis 1653.? Nonne" quinque illas propositiones ex libro præmemo„rati Cornelii Jansenii....excerptas, ac in sensu ab eo„dem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse, defi„nitum & declaratum" videmus in Bulla Alexandri VII. data 1656., 17. Kal. Novembris? Nonne trigin-

ta & unam propositiones, partim ad moralem partim ad speculatricem Theologiam pertinentes, certè omnes vel fere omnes *dogmaticas* seu doctrinales in Scriptis Theologorum quà Lovaniensium, quà aliorum Belgarum, quà Antonii Arnaldi, qui in hac causa Belgis annumerandus est, exhibitas Romæ supremis fidei Quæsitoribus & Consultoribus S. Officii, damnavit Alexander VIII.?

Eruditissime Arioviste, interpellat Venantius, non immeritò Arnaldum Belgis annumeras, quia ex Gallia profugum Belgæ non modò exceperunt tecto, sed etiam foverunt, & librum ejus de Frequenti Communione approbarunt, etiam postquam propositiones complures ex eo excerptæ & ab Alexandro VIII. damnatæ sunt.

Sed quæso te, inquit Ariovistus, ne me hoc loco interturbes. Nonne, inquam, Bajum & Jansenium pridem habuisse & etiamnum habere in Belgio omnium suorum dogmatum præcones ac defensores, suprà luce meridianâ clariùs ostensum est? Accedit quòd olim contra Urbanum VIII. Janseniani Belgæ typis ediderint approbationes datas libro Jansenii à variis Theologis Belgis, Religiosis & Clericis Secularibus, etiam Vicario Hollandiæ Philippensi Archiepiscopo. Et ne quis de approbationum istarum fide dubitaret, autenticari eas jusserant à *Petro Mintart Notario publico, & Apostolico & Universitatis Lovaniensis.* Earundem approbationum meminit Innocentius X. in Decreto anni 1654. 23. Aprilis, easque ibidem prohibuit & nigro Theta notavit. Propositiones 5. in sensu Jansenii & universam ejus doctrinam, uti & multas propositiones Michaëlis Molinos post Innocentii XI. diploma approbantem dedimus jam aliquoties *Eugenium de Gelder* famosum & nobilissimum Belgam Brugensem. Neque ex his quidquam fugit Doctorem Hennebel; nihil est quod non æque ac forte melius quàm nos exploratum habeat, & tamen nihil hæsitans pergit pro sua sinceritate dicere; " Ego verò ignorare me fateor, quod sit illud dogmaticæ punctum, in „quo contra prætensos Jansenistas Jesuitæ aut ulli alii „triumpharint, maximè si de Belgii Jansenistis agitur.

Hîc

Hîc Venantius, denuò interlocutus dixit; Verbum *triumphandi*, optimè Arioviſte, mihi cogitationem injicit aliquam, quam non poſſum diutiùs premere. Illud verbum, inquit Arioviſtus, P. de Palazol non adhibuit. Scio, illicò Venantius ſubjungebat; at illud adhibuit Doctor. Hennebellus, puto, quia illud cenſuit idoneum ad invidiam conflandam non Societati tantùm, verùm etiam toti Eccleſiæ: non ſolet Eccleſia de damnatis propoſitionibus *triumphos* agere, ſed traditas fuiſſe luget, atque unicè cupit, ut omnes errantes in viam redeant, nec quiſquam deinceps ab ea declinet.

Nolim ego, inquit Arioviſtus, ſic ſingulos verborum apices carpere, præſertim ubi alia graviora ſeſe offerunt. Hoc tamen dico: ſi tantum velit Dominus Hennebel, ut de profligatis erroribus *triumphi* nec à Jeſuitis nec ab aliis agantur, vel ſi diſpliceat tantum quod P. Palazol aliquid fortè gloriæ in iſtis condemnationibus derivare videatur in Societatem, idem Pater Palazol & Rev. Admodum Pater Thyrſus Gonzalez, nomine totius Societatis, libenter omni iſtiuſmodi gloriæ nuntium remittet, modò Dominus Hennebel cum ſuis, exemplo ipſius Baii fateatur " plurimas ex 79. propoſitionibus „damnatis à Pio V., Gregorio XIII. & Urbano VIII., „in Scriptis Baii contineri & defendi, etiam in eo ſen„ſu in quo reprobantur, atque earum ſententiarum dam„nationem atque prohibitionem jure meritoque ac non „niſi maturo judicio & diligentiſſimâ diſquiſitione præ„miſſis factam eſſe. Fateatur in libro Janſenii, cui titu„lus Auguſtinus, multas ex propoſitionibus à Pio V. & „Gregorio XIII. damnatis contineri, & magno cum Ca„tholicorum ſcandalo & autoritatis S. Sedis contemptu „contra damnationes & prohibitiones antea latas defendi. „Fateatur Innocentium X. in 5. propoſitionibus, Auguſti„ni Cornelii Janſenii doctrinam rectè damnaſſe. Fateatur „Alexandrum VII. eaſdem propoſitiones ex eodem li„bro excerptas, ac ſenſu ab eodem Janſenio intento dam„natas fuiſſe, merito definire ac declarare, & uti tales „iterum damnare." Fateatur propoſitiones in Michaële Molinos ab Innocentio XI., & alias 31. in variis reſ-

pectivè

pectivè Autoribus ab Alexandro VIII. rectè damnatas fuisse, non secundùm fictitium sed realem sensum, & qui ab aliquibus reipsa traditus fuerit in obvia verborum significatione.

Sed vix audeo, ait Venantius, tale quid ab eo & ejus asseclis umquam sperare: nam quamvis clarè edicere palam is non audeat, præsertim Romæ, tamen ex circumstantiis minimè obscurum apparet, hunc esse dicti Hennebelliani sensum, quòd nullum doctrinæ punctum à Jansenio vel ullo ejus in Belgio sequace traditum fuerit sensu hæretico vel erroneo & ut tale rectè à Sede Apostolica damnatum.

Tunc Ariovistus, idem & ego, inquit, jam pridem censui. Quare tu, D. Baccalauree, Romam ad Hennebellum scribe, eumque roga & obtestare, ut clarè ad hoc respondeat, an nostra hìc nos fallat suspicio, & an forte oppositum sentiat: percupimus enim errorem edoceri, si quem subesse contingat; & hoc publicari juverit ad Doctoris illius defendendam famam, quæ apud multos non leviter patitur. Quod si facere detrectaverit, frustra dicit, de 5. propositionibus nullam in Belgio motam fuisse quæstionem. Nam contrarium jam demonstravimus, imo & universas Baii, Jansenii & confœderatorum propositiones, plus quàm in 100 punctis respectivè damnatas, sustineri ac defendi in omnibus sensibus, quibus damnatæ sunt & à nullo Romanæ Communionis Theologo aliàs traditæ.

His nil motus Baccalaureus dixit; Longè aliter loqueremini, si sciretis quis fuerit controversiæ status post Constitutionem Innocentii X. Eia age, inquit Venantius, hunc statum, D. Baccalauree, nobis edissere. Id equidem malo, reponit Baccalaureus, vos ex Hennebello quàm ex me cognoscere. Sic itaque habet ille Doctor plane eximius; " Suprà à Facultate Lovaniensi au„divimus, quòd vel in Academia Lovaniensi, vel in „Belgio ne mota quidem fuerit quæstio de quinque pro„positionibus ab Apostolica Sede damnatis. Extra Bel„gium is verus fuit controversiæ status post Constitu„tionem Innocentii X.: pars utraque propositiones damnabat:

„nabat: pars una eas Jansenio adscribebat, alia Jansenium benigniùs interpretabatur: accessit Apostolica „Sedes iis qui in Jansenio eas contineri affirmabant: „quod si sufficiat, ut una pars alteram in materia dogmatica superasse dicatur, Bellarminus defendendo „Epistolas Honorii, Petavius defendendo scripta Theodoreti, tot alii defendendo tria Capitula, quintam, „sextam aliasque Ecclesiæ Synodos generales in materia dogmatica superasse dici poterunt."

Vix hæc Baccalaureus absolverat, cum Ariovistus exclamat; Hîc fallit vel fallitur Doctor tuus Hennebel. Post Constitutionem Innocentii X. dicebant quidem se 5. Jansenii propositiones damnare, non damnabant tamen eo sensu, quo Sedes Apostolica, sed in sensu fictitio, quem sibi ipsi finxerant ad definitiones omnes eludendas. Sensum hunc expresserunt in libello trium columnarum, quem variis linguis ediderunt, & Innocentius X. condemnavit Decreto anni 1654., 23. Aprilis. Paulò ante Constitutionem, qua idem Innocentius X. quinque propositionibus inflixit anathema, eas Theologi isti in libro *de gratia victrice*, à multis confœderatis approbato, profitebantur esse Jansenii, seque eas eodem, quo ab ipso traditæ sunt, sensu defendere, imo omnes Catholicos ad eas defendendas, tamquam inconcussa fidei fundamenta obstringi. Videri hæc & similia illic possunt pag. 10., 16., 18., 21., & 22. Liber is Autorem præ se ferebat *D. Boulieu*, aliàs ut passim creditur, Natalem de Lalane Abbatem B. M. V. de Valle Crescente: approbatores erant Domini Brousse, Bourgeois, Talendier, Rydeau, Herman, Olonergean. Etiam hic liber ab Innocentio X. eodem Decreto proscriptus est. Idem Dominus de Lalane & ceteri Jansenianæ factionis allegati, in libello trium columnarum ante propositionum condemnationem Innocentio X. pag. 3. declarabant, se 5. illas propositiones, *non in sensu alieno ad quem trahi possent*, *quique* inquiunt, *à nobis respuitur*, *sed sensu legitimo eas defendere*; quod quid aliud est, quàm eas defendere in sensu obvio? Legati isti, ubi causâ Romæ ceciderant, in Galliam reduces sparserunt & inculcarunt sensum suum circa 5. propositiones adeò non

non condemnatum fuisse à Pontifice, ut tacitè & permissivè saltem, fuerit approbatus. Hæc ab eis gesta & sparsa esse notorium est; & si tu, D. Baccalaurce, cum Hennebello, vel alio quopiam negare volueris, vos testimoniis luculentis, etiam Jansenistarum, poterimus convincere. Quapropter loquendi normam dein pro circumstantia temporis paululùm immutantes, rem totam retinuerunt. Nam etsi se 5. propositiones damnare significarint, quoties tamen dein gloriati sunt, " se eandem semper circa quinque propositiones doctrinam tenere; quinque propositiones in sensu damnato numquam ab ullo in Ecclesia Theologo traditas fuisse; Jansenianam hæresim nihil esse præter chimeram, nihil umquam à Jansenio præter Sancti Augustini Catholicam doctrinam traditum esse! "

Posthæc Venantius interrogavit Baccalaureum, an Ariovistus uspiam à veritatis tramite aberraret. Et ubi Ariovistus protulerat adhuc aliqua in hujusce rei confirmationem, Venantius sic perrexit; dicat nunc D. Hennebel, an res tota non eodem redeat, sive sequaces Jansenii omnes propositiones damnatas in terminis defendant, sive eas defendant in sensu quo à Sede Apostolica sunt damnatæ, etiamsi profiteantur se eas damnare in sensu fictitio, & prorsus alio, quàm à Sede Apostolica proscriptæ fuerint? Hoc si ad Catholicismum sufficiat, nulla est hæreticorum secta, quæ retentis omnibus suis erroribus, redire cum Ecclesia in gratiam non possit.

Hîc valdè irretitum se sensit Baccalaureus, & nihil aliud dixit quàm; Si talis interpretatio non sufficiat, cur de ea conquesti non sunt illi, qui se eo tempore tam audacter opponebant nostris defensoribus gratiæ? Ariovistus respondit, hac tuâ interrogatiunculâ, D. Baccalauree, mihi revocas in memoriam ea quæ in hanc rem quadrant maximè & ideò præterire non licet. De hac interpretatione, vel potiùs de hac subdola Jansenianorum cavillatione questi sunt Archiepiscopi, Episcopi, Abbates &c. circiter septuaginta in Epistola data Parisiis ad Alexandrum VII. Innocentii X. successorem

anno

anno 1658., 2. Septembris." Iisdem artibus, inquiunt „quibus olim Pelagiani, grassantur novæ sectæ discipuli, „ac præterea ut à capitibus suis fulminis Apostolici amo„liantur ictum (licet obfirmato animo 5. propositiones „Jansenio iterum abjudicent) ad facti quæstionem, in „qua Ecclesiam falli posse docent, controversiam de„ducere nituntur," ut nititur hodiedum Doctor Hennebel. Item Alexander VII. Constitutione ejusdem anni 17. Kal. Novembris " licet, inquit, ea quæ Apo„stolicis Constitutionibus abundè fuerunt definita, novæ „decisionis, sive declarationis accessione nequaquam in„digeant; quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis per„turbatores illa in dubium revocare, vel subdolis in„terpretationibus labefactare non verentur; ne morbus „ille latiùs divagetur promptum Apostolicæ autoritatis „remedium censuimus esse non differendum."

Idem Pontifex, inquit Venantius, in Brevi ad Joannem Austriacum Belgii Gubernatorem anno 1656. 23. Decembris. " Ne permittas pravas nonnullorum voces „ac doctrinas latiùs serpere, proseminarique, qui mag„no cum audientium scandalo ac pernicie damnatas „jam pridem ab hac fidelium omnium Matre ac Ma„gistra, Cornelii Jansenii Iprensis olim Episcopi senten„tias, aliò Sanctæ hujus Sedis sensum ac mentem per„versè trahentes, docere ac propugnare non verentur. „Adeò enim palam apertumque est, quid de his proposi„tionibus Beati Petri Cathedra pronuntiaverit decreverit„que, ut vel graviter hanc contemnere, vel hujusmo„di homines seipsos atque alios seducere necesse sit; „quodque ait Propheta, bonum malum, ac malum bo„num dicere, ponentes tenebras lucem, ac lucem te„nebras."

Item..... Siste, doctissime Venanti, inquiebat Ariovistus, producta jam sunt satis multa; neque enim oportet bonum Baccalaureum ita obruere. Mitiùs decet cum eo agere, ejusque juvare memoriam; qua de causa juvat jam dicta conferre in pauca, & quasi sub unum aspectum subjicere. Id quod Ariovistus hoc modo præstitit.

Hîc

Hîc ergo videt D. Baccalaureus, primò ex testimonio septuaginta Antistitum, *novæ sectæ discipulos* Constitutione Innocentii X. non fuisse conversos, sed *grassatos* in Gallia *iisdem artibus* quibus olim Pelagianos. Deinde videt eas *propositiones* quas ante Bullam dixerant esse *S. Augustini & Jansenii, imò fidei nostræ fundamenta*, jam abjudicari Jansenio, ut, totam Jansenii doctrinam velut à fulmine intactam fingentes, sustineant prorsus eundem quem antè sensum atque doctrinam, modò à formalibus damnatarum propositionum terminis palam & in publico abstineant; *ideoque novæ sectæ discipulos niti controversiam deducere ad quæstionem facti, in qua Ecclesiam falli posse docent.* Tertiò videt ex irrefragabili testimonio Alexandri VII. extitisse post Constitutionem Innocentii X. " aliquos publicæ tranquillitatis perturbatores, qui ea, quæ definita fuerant, in dubium revocare vel subdolis interpretationibus labefactare non sunt veriti. " Videt quartò ex ejusdem Pontificis testimonio allegato abs te, Venanti, sive ex Brevi ad Joannem Austriacum, tunc Belgii Gubernatorem, " aliquos illic non esse veritos magno cum audientium scandalo ac pernicie docere ac propugnare damnatas jam pridem sententias. "

Hâc Anacephalæosi finitâ, Venantius in medium protulit quæ paulò ante proferre inchoaverat; Item, inquiebat, eodem anno 1656. Theologia Parisiensis post duorum mensium examen in Comitiis generalibus ad Sorbonam congregatis die ultima Januarii solenni sententiâ declaravit, hanc Antonii Arnaldi propositionem excerptam ex ejus Epistola secunda ad Ducem & Parem Franciæ, " defuit Petro tentato gratia sine qua nihil poterat, esse temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam & hæreticam, " nempè juxta Tridentinum & definitionem Innocentii X. atque Alexandri VII. contra propositionem primam & tertiam Jansenii. Hortata sæpè est Facultas Theologica Antonium Arnaldum, ut errorem retractaret, sed frustra, ut patet ex ejusdem Facultatis Decreto in quo sic habetur: " Optaret sanè, & ex animo optaret Sacra Facultas, prædi-

„cti Magistri Antonii Arnaldi damnatâ doctrinâ „personam servari, & eam in rem sæpè ipsum per amicos hortata est, ut veniret ad Comitia, Matri se subjiceret, ejuraretque falsam ac pestilentem doctrinam, „idem cum ea sentiret, & unanimis atque uno cum eâ „corde & ore honorificaret Deum & Patrem Domini „Nostri Jesu Christi: verùm non modò amantissimæ „Parentis suæ consilia & hortamenta contempsit, sed „etiam die 27. præsentis mensis per Apparitorem Regium „eidem Facultati significavit, se pro nihilo ac nullo „habere, quidquid ipsa in re presenti egisset, acturaque „esset: quare eadem Facultas ipsum à sinu suo repellendum, expungendumque ex albo Doctorum suorum, atque à corpore suo plane resecandum censuit, & ipso „facto repulsum, expunctum, resectumque declarat, „nisi intra diem 15. mensis Februarii proximè sequentis, mentem suam mutaverit, & huic prædictæ censuræ „subscripserit coram Domino Decano, Illustrissimis „Episcopis, Doctoribus, & prædictis Deputatis."

Tantum verò abfuit, ut Arnaldus, mentem mutaret, ut eam scriptis variis contra Facultatis Decretum propugnarit. Ex his scriptis aliquot atque ipsam Epistolam ad Ducem & Parem Franciæ condemnavit Apostolica Sedes.

Tandem Arnaldus tum propter Doctrinam, tum propter conventicula à Rege aliquoties reprehensus, semel etiam Parisiis pulsus, cum se in Galliis non satis tutum videret, ut aliàs indicavimus, in Belgium profugere coactus est, sat certus, quantus illic sibi honor à tota factione habendus esset. Hæc Baccalaureus, inquit Ariovistus, meliùs explorata habet quàm nosmetipsi, possetque nobis, si vellet, alia arcana cum omnibus suis adjunctis patefacere. Atque idcirco dubito, an hîc debeam ipsi vel per transennam significare, quòd damnatas Jansenii propositiones in sensu obvio, licet vocibus paululùm immutatis, multi in Belgio tradiderint, & contemptis vel illusis Pontificum Constitutionibus audacter propugnarint. Porrò Baccalaureus quæsivit, unde id constaret.

Ex propositionibus, respondit Ariovistus, collectis à P. Duffio,

Duffio, ab Eminentiffimo Cardinale de Aguirre, ab Autore fpeciminum doctrinæ ex Academia Lovanienfi per Belgium manantis. Mitto jam propofitiones diffeminatas, aliaque hujufcemodi. Et verò, fubdit Venantius, fupervacaneum foret plura congerere, quia ex his fatis fuperque manifeftum eft, *ftatum controverfiarum, qui poft Innocentii X. Conftitutionem in Belgio & extra Belgium fuit*, à Domino Hennebello non fincerè declarari; quafi verò in Belgio nihil prorfus *Janfenianarum* propofitionum traditum fuiffet; fed religiofiffimè obfervatæ definitiones Pontificis: fimiliter & in Gallia, nifi quòd fateatur aliquos illic negaffe, quòd 5. propofitiones effent Janfenii.

At leviffimi momenti, ait Baccalaureus, eft ifta negatio. Neque enim gravior ea reputanda eft, quàm quòd Cardinalis Bellarminus neget propofitiones hæreticas contineri Epiftolis Honorii. Ita quidem, infit Venantius, fert Hennebelli fententia, fed quæ à nullo probè Catholico admitti poteft. Quidni? rogat Baccalaureus. Quia, Venantius refpondet, hîc multiplex eft ac varia ratio difcriminis; prima quidem eft, quòd nulla umquam propofitio ex Epiftolis Honorii excerpta fit, quæ declararetur hæretica. Altera quòd numquam declaratum fuit ullam talem propofitionem ex Epiftolis illis excerptam effe, aut in illis contineri, id quod utrumque de libro, cui titulus eft Auguftinus Cornelii Janfenii, definitum ac declaratum eft ab Alexandro VII. Pontifice. Tertia denique difcriminis ratio eft, quòd & propofitiones quinque à duobus Pontificibus damnatæ in libro Janfenii ad oculum demonftrentur à Catholicis paffim Scriptoribus, atque imprimis ab Eminentiffimo Theologo & Cardinale de Aguirre, quem cum ubique appellet D. Hennebellus cum fociis, non poteft habere fufpectum in defenfione Cathedræ S. Petri difp. 21., ubi ex profeffo propofitiones fingulas in Janfenio oftendit, & dein in ejus fequacibus Belgis, ac præcipuè Lovanienfibus. Nullus autem hactenus ullam propofitionem hæreticam, vel per umbram quidem, in Honorii Epiftolis detexit, aut de ulla ejus propofitione, tamquam hæretica, movit quæftionem.

Tum

Tum Baccalaureus dixit; Papa Honorius in Synodo sexta declaratus fuit hæreticus. Hac de re, reponit Venantius, eruditi disceptant, & scinduntur studia in contaria; nam alii ajunt, alii negant. Verum suppositâ, inquit Bellarminus libro 4. de Roman. Pontif. cap. 11. & non concessâ affirmationis veritate" tutò dicere pos„sumus eos Patres deceptos fuisse ex falsis rumoribus & „non intellectis Honorii Epistolis, immeritò cum hære„ticis connumerasse Honorium." Quid enim mirum est Synodum illam, utpote Græcorum, non intellexisse Epistolas Honorii Latinas? Has quidem aliquis idioma Latinum callens, in Græcum transtulit, sed quàm facilè fieri potuit, ut defectus aliquis, sive errore sive non bonâ fide, in versionem irreperet! Sic damnatâ à Clemente IX. Novi Testamenti versione Montensi, non propterea damnatum est Testamentum Novum: & etiamsi versio illa errores in fide contineret, non propterea errorem complecteretur Novum Testamentum. Fuitne autem etiam Jansenius conscriptus in aliquo idiomate quod à Consultoribus S. Officii, à Cardinalibus & Sede Apostolica non posset intelligi? Fuitne aliqua solùm translatio eaque fortè infidelis, an non potiùs textus ipse proprius ac genuinus ostensus?

Sed in gratiam D. Baccalaurei, inquit Ariovistus, hæc sunt magis enucleanda. In hypothesi quòd Honorius Pontifex in ista Synodo reipsa damnatus fuerit, verisimillimum est rem ita contigisse: Græci plurimi minùs benè volebant Romanis Pontificibus, molestè ferebant quòd multi suorum Patriarcharum de hæresi convicti essent atque damnati. Opportunam igitur contra Romanum Pontificem captarunt occasionem ex multorum contra Honorium murmurationibus, quòd non satis fortiter causam fidei contra Monothelitas ageret, sed nimiâ suâ erga eos benignitate & quasi dissimulatione illam hæresim fovere videretur. Accedebant Honorii ad Sergium Monothelitam litteræ, in quibus nullum quidem occurrebat dogma, quod in sensu obvio non esset Catholicum; sed erant tamen compellationes quædam officiosæ & Sergio perhonorificæ. Ex his compellatio-

O nibus

nibus & quibusdam factis aliis, quorum fama inter adversarios maximè, solet eundo crescere, Græci collegerunt Honorium subdolè colludere Sergio & ejus sequacibus, totamque doctrinam Monothelicam approbare,. licet interim nullam propositionem scriberet, quæ carpi posset ut hæretica. Porrò compellationes, quas verisimiliter suspicionem auxisse dicebam, hæ erant, *Deus te incolumem custodiat, dilectissime atque sanctissime Frater.* Hos titulos non satis Græci intellexerunt vel intelligere noluerunt esse mera urbanitatis officia, sed crediderunt esse approbationem morum atque doctrinæ. Ita ferè cum aliis Bellarminus.

Ad hanc narrationem Baccalaureus risum non tenuit, quare etiam oratione edixit sibi splenem potiùs quàm stomachum moveri. Quid enim? inquiebat; hoc passi fuerint Legati Pontificii qui Synodo Græcorum intererant? Hi non reclamaverint? Hi tam ferale fulmen in Pontificis sui caput librari permiserint? Credite posteri.

Ad objectionem illam, infit Ariovistus, jam pridem respondit Cardinalis Bellarminus, aiens; " Respondeo „id factum esse ad evitandum majus malum. Verebantur autem Legati, si reclamarent, ne impediretur definitio rectæ fidei, & non posset tolli schisma quod annis 60. jam duraverat. Nam damnabantur in eo Concilio Patriarchæ multi Constantinopolitani, Alexandrini & Anthiocheni, quorum successores non facilè „acquievissent, nisi etiam Honorius damnaretur."

Hæc responsio, subnectit Venantius, recantata est centies in opusculis illis, quæ contra vos elaborata sunt quàm plurima. Et tamen hanc D. Baccalaureus ignorat, aut ignorare se simulat? Quem ego.....sed ex dictis præstat elicere conclusiunculam adversùs Hennebellum: Non ergo sequitur, ut Synodus sexta erraverit in excerpenda aliqua propositione, vel notandâ eâ tamquam hæreticâ in sensu obvio libri; neque adeò potest Doctor Hennebel hinc inferre, non esse rem magni momenti, quòd aliqui propositiones 5. damnatas Jansenio abjudicent, ac librum ejus defendant, quasi nihil præter doctrinam sanam contineret.

Con-

Conclusio illa, inquit Ariovistus, legitima est. Et verò quid judicaret D. Hennebel de eo qui omnibus S. Augustini libris non unam propositionem diceret contineri orthodoxam? Quid de eo qui assereret Canones omnes ac Decreta Tridentini scatere hæresibus? Quid de eo qui libros Calvini affirmaret apprimè Catholicos, nec ullum continere fidei errorem? An qui talia effutirent ac sustinerent, non censendi essent errare in ullo *puncto dogmatico*? Diceretne etiam D. Hennebel, quando tales de tam multiplici falsitate convincerentur, " „Ego verò ignorare me fateor, quod sit illud dogma„ticæ punctum in quo prætensi Calvinistæ erraverint? Et " quod si sufficiat ut una pars alteram in materia „dogmatica superare dicatur, Bellarminus defendendo Epistolas Honorii, Petavius defendendo scripta Theodo„reti, tot alii defendendo tria capitula, quintam, sextam, „aliasque Ecclesiæ Synodos Generales in materia dogma„tica superasse dici poterunt?" Talibus assertionibus similis est illa, quâ dicitur liber, cui titulus *Augustinus Cornelii Jansenii*, nihil continere erroris condemnati & hæretici. Extant enim in eo evidenter propositiones multæ damnatæ à Pio V. & Gregorio XIII. teste Urbano VIII.: ostenduntur, in ea propositiones 5. damnatæ ab Innocentio X. & Alexandro VII.; ac præterea complures ex 31. proscriptis ab Alexandro VIII.; ita ut parati simus digito commonstrare, in Jansenio plures, quàm 50. articulos condemnatos.

Imo, subdit Venantius, in hoc dici potest melioris sortis esse *Institutio Calvini*, quàm *Augustinus Jansenii*, quòd, propositiones ex Calvini *Institutione* excerptæ numquam tam expressè declaratæ sint, excerptæ ex illo libro & in ejus sensu damnatæ, ut declaratum est de 5. propositionibus Augustini Jansenii. Nil tale est in Honorii Pontificis Epistolis, in quibus nullus unquam propositionem ullam hæreticam, vel aliter damnatam detexit, neque contineri declaravit ullum Concilium nec Pontifex ullus. At verò satis oculati & perspicaces sunt illi, quorum D. Hennebel patrocinium suscepit; satis vident in Jansenii Augustino plurimas revera damnatas propositiones clarissimè existere: sed ut possint tales impunè defendere

eodem quo Jansenius sensu, videntes non vident, & audientes non intelligunt. Simulant se nullam in libro isto propositionem damnatam conspicere, ut universam libri doctrinam, tamquam Catholicam tueantur; definitiones Pontificias in sensum detorquent imaginarium; atque ita eas omni prorsus frustrantur effectu. Id quod & priscis hæreticis in more positum fuit.

Hîc Baccalaureus Ariovistum contuebatur gorgoneis oculis, ad quod cum animum advertisset Venantius; Quid, inquiebat, D. Baccalauree, Ariovistum ita contueris? Indignare etiam Eminentissimo Cardinali de Aguirre, qui hoc ipsum jam pridem sapientissimè observavit, nos monens eandem hanc Jansenistarum & Bajanorum cavillationem fuisse etiam veterum hæreticorum, in defensione Cathedræ S. Petri disp. 20. sect. 3 " Id, inquit, nunc obiter monere placet, veteres „hæreticos similes in gratiam suorum anteambulo-„num exceptiones aut evasiones excogitasse. Eusebius „enim Nicomediensis & Theognes Episcopus Nicænus „Arii damnationem criminabantur, quasi ille solis vo-„cibus, non sensu declinasset ab Ecclesiæ doctrina. De „Marcello Ancyræ Episcopo certante verbis & sensu, „inquit Hieronymus in Catalogo; ILLE SE DEFENDIT „NON ESSE EJUS DOGMATIS CUJUS ACCUSABATUR. Et „de Priscilliano ait; DEFENDUNT QUIDAM NON ITA „EUM SENSISSE, UT ARGUITUR. Eodem modo Joan-„nem Hierosolymitanum errores suos fucare solitum, „monent multi ex Scriptoribus. De Wicleffo res notior „est, ideòque Gregorius XI. Papa ejus conclusiones & „propositiones damnavit sub hac adjecta clausula; LI-„CET EAS PROPOSITIONES QUADAM VERBORUM SEU „TERMINORUM CURIOSA EXPLICATIONE CONETUR DE-„FENDERE." Hæc Cardinalis ille. An si hîc adesset, eum, D. Baccalauree, similibus oculis intuereris?

Ne jocemur, inquit Ariovistus, & antequam Parochus interveniat, respondeamus ad id quod Doctor Hennebellus objicit de Theodoreto. Discrepantia igitur in eo est, quòd nulla Theodoreti propositio ut hæretica damnata sit, aut declarata, esse ipsius ut declaratum est de propositionibus

tionibus ex libro Jansenii excerptis. Porrò Theodoretus malè intellexerat scripta S. Cyrilli, mentem fortè ei offuscante odio, quo in Cyrillum propter damnatum ab eo Joannem Anthiochenum flagrabat. Ideò ipse in Cyrillum, tamquam Arianum & Apollinaristam, styli aciem multo tinctam felle distrinxit, effusus longè latéque in laudes Theodori Mopsuesteni, cui à Synodo V. anathema dictum est. Propter hanc causam scripta Theodoreti, non autem propter hæresim, ab eadem V. Synodo condemnata sunt.

Restant, inquit Venantius, Tria Capitula, quæ hîc ab Hennebello pariter audivimus objici. Sed quinam sunt isti alii, qui *Tria Capitula defendunt?* Id non exprimit Doctor Hennebel, inquit Ariovistus. Sed ejus Confœderati in famosis ad Belgii Episcopos Supplicationibus designabant *Synodum Calchedonensem*, eam opponentes V. Synodo quæ Capitula ista condemnavit. Verùm hæc ipsa V. Synodus Calchedonensem ab ea calumnia vindicat, dicens; " Non aliter passi sunt Patres (Calche„donenses) prædictum Ibam suscipere, priusquam exe„gissent eum (Nestorium) & impia ejus dogmata quæ „in Epistola vindicabantur, anathematizare..... Si igi„tur Ibam non alio modo suscipere sustinuissent, nisi „impietatem, quæ in Epistola continetur, condemnas„set, & subscripsisset definitioni quæ pro fide à S. Con„cilio data est; quomodo conantur dicere susceptam „esse impiam Epistolam ab eo Concilio?" Addit Christianus Lupus Doctor Lovaniensis ex Ordine Eremitarum S. Augustini, autoritatem Concilii universalis in Calchedonensi finem habuisse Act. 6. Epistola verò illa approbata fuisset tantùm Act. 9. & 10. Denique auctarii loco accipiat D. Hennebel, quòd non videatur modus aptior ad tollendum de Ecclesia nescium falli Judicem controversiarum, & fidem omnem subvertendam, quàm assertio negans Ecclesiam esse falli nesciam in definiendo sensu obvio hæretico vel Catholico libri, epistolæ, vel propositionis.

Tum Venantius dixit; Admodum liberalis es, Ariovište. Ego autem nolim tibi liberalitate cedere; quare

ad magis refellendum id quod Doctor Hennebellus tradit, nihil prorsus Jansenismi reliquum fuisse in Belgio post Constitutionem Innocentii X., adjungam quoque quod Cardinalis de Aguirre in fine sectionis antè citatæ pronuntiat. " Ne autem, inquit, vel apparens effugium in hac parte supersit adversariis, ostendamus nunc „breviter, quomodo 5. illæ propositiones damnatæ verè „extent in libri Jansenii, è quibus pauca solùm libabimus quæ sufficient ad rem demonstrandam, relictis „innumeris aliis, videndis apud ipsum. Ostendemus „etiam, quomodo multi è Belgis, præsertim Lovaniensibus, tum post Bullam Innocentii, tum post Decretum Alexandri VII. easdem omnino Jansenii propositiones fulguritas instaurasse, aut ab orco revocasse videantur. Id autem præstabimus disputatione sequenti." Quod more suo præstitit solidissimè & luculenter. Insignis ille locus est, subdit Ariovistus, & qui D. Baccalaureo pariter ac Hennebello os obturet.

Consimiliter in Gallia, prosequebatur Ariovistus, malum non in solo Arnaldo & paucis ejus sociis, etiam post Innocentii X. Constitutionem hæsit, ut colligitur ex Decreto Sorbonico contra memoratam superiùs Arnaldi doctrinam. " Ne longiùs, inquit Facultas Theologica, serpat superior illa Arnaldi doctrina, quasi lues „quæ jam multorum animos occupavit; eadem Sacra „Facultas decernit, neminem posthac aut è Doctoribus „ad comitia & alia quælibet jura ad ipsam pertinentia, „aut è Baccalaureis ad ullos Actus Theologicos, sive „ad disputandum sive ad argumentandum admissum iri; „nisi antè huic quoque censuræ subscripserit: atque etiam „si quis superiora illa Arnaldi probare, asserere, docere, „prædicare, scribere sit ausus, eum ab eadem Facultate „prorsus repellendum esse. Decrevit insuper hanc censuram prœlo mandandam & publicandam esse, ut omnes „intelligant, quantùm eadem Facultas pestilentem & „exitialem illam doctrinam execretur ac detestetur."

Tandem, inquit Venantius, ut D. Baccalaureus cum suo Hennebello desinat perniciosissimam libri Jansenii defensionem ad innocuam defensionem Epistolarum

Honorii æquiparare, ſciendum eſt quòd nonſola Facultas Theologica Sorbonæ ſententiam Arnaldi, abjudicantem Janſenio 5. propoſitiones damnatas, declaraverit " temerariam, ſcandaloſam, injurioſam Summo „Pontifici & Epiſcopis Galliæ, atque etiam præbere oc„caſionem revocandæ ex integro, poſt damnationem „Janſenii doctrinæ; " verùm etiam Alexander VII. omnes ejuſdem ſententiæ aſſertores vocet *Filios iniquitatis* Conſtitut. *Ad Sacram*. Et in Brevi Apoſtolico ad Vicarios Cardinalis de Rets Archiepiſcopi Pariſienſis anno 1661., 1. Auguſti, qui in quodam Edicto indicaverant, quaſi tempore Innocentii X. tantùm examinatæ fuiſſent 5. propoſitiones ſecundùm ſe, non autem an excerptæ eſſent ex libro Janſenii, hanc eis Alexander Pontifex reprehenſionem ſcripſit: " Cum adeò falſum patenſque „mendacium in re tali aſſerere minimè veriti ſitis; ubi„que malorum zizaniorum in agro Dominico ſemina„tores, Eccleſiæ Catholicæ perturbatores, & quod in „vobis eſt, Autores turpiſſimi ſchiſmatis eſſe deprehen„dimini;....protervia in vobis dignoſcitur, cavillatio„nibus ſubdolis & circuitibus obviam eundi Eccleſiæ de„finitionibus &c. " Cavillationibus his & circuitibus fovendis apprimè ſervit illa Doctoris Hennebel excuſatio, quaſi tales non magis *obviam eant* ſeu opponantur Eccleſiæ definitionibus, quàm qui Honorii Pontificis dogmata in epiſtolis ejus expreſſa propugnant. Verùm etiam aliò, ait Arioviſtus, videtur hîc Hennebellus iterum in iſtis cavillationibus collimare. Quò? rogat Venantius. Eò, Arioviſtus reſpondet, ut ſuam ad Mechlinienſem Archiepiſcopum Epiſtolam, à S. Congregatione *improbatam* reſtauret.

Et dum hoc probare pluribus Arioviſtus parabat, ecce adeſt expectatus Parochus quaſi tertius è cœlo Cato. Summâ comitate exceptus eſt ab omnibus, atque imprimis à Venantio, cujus in villam venerat.

Et ne hiſce enarrandis tempus conſumam, pranſi omnes, & modicâ per hortum deambulatione recreati, adjecerunt animum ad diſputandum. Ante omnia quid hactenus rerum geſtum eſſet, ſummatim Parocho expoſitum fuit.

Hic ergo vi
r septuaginta
tatione Innocen
ta in Gallia
Deinde videt ea
esse S. *Augustini*
jam abjudicari Ja
velut à fulmine
eundem quem a
à formalibus dam
lam & in publico
bus suis controversia
Ecclesiam falsi posse
stimonio Alexandr
Innocentii X. " al
„batores, qui ea, qu
„care vel subdolis
„sunt veriti. " Vide
monio allegato abs
nem Austriacum,
„quos illic non es
„scandalo ac pernic
„jam pridem senten
Hâc Anacephal
tulit quæ paulò an
quebat, eodem an
ctorum mentium
Sorbonam congrega
tentiâ declaravit, h
excerptam ex ejus
rem Franciæ, " de
„nihil poterat, esse
„anathemate damn
Tridentinum & defi
andri VII. contra p
sensu. Hortata sæpe
Arnaldum, ut errore
ex ejusdem Facultat
„taret sanè, & ex an

defensioneque egeat: nam alioquin verba inutiliter perdere non soleo. Honesta oratio, ait Parochus.

Ariovistus reposuit; Interea negare non potest Doctor Hennebel 1. quòd 31. propositiones damnatæ ab Alexandro VIII. *Tamquam temerariæ*, *scandalosæ*, *male sonantes*, *injuriosæ*, *hæresi proximæ*, *hæresim sapientes*, *erroneæ*, *schismaticæ & hæreticæ respectivè*, fuerint ante condemnationem traditæ ab aliquibus Autoribus: constat enim fuisse exhibitas S. Congregationi, antequam hæc ad censuram progressa sit.

2. Negare non potest quòd omnes, saltem exceptâ 24. de qua disputatur, traditæ sint à suis Autoribus in sensu obvio. Si neget, postulo unam exhiberi, quæ vel non tradita sit, vel tradita sit alio sensu quàm obvio.

3. Negare non potest propositiones illas esse in sensu obvio condemnatas.

4. Negare non potest, quòd Hilarius à S. Sepulcro singulis propositionibus determinatos Autores assignet, citatis fideliter locis & verbis Autorum, qui omnes Theologi Belgii sunt, vel in Belgio habitarunt, excepto fortè Autore unius propositionis vigesimæ primæ, qui nomen suum in libro, undè excerpta est, celare voluit.

5. Negare non potest quòd pleræque ad Rigorismum pertineant, nempè tres primæ, ac dein à 7. usque ad 25. inclusivè.

6. Negare Doctor Hennebel non potest, quòd liber Arnaldi de *Frequenti Communione*, ex quo variæ propositiones inter damnatas excerptæ sunt, etiamnum summo in pretio sit apud socios suos & sequaces; & quòd varii nuper libelli scripti ac toto Belgio disseminati fuerint contra Archiepiscopi Mechliniensis Decretum, quia librum illum prohibebat.

7. Non negabit quòd liber Gummari Huygens, cui titulus *Methodus remittendi & retinendi peccata*, tamquam continens rigorem intolerabilem, damnatus sit ab Inquisitione Toletana; & non ita pridem prohibitus ab Archiepiscopo Mechliniensi, carus nihilominus toti novæ parti sit; adeò ut cum tangere sit tangere pupillam

oculi,

oculi, undè tot querelæ exortæ sunt contra Inquisitionis & Archiepiscopi Mechliniensis Decreta.

8. Non negabit librum Ægidii Gabrielis Licentiati Lovaniensis, cui titulus *Specimina doctrinæ Moralis Christianæ & diabolicæ*, Romæ bis damnatum esse; in illo autem longè communiorem confessariorum praxim in administrando Sacramento Pœnitentiæ & permittenda pœnitentibus S. Communione, referri ad Moralem diabolicam. Nonnullæ ex libri hujus propositionibus satis apertè continentur inter 31. damnatas ab Alexandro VIII.

9. Negare non potest, varios libellos typis editos & toto Belgio distractos fuisse, quibus idem Decretum Alexandri VIII. ex professo impugnatur. Atque horum librorum non fautores modò, sed etiam Autores in Belgio degere, heri satis evidenter probavimus.

10. Non potest Doctor Hennebel inficiari, quòd rigidioris Ethicæ Theologi in Belgio docuerint, nullam probabilitatem quantumvis magnam sufficere, ut quis sequatur sententiam minùs tutam; nullam ignorantiam in jure naturæ excusare, etiamsi qui ignorat, careat auxilio, quo possit ignorantiam pellere.

11. Non negabit Hennebellus librum, cui titulus *Notæ breves & modestæ in propositiones ab Alexandro VIII. damnatas*, esse in Belgio editum, atque in eo ad propositionem 25. sustineri, quòd licet condemnentur dicentes, *Nefas esse Dei Patris simulacrum Christiano in templo collocare*; nihilominus *collocare non expediat*.

12. Negare non potest quòd notæ istæ *Breves ac Modestæ*, quascumque propositiones attingunt, ita illas interpretentur, ut nullus earum sensus, in quo ante censuram traditæ fuerant, sit damnatus; adeòque omnis sustineri etiamnum possit.

13. Neque potest inficiari de 30. propositione, ubi agitur *De tenenda & docenda Augustini doctrina non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam*, Antverpiæ post propositionis hujus ex Macario Havermans excerptæ condemnationem, fuisse defensam hanc appendicem ad Theses anno 1691. die 17. & 18. Julii: *Fateor, totidem*

verba

verba habet Havermans; doctrinam tamen in illis damnatam non habet.

Denique velim Hennebellus proferat vel unum, qui post Decretum Alexandri VIII. docuerit oppositum ei, quod tradiderat, vel à Magistris suis doctus fuerat circa propositiones illas ante condemnationem.

Quoad contritionem edicat nobis, an ullus suorum contentus sit dolore appretiativè summo, si non sit etiam intensivè. Item an ullus suorum ad attritionem pro Sacramentis mortuorum sufficientem, non requirat amorem benevolentiæ appretiativè summum. Locos ad manum habeo, ubi aiunt ad contritionem requiri dolorem non tantum appretiativè summum, sed etiam intensivè; ad attritionem autem requiri saltem appretiativè summum dolorem ex amore benevolentiæ super omnia.

Ego certè, inquit Parochus, ista requiro, & mecum requirunt omnes qui laxitates exosi sunt. Cur igitur, ait Ariovistus, Hennebellus simulat talia sibi videri adeò peregrina? Saltem, addit Venantius, minimè peregrina Domino Hennebel sunt ea quæ Collectores *propositionum per Belgium disseminatarum* S. Congregationi denuntiant totâ pag. 126., 127., 128., 130. *de negatione & dilatione absolutionis:* sunt enim omnia ex libris, Thesibus, Dictatis Lovaniensibus extracta. Quid de illis propositionibus sentiendum sit, speramus fore ut Sedes Apostolica nos aliquando edoceat. Interea diffiteri non potest D. Hennebel, propositiones illas esse contra sensum & praxim Ecclesiæ hoc tempore longè communiorem.

Amicissime Venanti, inquit Parochus, ah quàm bene adjungis *hoc tempore*! Quo dicto, manus complicans, cœlum suspexit, & altùm ingemuit, usurpans illud Thren. 4. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides Sanctuarii in capite omnium platearum?* Hoc defensionis genus non admodum arridebat Baccalaureo, qui veritus ne ex hoc dicto difficultas alia enasceretur, statim dixit; Profitetur Hennebellus se suosque *per omnia de differenda absolutione sentire cum Eminent. Cardinale de Aguirre.*

Tum

Tum Venantius; hoc quidem Hennebellus ait, sed non probat. Et verò quis hæreticus non dicat se per omnia sentire cum Sacra Scriptura? Plerique etiam jactant se sentire cum S. Augustino. Ideòne ipsis, præsertim sine ulla probatione id asserentibus, credendum est? Audi Calvinum initio libri de æterna Dei prædestinatione: *Augustinus ipse totus noster est, ut si mihi confessio scribenda sit, ex ejus scriptis contextam proferre abundè mihi sufficiat.....constabit quòd solidè omni ex parte mihi suffragetur.*

Sic etiam Lutherus, subdit Venantius, ait; *Augustinus meus totus est.* Sic etiam Augustini autoritate sperabat Wicleffus facilè se depulsurum notam omnem novitatis. Extat ejus apud Waldensem vox confidentiæ plena; *A modernis dissentio, sed cum multis Sanctis antiquis, & specialiter Augustino convenio.* Eumdem Waldensis exhibet vociferantem & strepentem sæpè; *Sic habet Augustinus, ut doceo: sic lex Papalis & Concilia. Quomodo ergo adversa mihi docentes, & tenentes non sunt hæretici capitales?* Sic magnum Athanasii nomen sonabant altissimè Nestoriani, præcipuè ubi Apollinarii hæresim extremè contrariam Nestorianæ confutaverat. Quamquam quid necesse est singulos commemorem? Satis certi sumus, D. Baccalauree, vestrorum hominum propositiones 16. 17. & 18. quæ sunt de differenda absolutione inter 31. damnatas ab Alexandro VIII., nullâ ratione approbari, aut approbandas unquam ab Eminentissimo Cardinale. Neque approbabit omnes recentiùs denuntiatas in jam sæpiùs allegato libro, cui titulus *Propositiones per Belgium disseminatæ.* Videri illic possunt paginæ antea citatæ.

Quidquid sit, inquit Parochus; quem vos jam nominastis Cardinalem, is non improbabit certè has propositiones quas ab aliquo Lovaniensi collectas accepi ad meam institutionem. His dictis, bonus Parochus extraxit commentariolum cum conspiciliis, cœpitque legere sequentes propositiones.

„ Ratio & experientia persuadent communiter dispo-
„sitos non venire primâ vice, qui peccatum aliquod
mortale

„mortale confitentur." Joannes Opſtraet Licentiatus Lovanienſis in Paſtore Bono anno 1689. pag. 264.

Hîc liber, adjiciebat Parochus, eſt planè inſignis omnibuſque animarum Paſtoribus unicè neceſſarius. Quamobrem ego nullum intermitto diem, quin ex eo legam unum bonum punctum. Et idem ut faceret, commendavi meo Capellano. Librum iſtum, inquit Venantius, ſatis novi. Perge modò propoſitiones recitare. Frendebat ringebaturque Baccalaureus de illa Parochi ſimplicitate; non auſus tamen palam ſeſe opponere, niſi edendo geſtum aliquem quem, cum Parochus non intelligeret, ſic pergebat.

„ Qui infirmitate, caſu prorſus extraordinario, & tentatione inſolitâ in crimen labitur, vitæ alioquin probatæ & Chriſtianæ, etſi hujus frequentior, facilior & „brevior ſolet eſſe converſio; non tamen mox & uno „alterove aut tertio poſt peccatum die abſolutio impenda eſt." Idem Opſtraet in Theſibus Mechliniæ in Seminario Archiepiſcopali anno 1690., 26. Januarii.

„ Qui cum criminibus exercitia ſpiritualia ingreſſi ſunt, „ne poſt 8. vel 10. dierum ſeceſſum, etſi à novis criminibus abſtineant, credant ſe ſatis probatos, ut abſolutionem accipiant." Idem Lovanii poſtquam ex Seminario Archiepiſcopali tam iniquè dimiſſus eſt anno 1692. in Theologo Chriſtiano pag. 45.

„ Qui non verbis ſolùm, ſed operibus oſtendunt ſeriò „ſe agere, & ad totalem emendationem plane conniti: „ut ſi V. G. occaſiones fugiant, media à Confeſſario „præſcripta adhibeant, nihilominus tamen, quæ hominum eſt infirmitas, in eadem relabantur, abſolvi non „poſſunt." Idem in Paſtore Bono pag. 206.

„ Neque obſtat quòd relabantur ſolùm ex infirmitate; undecumque relabantur, relabuntur tamen: ideòque abſolvi non poſſunt." Idem in Theſibus Mechliniæ anno 1690., 26. Januarii."

Lapſum ex infirmitate tunc tandem abſolves, cum „per amorem Dei prædominantem peccata infirmitatis „ſuperaverit ac dimiſerit." Ibidem.

Hîc Arioviſtus rupit ſilentium. Ergo, inferebat, omnes

nes qui à D. Opſtract, D. Parocho & ſimilibus Confeſſariis abſoluti ſemel ſunt, certi ſunt ſe nunquam relapſuros, ſive non habent quod *formident*, ne unquam relabantur. Nunquid itaque abſolutio differenda paſſim videbitur uſque ad ultimum vitæ momentum? Nam ante illud non apparet, quandonam ſatis cautum ſit homini in hoc vitæ curriculo, niſi in gratia confirmatus ſit, ut *formidare* non poſſit de ſe, vel Confeſſarius de pœnitente, ne unquam relabatur: portamus enim theſaurum in vaſis fictilibus. Propterea, inquit Parochus, rariùs ego abſolutionis beneficium impendo. Sed progrediamur in propoſitionum relatione, & tunc judicate.

„ Ratio differendi abſolutionem, donec proportio„nata delictis pœnitentia peracta ſit, eſt, quia ſanatio „ſpiritualis peccatoris de lege ordinaria non minori tem„pore indiget, quàm corporalis, imò majori." Ægidius Gabrielis Licentiatus Lovanienſis in ſpecimine Moralis Chriſtianæ &c. Bruxellis anno 1675. pag. 131.

„ Hæc objectio, quid ſi morerer non abſolutus, va„na & frivola eſt. Vel enim peccator efficaciter inten„dit converti, vel non. Si efficaciter intendit converti, „pœnitentiam implebit; & ſi moriatur ante abſolutionem, ſolâ voluntate efficaci converſionis ſalvabitur. Si „non intendit, abſolutio illi oberit; quia ad illam non „eſt diſpoſitus: ſicque addit peccatis ſuis ſacrilegium ad „majorem ſui damnationem." Idem pag. 144.

Hæc opinio, inquit Arioviſtus Venantio in aurem inſuſurrans, eſt D. Paſtori valdè commoda. Interim Parochus proſequebatur.

„ Provocamus P. (Marcum Carmelitam excalceatum) „ut vel unum exemplum oſtendat, Eccleſiam tempo„re Veterum Patrum permiſiſſe, ut eidem perſonæ „ter abſolutio impertiretur. Contrà ſatis probari poteſt „fuiſſe tempus, quo aliquibus peccatis, quibus Chriſtia„ni ſe contaminare etiamnum audent, numquam abſo„lutionem concеſſerit. Ab aliis delictis gravibus tantùm „ſemel abſolvi poterat, ita ut peccator poſt primam „pœnitentiam recidens, moreretur extra Eccleſiam ex„communicatus, ſine abſolutione, ſine communione."

Ægi-

Ægidius de Witte in libro cui titulus *Aurea Fodina suffossa*, impressa Lovanii cum approbatione anno 1688. pag. 32.

„Inter illa peccata quæ non remittebantur (ne quis de „peccatis istis gravibus tam mirabilia cogitet) erat adul„terium. Postmodùm permissum fuit, ut pro eo & aliis „delictis gravibus pœnitentia ageretur semel, sed non „ampliùs. Quando hæc pœnitentia per relapsum destrue„batur, nulla olim ab Ecclesia expectari misericordia poterat. Idem pag. 34."

„ Negamus & pernegamus quòd SS. Patres frequen„tem usum Sacramenti Pœnitentiæ unquam suaserint." Idem pag. 11.

„ S. Augustinus nunquam fuit confessus." Idem parte 2. pag. 46.

„ Nullus ostendi potest antiquorum Patrum, V. G. „Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, qui unquam „fructum sacramentalis confessionis acceperit." Ibidem pag. 44.

„ Tempore SS. Patrum confessio peccatorum venia„lium non fuit in usu." Ibidem pag. 45."

„ Methodus tractandi Sacramentum Pœnitentiæ hoc ævo non omninò inerudito, hoc tempore, his rerum cir„cumstantiis.....petita ex Ritualibus, mihi supra mo„dum absona visa est, & monstro similis." Joannes Can„tor sub annum 1690. in refutatione conclusionum Theologico-practicarum Martini Steyaert in præfatione.

„ E Ritualibus documenta mutuare, quibus rectum „Sacramenti tam momentosi administrandi usum stabi„lias, quid hoc est aliud quàm ex vulnere remedium „quærere?" Ibidem.

„ Pauci sunt boni operarii & fideles dispensatores, ut „alia omittam, si consideremus cum quibus dispositio„nibus & quibus viis hic & iste Pastor intruserit se in „suos pastoratus sine vocatione per preces & supplica„tiones Magnatum. Si ab alia parte attendamus, quomo„do intretur hodie in Religiones; sic scilicet, ut nullus „ad illas sine pretio & simoniaca labe admittatur: si „consideremus quantùm vitium particularitatis, sive ha-
bendi

„bendi sibi aliquid proprium vigeat apud plerosque Re-„ligiosos; si, inquam, hæc sola ex multis attendamus, „credo, nostrum de multorum Confessariorum probi-„tate judicium suspendemus." Matthæus Rouvroy Theologus Lovaniensis in Dictatis Namurci §. 4. de absolutione.

An ista, quærit Baccalaureus, ibi habet Rouvroy? Non equidem memini me ista ibi legere. Habet, respondet Venantius, & inde ibidem concludit suspectas ordinariè esse debere confessiones vulgarium talibus Confessariis factas, ideòque ordinariè instituendas esse à talibus pœnitentibus confessiones generales. Miror, inquit Ariovistus, quòd utrobique adjunxerit particulam *ordinariè.* Plus aliquid audet Ægidius de Witte: etenim juxta hunc non est in potestate Archiepiscopi Mechliniensis, neque ipsius Romani Pontificis, concedere facultatem Parochiano in Paschate confitendi alteri quàm proprio Parocho, qui hîc solus est *Sacerdos proprius*, cujus in Lateranensi *facultas* requiritur, ut satisfiat præcepto. Hoc inculcat in *Aurea Fodina suffossa* pag. 51. his verbis." „Fundamentum Religiosorum contra hoc præceptum „est, quòd per hæc verba SACERDOTI PROPRIO, intel-„ligi debeant etiam Episcopus loci ac Summus Ponti-„fex, & CONSEQUENTER illi, qui eorum permissu, & „privilegiis ab illis concessis facultatem acceperunt au-„diendi populi confessiones. Verùm præterquam quòd „possint CONSEQUENTIÆ multa opponi; si possit osten-„di quòd neque Episcopus, neque Romanus Pontifex „nomine Sacerdotis proprii intelligi valeat, neque eum „intelligere liceat, sponte suâ corruet quidquid ædificii „eo fundamento nititur. Atqui hoc non est difficile de-„monstratu; &, si quis modò aliquod intellectûs lumen „non offuscatum adducere voluerit, tam evidenter id „probabitur, ut nulla quantumvis vel callida à cupi-„ditate instructa cavillatio judicanda sit digna, quæ ve-„lut responsio contra illud audiatur."

Juxta hoc principium, infert Venantius, non satisfacerent fideles confitentes Episcopo vel Summo Pontifici, nisi Parochus facultatem antè fecisset. Hoc, ait

Paro-

Parochus, omnino tenendum est in sana Theologia. Tanta est Parochorum potestas atque autoritas. D. Pachus, inquit ridens Ariovistus, est Cicero pro domo sua.

Verùm, addit Ariovistus, idem Lovaniensis Theologus & Exdecanus Mechliniensis Romanum Pontificem in aliorum Episcoporum redegit ordinem Mechliniæ in convivio funebri anno 1685. Ubi plurium juratis testimoniis convictus est dixisse: *Jacobus præsedit in consessu Apostolorum, non Petrus; quia hic consessus celebrabatur in Diœcesi Jacobi.* Hinc quid ni gradus fiat ad concludendum? Ergo, quotiescumque Concilium extra Romanam cogitur Diœcesim, jus præsidendi convenit Episcopo loci, non Romano Pontifici. Sunt & aliæ similes ejusdem Theologi sententiæ contra autoritatem Romani Pontificis, quas jussu Illustrissimi Internuntii, pars sanior Facultatis Theologicæ Lovaniensis suâ censurâ perstrinxit eodem anno 1685., 13. Novembris.

Revertamur potiùs, inquit Parochus, ad meum Commentariolum, in quo extant tam piæ & tam sanctæ Pastorum institutiones. " In tanta hujus seculi corruptio-„ne Confessarii rectè instructi debent frequentem Eu-„charistiæ sumptionem restringere. Sacer hic cibus ple-„risque convertitur in venenum, qui eum magna cor-„dis puritate & ferventi Dei amore non percipiunt." Petrus de Ligny in declaratione sub annum 1690. ab eo missa ad Episcopum N. Sed ex sequenti monito patebit adhuc clariùs, quanta Eucharistiæ reverentia debeatur. Attendite igitur.

„ Non sunt ad communicandum admittendi, qui non-„dum uni Deo perfectè uniuntur, neque penitùs incul-„pabiles sunt." Hoc est monitum viri illius incomparabilis Arnaldi Magni lib. de frequenti Communione, editionis Parisiensis, anni 1644. pag. 23.

Tum Ariovistus dixit; videtur D. Parochus legisse Paulum Aurelium: nam & hic Arnaldum *Magnum* vocat. Arnaldus, ait Baccalaureus, Belga non est. Suspexit Parochus, & nescius quare id à Baccalaureo diceretur, positis tantisper conspiciliis; Quid tum? Inquit: *non*

 enim

enim est distinctio Judæi & Græci. Ariovistus autem Baccalaureum ita allocutus est; Arnaldus est à Belgis recèns adoptatus. Sic enim Joannes Opstrate Licentiatus in Theologo Christiano, anno 1692. pag. 97. *Pro materia de pœnitentia legantur libri de frequenti Communione; Methodus remittendi & retinendi peccata.* Ubi prior liber est Arnaldi, posterior Gummari Huygens Lovaniensis Doctoris, gravissimis censuris ab Inquisitione Toletana notatus.

Porrò Parochus his censuris nihilo magis quàm antea commotus, Pergamus, inquit, in præceptis meis salutaribus.

„ Quæ magis accommodata pœnitentia esse potest, „quàm pro tempore separari ab Eucharistia in vindictam „peccati?" Ægidius Gabriëlis in Speciminibus Moralis Christianæ pag. 161.

„ Per statum firmum & immobilem in virtute Chri-„stiana, homo judicari debet dignus Eucharistiâ." Ibidem pag. 119.

Firmitas illa & immobilitas, inquit Venantius, nequidem Petro Apostolorum Principi obtigit, antequam in gratia confirmaretur: & quandonam *folium quod vento rapitur*, erit immobile nisi in alterius vitæ beatitate? Eò usque igitur Commpnio differenda est, si talis doctrina admittatur. Ah! Venanti, inquit Parochus, sermo tuus est in persuasilibus humanæ sapientiæ verbis & Aristotelicis argutiunculis, quibus qui indulgent, non capiunt verbum istud. Quo dicto, abiturus Parochus surrexit, dixitque; Valete Viri Fratres. An fortè, quærit Venantius, tibi adeundus est æger? *O stulti*, Parochus exclamat, *& tardi corde ad credendum, in omnibus* quæ jam ex doctissimis Viris prælegi vobis, nominatim ex Ægidio Gabriëlis:" Vel enim ille æger efficaciter intendit converti, „vel non. Si efficaciter intendit converti, pœnitentiam „implebit; & si moriatur ante absolutionem, solâ volun-„tate efficaci conversionis salvabitur. Si non intendit, ab-„solutio illa oberit; quia ad illam non est dispositus: „sicque addit peccatis suis sacrilegium ad majorem sui „damnationem." Qua de causa ego, Viri Fratres, nollem

lem propter ægrum deſerere veſtrum tam bonum conſortium. Verùm alia cauſa me domum revocat; rogo igitur vos, habete me excuſatum. His dictis, Parochus diſceſſit.

Continuò Arioviſtus, Nonne tibi, inquit, Venanti, dixeram eam opinionem Domino Parocho percommodam eſſe. Hi ſunt fructus ſeverioris illius ethicæ, hi effectus. Et tamen jactat Hennebellus, *de differenda abſolutione ſe ſuoſque per omnia ſentire cum Eminentiſſimo Cardinale de Aguirre.* Et quis, ait Venantius, adduci ſe umquam ſinet, ut credat ullam è jam memoratis propoſitionibus ab eodem Cardinale approbari? Sed delibemus etiam quædam alia.

Quàm difficiles ſunt novi iſti Theologi in permittendo fidelibus acceſſu ad Chriſtum ſub ſpeciebus Euchariſticis latitantem, tam faciles ſunt in Sanctiſſimæ ejus Matris cultu circumſcribendo perangustè, quando titulum *Mediatricis* & hoc genus alios in Eccleſiæ precationibus Litaniiſque tribui conſuetos, obliterari cupiunt. Cum autem Doctor Hennebel Memoriale Gallicum oblatum Statibus ſive Ordinibus Brabantiæ contra Decreta Regia adoptaverit; quærere ex ipſo oporteret, ubinam ſit illa præfatio quæ ibi §. 4. citatur tamquam Cardinalis Bellarmini, in qua Paulo V. facti ſui rationem reddens, notat " ſe in Litaniis Lauretanis Divæ Virginis complures verſus expunxiſſe, propterea quòd eſſent nimis metaphorici; quales ſunt hi, TURRIS EBURNEA, HORTUS CONCLUSUS, & alii ſimiles: ſe alios quoque omiſiſſe, quia quamvis habere poſſint ſenſum bonum, poſſunt tamen habere nimis durum, unde hoſtes Eccleſiæ occaſionem arripiunt blaſphemandi. Tales ſunt qui ſequuntur; MARIA DEI ET HOMINUM MEDIATRIX INTERCEDE PRO NOBIS; AB OMNI PECCATO LIBERA NOS, DOMINA: & alia ejuſmodi; quia tales invocationes videntur attribuere D. Virgini, quod Jeſu Chriſto tamquam Deo eſt proprium."

Id ipſum, inquit Arioviſtus, intelligere optabat Autor Motivi Juris pro Decretis Regis Catholici à calumnia vindicandis, Autor ille inquam, optabat intelligere,

quænam esset ista Bellarmini præfatio: deinde quomodo versus, *Turris eburnea*, inductus sit ex Litaniis Lauretanis, in quibus hodie extat? Quomodo eliminatus, *Hortus conclusus*, ex Litaniis Lauretanis, in quibus non fuit? Vocatur Deipara *Mediatrix nostra* per totam Ecclesiam, ubi recitatur antiphona *Salve Regina*. Certè S. Bernardus, S. Bonaventura, & Sancti alii, etiam Patres, non tam scrupulosi fuerunt in tribuendis Deiparæ titulis nominibusque honorificis, quàm sunt Doctor Hennebel, Guilielmus Van de Nesse Pastor S. Catharinæ Bruxellis, Gummarus Huygens Doctor Lovaniensis & ceteri istius Memorialis Autores, uti & alii Approbatores libelli, cui nomen faciunt *Monita salutaria B. M. V. ad suos cultores indiscretos*. Inter hujus Approbatores esse complures Belgas, libellum autem non leves turbas & scandala in Belgio excitasse, notissimum est.

Hîc, Venantius subjunxit, refricatur mihi memoria, quanto scandalo fuerit Mechliniæ in libellis, quos Abecedarios vocant, ad institutionem puerorum impressis post Orationem Dominicam videre SALUTATIONEM ANGELICAM, totâ parte posteriore truncam; SANCTA MARIA MATER DEI &c.? Sed dein libelli isti prohibiti sunt.

Per partis illius resectionem, inquit Ariovistus, factum est ut novi Theologi non abfuerint à suspicione Nestorianismi, tamquam si cum tortuoso illo colubro, (ita enim à Cyrillo Alexandrino Nestorius nuncupatur) negarent Virginem esse Θεοτόκον sive *Matrem Dei*. Neque levis, ait Venantius, vel temeraria istæc mihi umquam visa est suspicio: quæ enim causa alia potuit ipsos impellere ad istam partem detruncandam?

Videmini mihi, interjicit Baccalaureus, nugas velle agere. Minimè, reponit Ariovistus, & hæc suspicio, Domine Baccalauree, immane quantum augescit, dum apud Cardinalem Baronium ad annum Christi 431. lego hæc verba; " Tunc (Nestorianâ impietate damnatâ) „additamentum illud accepisse creditur Angelica salu„tatio: SANCTA MARIA MATER DEI ORA PRO NOBIS „&c. Quod, prosequitur Baronius, omnium fidelium

ore

„ore dici, ac frequentiùs repeti, & tamquam prima „quædam elementa à piis parentibus unà ferme cum la„cte infantibus propinari consuevit: ut fieret secundùm „illud Propheticum: ex ore infantium & lactentium per„fecisti laudem tuam, illuderentque superbo draconi „pueruli " Quæ tibi, D. Baccalauree, jam surgit sententia? An illi Novatores propè absunt à Nestorio? An Virgini Matri non invident laudem quæ ex ore infantium & lactentium perficitur? An non contenderunt præpedire, quo minus *abecedarii pueruli illuderent superbo draconi*, & Nestorianam execrarentur perfidiam?

Cum Baccalaureus nullum hîc sibi cerneret effugium patere, culpam omnem in Typographum contulit, id quod utrique adversario visum est adeò ridiculum, ut hoc ejus dictum sibilo exceperint.

Aliquanto pòst cœpit Venantius narrare, quanto molimine, & quodammodo vi, etiam per Archiepiscopum Mechliniensem immediatum hodierni decessorem, conati fuerint novi Theologi abrogare in Belgio Processiones publicas, in quibus cum Venerabili Sacramento circumferri solent Imagines Sanctorum juxta antiquissimum Belgii usum, approbatum à Clemente VII. Pontifice Constitutione anni 1531., 11. Kal. Februarii. Verùm, inquiebat idem Venantius, opponente se populo huic novitati, & propterea tumultibus exoriri cœptis Bruxellæ, Lovanii, Alosti, censuerunt Internuntius & Belgii Gubernator autoritatem interponendam esse suam. Ita illi Reformatores desistere jussi, viderunt se *cogitasse consilia, quæ non potuerunt stabilire*. Utinam nec possint cetera, quorum apud illos infinita copia est!

Reposuit Baccalaureus, tantùm conati fuimus istas Processiones abrogare, ne dividatur cultus. Calvini iste scrupulus est, ait Venantius, adeòque non confutandus pluribus. Ab incunte ætate edocemur Belgæ, uti & Catholici omnes, cultum latriæ distinguere à cultu duliæ & hyperduliæ, ac propterea nullum hîc pravæ divisionis periculum metuendum est.

Sed dubium, inquit Ariovistus, hîc mihi novum occurrit. Incipio dubitare, an Novatores illi multùm ab-

horruerint ab hac doctrina Michaëlis Molinos; *Nulla creatura, neque D. Virgo, nec Sancti, sedem habere debent in corde nostro: quia Deus solus vult occupare illud, & possidere.* Est propositio 36. inter 68. quas Innocentius XI. in illo *perditionis filio*, tamquam hæreticas, suspectas, erroneas, scandalosas, blasphemas, piarum aurium offensivas, temerarias, Christianæ disciplinæ relaxativas & eversivas, & seditiosas respectivè condemnavit.

Plura Novaturientium facta adjicere Ariovistus meditabatur, cum Venantius dissertationem sic abrupit; Sed nos singulis recensendis immorari hîc non possumus. De his autem Dominus Hennebel dicere non poterit, *vel ad nos non pertinent, vel apertè calumniosa sunt, vel falsum manifestè supponunt.* Nam Autores omnes in Belgio sunt & satis noti. Ita se res habet, subnectit Ariovistus; solùm *Joannes Cantor* nomen est commentitium: verùm ex communi fama, scriptionis stylo, & audaciâ habetur satis exploratus. Tunc iterum Venantius Baccalaureum respectans; Tu, inquit, D. Baccalauree, ad Magistrum tuum Hennebellum scribe, eique narra omnia quæ in hac dissertatione dicta sunt. Si quid autem calumniosi aut falsi in relatis hîc vel alibi putat D. Hennebel se deprehendere, velim singula accuratè annotet; nec non si quid censet ad suos non pertinere. Nihil meâ interest, infit Baccalaureus, ea ab Hennebello petere. At verò Hennebelli interest, Ariovistus reponit: etenim non tantùm in hac sua Responsione, sed etiam in Memoriali Belgico adoptato ita assumit causam omnium eorum, qui de Jansenismo, Rigorismo, & Novitatibus accusantur in Belgio, ac si omnia ista commentitia sint vel extranea, sive ad Belgium non spectantia. Fortè visis talibus tuis litteris, hæc ipsius audacia & quidlibet fingendi libido comprimetur.

Sic hodierna de Rigorismo ceterisque Novitatibus dissertatio non infeliciter finem cepit, & simul condicta fuit dissertatio alia in subsequentem diem.

DIS-

DISSERTATIO IX.

De præcipuis artibus & dolis malis quibus utuntur Novatores in Præsidium suæ sectæ.

AFfuerunt omnes condicto tempore, dixitque Ariovistus; Nunc illuxit ille dies, cum fides data Baccalaureo me adigit ad Thomismi larvam Hennebellianis Theologis detrahendam. Pulcrum profectò, inquit Venantius, hujusce dissertationis argumentum, diuque exoptatum, & idoneum quod me magnopere delectet: semper enim dolui, doctissime Arioviste, ac molestè tuli, doctrinam Thomisticam in tam turpes usus ab hocce hominum genere adhiberi.

Eadem, ait Ariovistus, sacrarum Tabularum sors est; eadem SS. Patrum, ac præsertim Augustini quemadmodum colligere est ex iis quæ hesterno die attulimus. Ibi habes, unde te cum tuis Thomistis consoleris. Attamen, amicissime Venanti, non statim in ipso dissertationis aditu atque exorsu, istud argumenti aggredi fas est: nam Hennebellus huic articulo illigavit quædam alia, minimè à nobis prætereunda.

Ne itaque abeamus à solenni nostro, verba Hennebelli prælegam. Sic autem sonant; " Dicit (P. Palazol) „num. 97. quòd *Posuimus mendacium spem nostram, & „mendacio protecti sumus.* Id de nobis dicit, qui à sexen„nio coram Apostolica Sede stamus, suppliciter postu„lantes quid ad clarissimam disertissimamque doctrinæ „nostræ expositionem amplius desideretur. Hæc omnia „facimus in conspectu Reverendissimi Patris Thyrsi, „cujus nomine Memoriale hoc offertur; & ipsum & „alium quemcumque provocamus, rogamus, obtesta„mur, ut coram Apostolica Sede clarè edicant, quid in „nostra doctrina culpent, majorive expositione egere „censeant; spondemusque id semper facere quod hacte„nus præstitimus, nempè clarè ad singula respondere, „omnia Apostolicæ Sedis judicio submittere, atque ad

„ejus nutum emendare, retractare, explicare, quidquid „emendatione, retractatione, vel clariori expositione „egere Sedes Apostolica censuerit. Judicet æquus lector, „sitne hæc dispositio hominum, qui *posuerunt mendacium* „*spem suam*, *&* *mendacio protecti sunt.* At, inquit Pater „Palazol, tangi nolunt, quin priùs servato juris ordi- „ne probentur omnia. Respondeo falsum esse; aliud „enim non petimus quàm ut Breve Apostolicum ad se „missum observent Belgii Episcopi: id enim si faciant, „manifestum est quòd Jansenismi phantasma brevî in „Belgio evanescet."

His auditis, illico Baccalaureus suo Hennebello applausit, inquiens; Pulcra & nervosa respondendi ratio, quam Doctor Hennebellus ad hunc 7. Patris Palazol §. adhibuit! Imo verò fraudulenta, reponit Ariovistus. Quid enim? Lamentatur Hennebel & queritur, tamquam de gravissima injuria sibi suisque illata, propterea quòd Belgii Jansenistis applicetur illud Isaïæ 28. *Posuimus mendacium spem nostram*, *&* *mendacio protecti sumus.* Ad luculentas autem hujus applicationis probationes, quas P. Palazol toto §. adducit, designando istorum hominum fraudes manifestas & convictas, altum silens, solùm occinit antiquam cantionem suam, protestationem scilicet de magna sinceritate sua & perfecta erga S. Sedem obedientia.

Hæc sinceritatis, inquit Venantius, & obedientiæ protestatio non rectè cum ipsius actionibus consentit. Hâc tamen, reponit Ariovistus, conatur incautis fucum facere, omniaque eludere argumenta, licet fortia, licet convincentia. Id præter me observarunt quoque multi alii; imò fuit unus.....qui ut tanto malo occurreret, eumdem Doctorem Hennebellum, palàm provocávit nomine Patris Palazol, ut vel unam fraudem Novatoribus toto illo §. imputatam inficietur, si possit; sed probationem simul dissolvendo.

Tum Venantius quæsivit, quid Hennebellus ita provocatus fecerit. Quid fecisset? Inquit Ariovistus. Siluit; saltem ego illum respondisse quidquam, non inaudivi usque adhuc. Et verò, amicissime Venanti, quando con-

ſidero omnia tum quæ P. Palazol, tum quæ nos hic illic protulimus, adeò mihi videntur eſſe irrefragabilia, ut Hennebellus ſolvendo non ſit. Atque adeò proteſtatio ſinceritatis & perfectæ obedientiæ in hujuſmodi Autore quid aliud eſſe poteſt, quàm novum fraudis & ſimulationis argumentum?

Arioviſto hæc dicenti Venantius annuit, neque dubitavit apertè dicere ea quæ ſubſequuntur; Huic Doctoris Hennebelli pro ſe ſuiſque proteſtationi, non cedebat illa Wicleffi ſcribentis ad Urbanum VI. Pontificem, quam ego ipſe adhuc allegavi in diſſertatione noſtra ſecunda; " Gaudeo plane, inquiebat, cuicumque fidem „meam & ſpecialiter Romano Pontifici detegere: quia „ſuppono, quòd ſi ſit orthodoxa, ipſe fidem meam hu„militer confirmabit; & ſi ſit erronea, emendabit." Numquid hîc loqui diceres Doctorem Hennebel? Item Lutherus, ut ibidem commemorare memini, Theſium ſuarum Analyſim prolixam dedicavit Leoni Pontifici, ita ſcribens inter cetera: " Beatiſſime Pater, proſtratum „me pedibus tuæ Beatitudinis offero, cum omnibus „quæ ſum & habeo. Vivifica, occide; voca, revoca; „approba, reproba, ut placuerit; vocem tuam, vocem „Chriſti in te præſidentis & loquentis agnoſcam. Si mor„tem merui, mortem non recuſabo." Poteſtne dari ſubmiſſio generoſior? Non minùs *gaudet* Lutherus quàm Wicleffus *planè detegere cuicumque fidem* ſuam, *& ſpecialiter Romano Pontifici.* Uterque non minùs quàm Doctor Hennebel," quemcumque provocat, rogat, obte„ſtatur, ut coram Apoſtolica Sede clarè edicat quid in „eorum doctrina culpet, majorive expoſitione egere cen„ſeat. Uterque ſpondet id ſemper facere, quod hactenus „videri vult præſtitiſſe, nempè clarè ad ſingula reſpon„dere, omnia Apoſtolicæ Sedis judicio ſubmittere, at„que ad ejus nutum emendare, retractare, & explicare „quidquid emendatione, retractatione, vel clariori ex„poſitione egere Sedes Apoſtolica cenſuerit." Talia proteſtarentur Wicleffus & Lutherus: multos deceperunt etiam ex Eccleſiæ Proceribus, ut hæc ab eis ſeriò dici exiſtimarent, & fortè aliquid ſuſpicarentur zeli nimii,

privatæ

privatæ simultatis, odii, vel aliarum turbationum animi, in eorum adversariis & accusatoribus residere. Quidni autem Wicleffus & Lutherus post tam præclaram obedientiæ protestationem, expositionem suæ doctrinæ &c. ita ludere potuerint, ut Doctor Hennebel? Judica nunc, D. Baccalauree, & tecum omnis æquus rerum æstimator, " sitne hæc dispositio hominum qui *Posue-„runt mendacium spem suam, & mendacio protecti sunt.*"

Ha, nimium atrociter, ait Baccalaureus. Hæc Wicleffi & Lutheri protestatio non tenuit diu. Tenuit, reponit Venantius, quamdiu speraverunt Romanum Pontificem & Cardinales hâc fucatâ obedientiæ specie fascinandos. Hâc spe abscissâ, Pontifex Wicleffo Antichristus fuit: & de Luthero Ulembergius in ejus vita ad annum 1518. sic scribit; " Quæ paulò post secuta sunt, testan-„tur eum hâc submissione nihil aliud spectasse, quàm ut „captaret favorem hominum, atque interim dum res „suas stabiliret in Germania, Summo Pontifici glauco-„ma objiceret; aut fumos, quod aiunt, venderet. " Nam haud multo pòst conspicatus factionem suam satis roboratam, in Responsione ad Silvestri Prieratis Epitomen, Imperatorem ceterosque Christianos Principes incitavit ad exscindendos *hos Cardinales*, *hos Papas*, & *totam istam Romanæ Sodomæ colluviem.* En terminum obedientiæ hæreticæ.

Quæ istæc, inquit Baccalaureus, fandi libertas est? Apage tam invidiosam comparationem. Sincera miniméque fucata est nostra obedientiæ protestatio. Tum è vestigio Ariovistus assumpsit; Quàm sincera sit vestra protestatio obedientiæ, cernere erit tunc, cum Pontifex vestris sese conatibus opponet vehementiùs. O quot tunc in Petri Cathedram audientur convicia, quot dicteria, quot maledicta!

Audiuntur jam nunc, subjungit Venantius; imo haud scio, an sive Wicleffus sive Lutherus, antequam apertum Ecclesiæ bellum indixere, tam absona de Pontificibus jactarint, quàm tui Confœderati in Belgio. D. Malpaix in litteris datis 2. Februarii 1691. " Misera, „exclamat, Dei Ecclesia! quomodo gubernaris hoc tempore!

„pore! S. Paulus vult ut omnes fideles volvant suas „Epistolas; Episcopi Romanus, Mechliniensis, & Ca-„meracensis id nolunt. Cui credendum? Priori sine du-„bio: scimus enim quia huic locutus est Deus. Iterum „dico, quale Neophytis scandalum!" Et immediatè su-pra de eadem prohibitione Episcoporum, ut loquitur, Romani, Mechliniensis, & Cameracensis: " Horrida „excæcatio! scandalosæ ordinationes Fratribus nostris „separatis! idoneæ quæ ipsos in perpetuum à commu-„nione Ecclesiæ sejungant! perniciosæ & exitiales om-„nibus Christi fidelibus!" Plura effutiit in convivio fu-nebri Ægidius de Witte; plura Autor nuperæ editionis operum Baii cum notis & vindiciis; plura Ignatius Ey-kenboom, & tot alii antè memorati tradiderunt contra Sedis Apostolicæ autoritatem, contra ejus Constitutio-nes & definitiones, eas partim per cavillationum cuni-culos subruendo, partim apertâ vi & contumeliis inva-dendo.

Hoc loco non potest, inquit Ariovistus, prætermitti Joannes Martinus de Hont, qui, ut alio die adhuc dixi-mus, suam privati hominis sedem non pertimuit æqui-parare ad Cathedram Pontificis, ad immobile fidei fun-damentum. *Ego*, inquit, *ex mea sede loquor, sicut Pon-tifex ex Cathedra.* Audis, D. Baccalauree? inquit Ve-nantius. De Hont ex sua sede loquitur, sicut Pontifex ex Cathedra, & ibi Pontificem erroris arguit. Quale scandalum! His adde innumeras alias novitates intole-rabiles, quarum non exiguum numerum hic illic pro-tulimus.

De his omnibus, prosequitur Venantius, cautè silet Ro-mæ Doctor Hennebel; & tamen gloriatur se sua suo-rumque *sensa coràm Apostolica Sede usque ad apicem expli-care.* Jactat *nihil in Belgio Jansenismum esse*, nisi *phantasma*? Neque dissimiliter superiùs loquitur de Rigorismo & Novitatibus; atque illud quod superest inane phantas-ma, quo tamquam spectro multorum animi commo-ventur, attribuendum ait *Belgii Episcopis*, qui juxta Bre-ve Apostolicum, tam infundatos, ut persuadere nititur, rumores non comprimunt, eorumque Autores pro me-

ritis

ritis non castigant. Quid jam sentis, D. Baccalauree? An hic procedendi modus Doctoris Hennebel suos & omnium, qui in Belgio de Jansenismo, Rigorismo, aut Novitatibus suspecti habentur, *sensus usque ad apicem coram Apostolica Sede explicat*? An in sinceritate ac simplicitate Christiana *spem suam ponit*? An veritate & justitiâ *protectus est*?

Sequetur, inquit Ariovistus, mox aliud illustre specimen sinceritatis in eodem Doctore eique adhærentibus. Hîc tantùm nota, D. Baccalauree, Doctorem Hennebel contra Belgii Episcopos suscipere patrocinum omnium, qui in Belgio suspicionem Jansenismi incurrerunt: dicit enim Jansenismum illic esse merum phantasma, & omne malum hærere in Episcopis, qui phantasma illud nutriendo, causæ sunt turbarum omnium, rumorum, atque calumniarum; sed nos veriùs dixerimus eam esse insignem illius Doctoris calumniam in tam pios & religiosos Antistites, ac suum imprimis Superiorem, Archiepiscopum & Primatem.

Hoc, ait Ariovistus, quàm non à vero absit, liquet ex evidentissimis probationibus, quas nos in variis dissertationibus attulimus, ac propterea non hîc hærendum est diutiùs, sed veniendum ad alium Hennebelli textum. Quem Baccalaureus confestim recitavit. Est autem hujusmodi; "Ars quædam diabolica est, inquit Pater ille „num. 99., quòd passim proclament solos Jesuitas eis „adversari, seque in materia de prædestinatione & gra„tia Christi tenere cum Patribus S. Dominici, & Car„melitis Discalceatis. Respondeo non proclamare eos „passim, quòd soli Jesuitæ, sed quòd hi præ ceteris eis „adversentur."

Hîc Ariovistus Baccalaureum interpellavit; D. Baccalauree, clamabat, Hæccine tibi probatur responsio. Quid ni? Baccalaureus respondit. Tum iterum Ariovistus; Ut unum Hennebellum tuearis, quàm multos deseris! Etenim si quæratur ex Ignatio Eykenboom quis Autor fuerit, cur Jansenii Augustinus proscriptus sit, & quinque ejus propositiones damnatæ; respondet in adumbrata Ecclesiæ Romanæ defensione contra Leydeckerum

kerum anno 1696. pag. 49. " Quòd Pontifex Jansenii „Augustinum falsis Molinistarum suggestionibus pro„scripsit, ac 5. propositiones ipsi ad censuram exhibitas, „&, ut fateris, arte contextas declaravit hæreticas, & uti „tales damnavit, utcumque ostendisti. " Si ex eodem quæras unde factum ut Bullæ Urbani VIII. insertum sit, quòd Gregorius XIII. confirmaverit Bullam Pii V. contra 97. Baii & aliorum articulos; respondet pag. 17. *Id malis artibus Jesuitarum Urbani VIII. Bullæ ab Albizio eorum cliente insertum, jam nemo est eruditorum qui dubitat.* Idem inculcat Autor nuperæ editionis Operum Baii cum notis & vindiciis.

Vidimus Eugenium de Gelder, inquit Venantius, in ultima voce zelatricis innocentiæ anno 1689. pag. 114. solis *Jesuitis* tribuentem *condemnationem doctrinæ Jansenii & Michaëlis Molinos.* Vidimus Theologos Lovanienses nomine istius Academiæ ad Universitatem Parisiensem anno 1644., 10. Martii scribentes Epistolam, in qua dicunt, *Bullam à Theologis Societatis adversus Reverendissimum D. Episcopum Iprensem Romæ extortam.* Vidimus etiam eos anno 1649. in libello cui titulus *Planctus Augustinianæ veritatis in Belgio patientis*, non minùs falsò quam lacrymabiliter conquerentes, quòd *nullus dignitate, officio, aut beneficio deinceps donetur, nisi qui abjuratâ in Jansenio Augustini doctrinâ, se Jesuitarum dogmata, sensus, judicia secuturum profiteatur ac mentiatur.*

Constat, prosequebatur idem Venantius, à Clemente IX. singulari Constitutione damnatam fuisse Novi Testamenti Versionem Gallicam, vulgò *Montensem*, anno 1668., 20. Aprilis, *tamquam temerariam, damnosam, à Vulgata Editione difformem, & offendicula simplicium continentem.* Cum autem Belgii Hispanici Antistites conformantes se huic Pontificiæ Constitutioni librum illum in suis Diœcesibus prohiberent, eorum Decretis varia à nova factione objecta sunt; atque inter ceteros ab Autore notarum in Decretum Archiepiscopi Mechliniensis anno 1691., 9. Januarii pag. 12. his verbis: " „Quodnam singulare periculum est in lectione Versionis

Novi

„Novi Testamenti vulgò dictæ Montensis, quæ legiti-„mè approbata ac edita est; & in qua nemo, nisi Je-„suitis qui Versionis istius Autores summè oderunt, to-„ti devoti sint, ullum errorem potuit deprehendere." Prærogativas Pontificis tametsi multi in Ecclesia pridem ante Jesuitas defenderint & defendant quotidie; tamen hos à nova factione, cui id ingens crimen est, solis Jesuitis velut proprium imputatur. Eugenius de Gelder in ultima voce zelatricis innocentiæ pag. 116., *Numquam*, inquit, *Papales Prærogativas magis depressere Jesuitæ, quàm quando illas ad puncta fidei extulerunt.* Quin imò, adjungit Ariovistus, anno 1687. prodiit libellus insulis, ut præfertur, impressus sed Lovanii divenditus, cui titulus; *Perniciosa consectaria hæreseos Jesuitarum contra Regem & Statum*: hæresis autem hæc erat, *Infallibilitas Pontificia in definitionibus fidei & morum.*

Et cum Ariovistus plures libellos depromeret ad citandos plures hujusmodi locos, dixit Venantius; Infinitum est, Arioviste, omnes producere. Hi pauci sufficiant ad probandum D. Baccalaureo, quàm non immeritò Pater Palazol hanc inter ceteras Jansenistarum artes & fraudes numeraverit, *passim proclamare solos Jesuitas eis adversari.* Nam quamvis subinde alios sibi adversari fateantur, plerumque tamen id ipsum Jesuitis tribuunt tamquam hortatoribus. Verùm Jesuitas nec solos, nec proprios esse Hennebellianæ factionis in Belgio adversarios, demonstravit nuper clarissimè, tabulisque & actis publicis planè evicit Autor *Motivi Juris pro Decretis Regis Catholici à calumnia vindicandis*, pag 48. usque ad 59.

At quem usum, quærit non sine risu Baccalaureus, quem finem habet prætensa illa Nostrorum ars? Usum, respondet Ariovistus, & finem habet multiplicem: Sic enim faciliùs à se hæreseos infamiam amoliuntur, quando & populo & Principibus etiam Ecclesiasticis persuadent nihil sibi contra omnes Ecclesiæ sententias contentionis esse, sed solùm contra doctrinam Societatis; quo natum est fieri, ut Ecclesiæ Principes ferè de solo silentio utrique parti indicendo, non autem

tem de hæreſeos lue extinguenda ſoliciti ſint. Hinc indignatio contra Jeſuitas fraudem tam pernicioſam impatientiùs ferentes, tamquam contra homines inquietos, gloriæ & vindictæ cupidos, privatarum harum opinionum nimis contentioſos ac turbidos propugnatores. Sic Janſeniani facilè in ſuas partes trahunt quotquot forte Societati quibuſcumque de cauſis infenſi ſunt. Jamne vides, D. Baccalauree, quanti veſtrâ interſit illam artem exercere? Age, nunc Hennebelli verba nobis prælege.

Hoc, nullâ interpoſitâ morâ, Baccalaureus præſtitit. Verba Hennebelli, inquiebat, hæc ſunt. "Porrò ſe circa quæſtiones controverſas in materia de prædeſtinatione & gratia Chriſti cum Patribus S. Dominici & Carmelitis Diſcalceatis ſentire, quidni proclamarent? cum id prorſus manifeſtum ſit ex plurimis eorum ſcriptis, ac nominatim ex refutatione Synopſis cap. 2. ſuper articulo 2. inter 42. à Doctore Steyaert accuſatos. Ne quis autem ſuſpicari poſſit quòd & hîc fraus lateat, diſſimulentque præfati Theologi ſenſum ſuum; ſciendum eſt, quòd jam pridem Doctor Hennebel tam ſuo quàm Theologorum, quorum partes agit, nomine ſubſcripſerit doctrinæ Patrum Dominicanorum, non tantùm prout explicatur ab ipſis Patribus Dominicanis, in 5. articulis Theologorum, qui ſe diſcipulos S. Auguſtini vocant, Summis Pontificibus Alexandro VII., & Alexandro VIII. oblatis; ſed etiam prout explicatur ab ipſo Reverendiſſimo P. Thyrſo, tom. 4. ſelectarum ſuarum Diſputationum pag. 304. de ſtatu naturæ puræ §. 69., ac ibidem his articulis comprehenditur."

„ 1. Patres Dominicani gratiam efficacem ponunt in prædeterminatione Phyſica eſſentialiter connexa cum conſenſu."

„ 2. Dicti Patres expreſsè aſſerunt cum hac gratia componi, quòd voluntas maneat libera libertate indifferentiæ."

„ 3. Dicunt quoque voluntatem ſimul cum prædeterminatione ad actum ſalutarem habere proximam potentiam ad oppoſitum."

4. Si

„ 4. Si ex sua gratia Physicè prædeterminante judica-„rent sequi eversionem libertatis indifferentiæ, eam om-„ninò negarent."

„ 5. Has ipsas conclusiones esse Catholicas & sanas „dicit Reverendissimus P. Generalis. Quibus articulis ab „annis jam pluribus Doctor Hennebel sub hoc verbo-„rum tenore subscripsit. Ego infrascriptus declaro hanc „ipsam esse sententiam Theologorum Belgii, quorum „partes ago. Si quis autem de eorum, aut saltem ali-„cujus ex illis sensu dubitet, eum nominare dignetur; „meumque erit intra bimestre fidem facere per propriam „illius subscriptionem, quòd hanc meam declarationem, „nomine suo factam, habeat ratam ac gratam."

Postquam Baccalaureus hæc legendi finem fecerat; Ecce, inquit Ariovistus, pedetentim ingressi sumus in eum locum, ubi Venantius plurimum jucunditatis hauriat; in subdolam, inquam, doctrinæ Thomisticæ simulationem & larvam, quæ calliditate & dolo inter Hennebelli de gregre homines facilè Princeps est. Ergo attendite.

Suorum Thomismum vult nobis Doctor Hennebel *manifestum esse ex plurimis eorum scriptis*; cùm tamen paucissimi eorum aliquid dogmaticum publicè ediderint expresso nomine præter Theses, in quibus nihil occurrit, undè quis prudenter judicare possit Theologos istos esse Thomistas; plurima verò quæ Thomistis prorsus sunt opposita. Refutationem Synopseos hîc non habeo. Neque ego, Venantius subdebat. Macte tamen animis, ait Ariovistus: quippè quidquid scriptorum Belgicorum circa eam materiam in promptu est, discutiemus.

Cum D. Hennebel sustineat *manifestum esse, quòd phantasma Jansenismi brevì in Belgio evanesceret, si Episcopi observarent Breve Apostolicum ad se missum*; non est nobis studiosiùs requirendum quinam sint illi, quorum *se agere causam* Doctor Hennebel profitetur. Nam ex his aliisque superiùs notatis satis liquet, eum partes agere omnium qui in Belgio vocantur Jansenistæ, vel de hoc quaqua ratione habentur suspecti; illorum nominatim, quorum

quorum sententias collegit Eminentissimus Cardinalis de Aguirre in defensione Cathedræ S. Petri disp. 20. & 21., quorum sententias illic citatas, nullâ omninò propositione exceptâ, Doctor Hennebel defendendas suscepit articulo 5., adeò ut jactet, *Eminentissimum Cardinalem agnoscere sibi circa illas esse satisfactum.*

Porrò ad id, quod sequitur de 5. *articulis Theologorum, qui se discipulos S. Augustini vocant, Summis Pontificibus Alexandro VII. & Alexandro VIII. oblatis*; respondet Eminentissimus Cardinalis de Aguirre tom. 3. Theologiæ S. Anselmi Prolegomeno 5. pag. 27. & 28. his verbis: " Vix Romæ vulgata fuerunt folia 5. articulo-„rum, cum statim ex adverso prodiere scripta aliquo-„rum longè aliter narrantium, quæ Lutetiæ Parisiorum „gesta fuerunt in eorumdem articulorum collatione, & „negantium omninò illos Ab Alexandro VII. probatos „fuisse. Contendunt prætereà multis considerationibus „& reflexionibus, sub iis latere Jansenismum, veluti ig-„nem suppositum cineri doloso, ut ille accinebat..... „Sanè ejusmodi objectiones aliquam mihi difficultatem „ingesserunt, ut saltem judicium suspenderem & quæ-„stionem in medio relinquerem." Adeòque ex articulis istis non probatur, quòd omnes qui subscripserunt, sint veri & genuini Thomistæ, & à damnata 5. propositionum Jansenianarum doctrina alieni.

Deinde idem Ariovistus hunc sermonem habuit: De articulis istis dicamus breviter id quod res est.

1. Autor præcipuus istorum articulorum fuit Natalis de Lalane, qui causam 5. propositionum in sensu Jansenii sustinuit ante condemnationem Romæ sub Innocentio X.

2. Idem fuit Autor libelli triûm columnarum, & alterius de *gratia victrici*, qui uterque ab Innocentio X. damnatus est. In priore libello fatebatur " se & univer-„sos S. Augustini discipulos 5. propositiones non in sen-„su alieno ad quem trahi possent, sed in sensu legitimò „semper defensuros. In posteriore docebat 5. proposi-„tiones verissimas esse maximéque Catholicas, eo vi-„delicet sensu quo istas adversus Jesuitarum errores, in-„quit, sustinuit Iprensis Antistes."

3. Notorium est in *foliis istis* quæ incipiunt, *In nomine Salvatoris*, & quibus articulis isti recèns recusi proponuntur, haberi pag. 21. quod sequitur; "Unum est „quod observari maximè velim, nempè articulos istos „omnium consensu, ut videbimus, approbatos fuisse.... „Neque hoc cuiquam mirum videri debet, cùm eandem semper doctrinam docere se illi professi sint libris „innumeris, illoque imprimis, cui titulus. Antonii Arnaldi Doctoris Sorbonici super illa propositione SS. „Chrysostomi & Augustini, DEFUIT PETRO TENTATO „GRATIA, SINE QUA NIHIL POTERAT, Dissertatio Theo„logica." Quæ est ipsa propositio tam graviter superiùs censurata à Sorbona; & propter cujus obstinatam defensionem ex numero Doctorum expunctus est Arnaldus, & tamquam membrum putridum, resectus à Facultate Theologica. Dissertatio autem ista conscripta ab Arnaldo fuit, postquam à Doctoris gradu jam dejectus erat: undè intelligi debet, *Doctor Sorbonicus*, per distractionem, sicut homo mortuus subinde homo nuncupatur.

4. Notorium est quòd in *iisdem Articulorum foliis* seu *expositione doctrinæ Augustinianorum Theologorum* pag. 24. dicatur *primùm tandem aliquando* (anno 1663.) *Episcopi unius ope & operâ, Theologis illis ad Alexandrum Papam patere cœperat aditus, quem illis adversarii omni arte & studio antea præcluserant.*

5. Demonstrandum assumo, quando Doctori Hennebel vel D. Baccalaureo placuerit, quòd articuli quoad omnes apices in Augustino Jansenii contineantur: quapropter, quamvis non omnes sententiæ, quæ in Jansenio habentur, sint damnatæ; neque ex hac parte velim ullam articulis istis censuram inurere: cùm tamen Augustinus Jansenii contineat sensum damnatum 5. propositionum, neque usquam sibi contradicere deprehendatur; evidens est etiam atque perspicuum, Jansenium retinendo doctrinam totius sui libri posse *Articulis* subscribere, adeòque ex subscriptione ista nullo modo probari quòd Doctor Hennebel cum suis sit Thomista, vel ad latum unguem à doctrina Jansenii remotus.

Concisus ille Ariovisti sermo, suisque distinctus nume-

ris, Venantio mirum in modum placuit, sed super omnia ipsius conclusio, in qua inferebatur suspicionem Jansenismi non posse adimi per illorum articulorum subscriptionem, quia, inquiebat Venantius, articuli illi affecti sunt præjudiciis jam indicatis, quòd originem duxerint à talibus Autoribus, qui 5. propositiones in sensu Jansenii sustinuerunt, nec unquam cecinisse palinodiam sciuntur: quòd ipsi articulorum præcones fateantur conformes esse doctrinæ quam eorum Autores semper tenuerunt, & quam Arnaldus contra tam atrocem Sorbonæ censuram defendere perrexit: quòd avidè arripiantur etiam ab iis, qui calumniantur Alexandrum VII. & Romanam Curiam, quasi discipulos S. Augustini audire detrectaverit, donec post elapsum sexennium à Bulla ejusdem Pontificis contra Jansenium; *Tandem ope & operâ unius Episcopi Convenensis*, cujus scripta aliquot Sedes Apostolica condemnavit; *patere his cœpit aditus* ad justitiæ & veritatis tamdiu oppressæ defensionem.

Aliqui tamen, objicit Baccalaureus, in articulis istis termini Thomistici sunt. Fateor, Ariovistus reponit, imò videntur mihi deditâ operâ ad devinciendos Thomistas inserti. Verùm, ut nulla propositio tam clara & univoca apparet, quam Doctor Hennebel cum suis non noverit facere æquivocam, ut antea vidimus, ita non levis suspicio est alium sensum ab his prætensis Augustini discipulis, alium à Thomistis etiam illis paucis, à quibus articuli approbati sunt, subintelligi.

Baccalaureus non cernens ullam viam quâ hinc commodè elaberetur, aliò contulit animum, & dixit; Superest alia magisque propria Doctoris Hennebelli probatio, quâ nulla desiderari potest magis convincens quòd ipse & omnes, quorum partes agit, debeant esse liberi ab omni Jansenismi suspicione. Est autem hæc; Clara professio omnis istius doctrinæ, quam R. Adm. P. Thyrsus Gonzalez Generalis Societatis censet esse Thomisticam & à censura intactam; simul & condemnatio totius sensûs, quem idem Generalis in 5. propositionibus censet esse damnatum. Sed an hoc, inquit

Ariovistus à Doctore Hennebel reverà & sine fuco præstetur, sedulò investigandum est. Nam usu edoctus sum, non citò & leviter istiusmodi hominum fucatis protestationibus & speciosis verborum corticibus credere. Idipsum edoctus sum & ego, ait Venantius.

Tum Ariovistus petiit sibi dari tomum 4. P. Thyrsi ab Hennebello citatum, & cum eum indigitato loco legisset tacitus ac penes se, En, inquit D. Baccalauree, ad primum illud quod ab Hennebello dicitur; " Patres „Dominicani gratiam efficacem ponunt in prædetermi„natione physica essentialiter connexa cum consensu," patet responsio: etenim verba R. Adm. P. Thyrsi loco citato à Doctore Hennebello hæc sunt: " Quamvis Jan„senistæ artificiosè conentur Patres Dominicanos in pa„trocinium suæ sententiæ vocare; multum tamen in as„sertis differunt ab illis. Nam Patres Dominicani, quam„vis gratiam efficacem ponant in prædeterminatione „physica essentialiter connexa cum consensu; tamen ex„pressè asserunt cum hac componi, quòd voluntas ma„neat libera libertate indifferentiæ ad oppositum, & di„cunt voluntatem simul cum prædeterminatione ad „actum salutarem habere proximam potentiam ad op„positum; & ita gratiam per se efficacem defendunt, „ut, si judicarent ex illa sequi eversionem libertatis indif„ferentiæ, eam omninò negarent." Unde patet " posi„tionem gratiæ efficacis in prædeterminatione physica „essentialiter connexa cum consensu, " neque adduci tamquam signum quòd quis rectè sentiat, neque tamquam discrimen inter sententiam Thomistarum recentiorum & Jansenii, ut persuadere vult Doctor Hennebel.

Rectè observasti, inquit Venantius, quia & ipse Jansenius lib. 8. de gratia Christi cap. 4." Eundem, inquit, „gratia victrix habet operandi modum, qui prædeter„minationi physicæ tribui solet. Ibidem: Eodem modo „libertas jam dicta voluntatis sub illo Christi auxilio in„columis manet, quo sub physicâ Thomistarum præ„determinatione salvatur. Et cap. 21. Fieri nequit ut „actualis dissensus cum actuali Dei motione jungatur."

Imo,

Imo, subjungit Ariovistus, estne ullus Theologus sive Catholicus sive hæreticus, qui neget *gratiam efficacem*, quà efficacem, sive efficacem formaliter & reduplicativè sumptam, *esse essentialiter connexam cum consensu*? Explicandum itaque est à Doctore Hennebel, an gratiam efficacem hîc in sensu formali & reduplicativo accipiat, an verò in sensu etiam materiali & specificativo; ita ut gratia efficax merè secundùm entitatem suam sit essentialiter connexa cum consensu; deinde an sit essentialiter connexa cum consensu, quem hîc & nunc à voluntate impetrat. Nam licet Jansenius in eo cum Thomistis congruat, quòd gratia efficax semper impetret consensum, nempè aliquem; non tamen eadem gratia efficax in omnibus circumstantiis consensum eundem obtinebit juxta Jansenium; sed gratia victrix quæ in majore delectatione cœlesti consistit, & obtinet plenum & efficacem consensum ad servandam E. G. castitatem, in eo qui habet motum concupiscentiæ minùs ardentem, eadem non consequeretur consensum plenum & efficacem, sed tantùm velleitatem quandam in eo in quo fuerit concupiscentia ardentior, vel etiam in eodem subjecto, quando concupiscentiæ motus seu delectatio terrena creverit ultra intensionem motûs boni seu delectationis cœlestis.

Juxta Thomistas verò cùm prædeterminatio sit applicatio potentiæ ad actum, quantumcumque intensa sit concupiscentia, semper prædeterminatio effectum eundem præstat. Sic enim ipse Jansenius inter cetera discrimina inter suam & Thomistarum gratiam hoc affert lib. 8. de grat. Salv. cap. 2.: " Prædeterminatio physica talis esse dicitur, ut in quibuscumque circumstantiis voluntas collocetur, semper valeat facere, & operetur effectum suum, omnemque superet resistentiam; Christi adjutorium nullo modo: nam delectatio victrix, quæ Augustino est efficax adjutorium, relativa est : est victrix quando alteram superat. Quòd si contingat alteram ardentiorem esse, in solis inefficacibus desideriis hærebit animus; nec efficaciter unquam volet, quod volendum est. " Opto itaque intelligere, an D. Hen-

nebellus omnesque ejus partiarii hîc teneant cum Thomistis contra Jansenium, an cum hoc contra Thomistas.

Alterum, quod de eodem Doctore aveo cognoscere, est, an ipse cum suis omnibus eandem gratiam physicè prædeterminantem, quam admittit in statu naturæ lapsæ, admittat etiam in statu naturæ integræ; & an ideò illam gratiam statuat, quia Deus necessariò debet esse causa prima in omni statu & actione, saltem non mala; an verò, quia natura per peccatum ita debilitata est, ut movere se non possit ad bonum, nisi priùs moveatur à Deo. Sic autem magis perspicuum apparebit, an plusquam Jansenianam libertatem admittat cum gratia efficaci in statu naturæ lapsæ. Nam ideò Jansenius gratiam suam efficacem negavit naturæ ante lapsum, quia statuebat hominem ante lapsum verâ prædítum fuisse libertate, quæ cum gratia efficace, qualis naturæ lapsæ datur, non potuisset consistere.

Thomistæ ex adverso, cum sentiant nullum amittendæ libertatis periculum esse ratione gratiæ physicè prædeterminantis, hanc nullo modo verentur tribuere Angelis viatoribus, & homini in statu naturæ integræ. Ideò horrendùm vapulant à Jansenio lib. 8. de grat. Chr. Salv. cap. 2., ubi postquam septem discrimina, suam inter & prædeterminantem Thomistarum gratiam assignasset, ita subjungit: " Quapropter qui medicinalem „Christi Salvatoris gratiam sic defendere conantur, ut „eam in talem prædeterminantem physicam transfor„ment, omni statui hominum lapsorum & innocen„tium, ex vi causæ primæ & indifferentiæ voluntatis „necessariam; magis profectò Aristotelici, quàm Au„gustiniani sunt: nam talis prædeterminatio sic asserta „non solùm nullo testimonio ejus probari potest, sed „potiùs universam doctrinam ejus innumeris locis tra„ditam, inexplicabili confusione perturbat,....tollit, „obscuratque veram radicem, necessitatem gratiæ me„dicinalis;....cogitur enim inferre non exiguam vim „Scripturis Sacris....Totum ergo fundamentum gra„tiæ medicinalis Christi funditùs evertitur, & Scriptu-

ræ

„ræ ſubnervantur, dum gratiæ neceſſitas non ex vulne„re voluntatis, ſed ex naturali ejus indifferentia, & om„nium cauſarum naturali ſubordinatione ſub altiore, „ſuſpenditur. Quæ duplex ratio neceſſitatis gratiæ, ſi„cut in univerſis Auguſtini operibus inaudita eſt, & re„pugnat principiis ejus; ita quoque indicat prædetermi„nationem phyſicam, tamquam gratiam eo modo & la„titudine ad omnes humanæ naturæ ſtatus dilatatam, „ab Auguſtini finibus eſſe remotiſſimam, & potiùs vi „humanæ Philoſophiæ, quàm Auguſtinianæ Theologiæ „expreſſam & inventam eſſe."

Hæc ubi in Janſenio Arioviſtus oſtendiſſet, os oculoſque & totum corpus ad Baccalaureum convertit, aiens; Hanc Janſenii cenſuram omnis Thomiſta rejiciet tamquam falſiſſimam à capite ad calcem, & tamquam apertiſſimam calumniam. Sine dubio, inquit Venantius. Commodùm Arioviſtus percunctatur; Utri igitur parti Hennebellus cauſam adjudicabit? Janſenianæ, an Thomiſticæ? Utri tu, D. Baccalauree? Hîc Baccalaureus pendere animis, cruciari, angi, impalleſcere, partes ſeſe verſare in omnes, ringi, obmuteſcere denique. Quod cum Arioviſtus obſervaſſet, miſeratus hominem dixit; Hîc oraculum tuum, ſive Hennebellum conſule, ab eoque pete reſponſum didacticum.

Sanè, infit Venantius, nulla hîc Hennebello patet *evaſio*, quæ extra rem non ſit. Peritiſſime Venanti, ait Arioviſtus, ita es doctiſſimi Cardinalis de Aguirre placitis quaſi additus & conſecratus, ut te vel ad ejus verba adſtringere velle videare. Sic Cardinalis iſte fatur in Def. Cath. S. Petri, diſp. 21., ſect. 2., ubi de 2. Janſenii propoſitione agitur; "Lepidum autem eſt, inquit, dum tradunt homines „ad ſingulas actiones prædeterminari à Deo phyſicè, quin „reſiſtere poſſint prædeterminationi. Sanè hæc evaſio „extra rem eſt, cum non ſolùm multi ex iis negent „ejuſmodi prædeterminationes; ſed etiam qui illas tra„dunt, profitentur gratiam interiorem purè ſufficientem, „cui ſæpè voluntas humana reſiſtit.

Aveo videre, inquit Venantius, quid ad illa Hennebellus Cardinali reſpondeat. Sed pergamus ad ſecun-

 dum,

dum, ubi Rev. Adm. Pater Generalis Jesuitarum dicit Thomistas *expressè asserere cum hac gratia* physicè prædeterminante *componi quòd voluntas maneat libera libertate indifferentiæ.* Dicit Ariovistus; additum oportebat *ad oppositum.* Id, inquit Baccalaureus, Hennebellus non addit. Scio, reponit Ariovistus, sed id addit Pater Generalis, quemadmodum videre est ex ipsius verbis quæ jam statim recitavimus. Cur autem Doctor Hennebel citans ejusdem Generalis verba omiserit hanc particulam *ad oppositum*, non satis assequor. Age, fac nihil latere mysterii, nihil fraudis; sed vel Doctoris vel Amanuensis inconsiderantiâ, vel aliâ ratione innocuâ prætermitam, & debere subintelligi. Quomodo D. Hennebel cum suis omnibus, sive cum omnibus in Belgio prætensis Jansenistis, admittit *libertatem indifferentiæ componi* cum sua gratia efficaci?

At verò, pergebat Ariovistus, hæc res nobis tractanda est paulò uberiùs. Quamobrem recordamini, Viri doctissimi, recordamini inquam, quanto studio mentisque impetu Hennebellus omnes istos Lovanienses Theologos, quorum opiniones ac sententias Cardinalis de Aguirre collegerat, defendendos suscipiat tamquam suos & ab omni Jansenismi suspicione liberos. Hoc primum. Proximum quod hic recordari debetis, est eumdem Doctorem Hennebel locis pluribus asserere, quòd Jansenismus in Belgio sit merum phantasma.

Jam assumo; Atqui Gerardus van Werm Lovaniensis Doctor anno 1678., 2. Aprilis Thesi 1. " Liberum „arbitrium, inquit, situm est in deliberato rationis & vo„luntatis motu. Hinc & Christus voluntatem Patris, non „obstante præcepto sibi imposito, liberè adimplevit; & „Sancti in cœlis non minùs liberè quàm libenter amant: „& sic non libertatis defectus impedit quo minus ipsi „mereantur in cœlis, & reprobi demereantur in infer„nis. " Idem in Thesibus anno 1651. die 11. Februarii; " Indifferentia, quam gratia non permittit, ad vo„luntatis libertatem impertinens est, ad quod sufficit „rei placitæ spontaneus appetitus. " Ubi statuit quòd gratia, quæ omnis apud illum est indeclinabiliter efficax in

in hoc ſtatu, non permittat *indifferentiam* : uti neque eam permittit viſio beatifica indeclinabiliter voluntatem determinans ad Deum amandum; neque tamen ejuſmodi indifferentiæ defectus impedit meritum juxta illum Doctorem. Unde Eminentiſſimus Cardinalis de Aguirre in Defenſione Cath. S. Petri, diſp. 21. ſect. 3. ſententias illas Gerardi van Werm adducens, dicit *eas, quantùm apparet, renovare propoſitionem tertiam Janſenii, damnatam ab Innocentio X. velut hæreticam.*

Hujus veſtigiis inſiſtit Franciſcus de Laderſous, qui nuper ex profeſſore Theologiæ in Monaſterio Dilleghemenſi propè Bruxellas factus eſt Profeſſor Philoſophiæ Lovanii. Audito illo nomine Venantius ſubriſit, noluit tamen interturbare Arioviſtum qui ſic perſequebatur orationis ſuæ ſeriem; Hic (Laderſous) Tract. 2. De Deo ut cauſa exemplari cap. 2. de voluntario libero §. 1. " Diſtingui, inquit, poteſt voluntatis libertas alia ad bonum, quæ in Deo, Angelis, Beatis, & „Viatoribus, maximè gratiâ per ſe efficaci præventis re„peritur; alia ad malum, quæ reperitur in diabolis, „hominibus damnatis, & Viatoribus, maximè excœca„tis & obduratis. Cùm illa rationis advertentia & vo„luntatis determinatio non importet quandam indiffe„rentiam, talis eſſe poteſt, ut quamdam neceſſitatem ſeu „potiùs agendi infallibilitatem tum ad bonum tum ad „malum inferat. Sic Deus ſeipſum, & Beati Deum cla„rè intuentes, felici quâdam neceſſitate quâ non co„guntur ſed feruntur, ut ait S. Auguſtinus, non poſ„ſunt non ſe determinare ad amandum Deum. " In ejuſmodi tamen actibus juxta hunc Theologum adeſt ſine indifferentia ſufficiens libertas ad meritum vel demeritum: ſic enim §. 1. " Quæritur, inquit, 1. quale „liberum requiratur ad actum humanum. Reſpondeo „ſufficere liberum eſſentiale...... Quæritur 2. an ſaltem „non requiratur libertas accidentalis (ſeu indifferentiæ) „ut actus humanus ſit meritorius vel demeritorius. Reſ„pondet, in rigore non videri talem requiri; quia, in„quit, SS. Patres agentes de libertate maximè contra „hæreticos, agunt de illa in ordine ad meritum vel de-

meritum

„meritum, non tamen recurrunt ad indifferentiæ liber-„tatem." Ibidem; Conformiter S. Thomæ q. 10. de potent. art. 2. ad 5., docet "Deum à se ipso liberè amari, & Spiritum Sanctum liberè producere, quæ tamen „ita sunt necessaria ut non possint esse cum ulla indif-„ferentia." Numquid hæc est insignis libertas ad meritum & demeritum sufficiens? Quomodo hic Theologus cum suis discipulis subscribet, quòd *cum gratia* sua *efficaci componatur libertas indifferentiæ?*

Petrus de Ligny Theologus Belga, in Academia Duacena Baccalaureus Formatus & Philosophiæ Professor sub annum 1690. in Epistola; " Protestor, inquit, „me alienissimum esse ab opinione, aut si mavis erro-„re, adstruente libertatem indifferentiæ..... Hanc no-„vitatem induxit Molina, & sola Thomistarum igna-„via hanc falsitatem suscepit."

Idem Theologus uti & Jacobus Gilbert ex Lovaniensi Theologo Universitatis Duacenæ Cancellarius; item Petrus Rivette, Theologus Lovaniensis, postea Duacenus Professor, cum Dominis Laleu, Wille, Bruneau, Du Bron, & duobus Malpaix ejusdem Academiæ Theologis approbarunt anno 1690. mense Novembri, unanimi consensu & subscriptione non sine insigni elogio septem famosas Theses, tamquam *apprimè Catholicas & Augustinianas*, quarum hæc est tertia: "Quo-„modo cum illa peccati Philosophici censura concilia-„ri potest bicornis voluntatis indifferentia, & Aristoteli-„cæ libertatis definitio: Libertas est potentia, quæ po-„sitis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere „& non agere, cùm utique non possit tam vitari quàm „non vitari quod ignoratur? Cave ad sensum divisum „& compositum, aut ad indifferentiam judicii confugias: „vana enim sunt illa neotericorum effugia, declinandis „Semipelagianorum terriculamentis male adinventa. Sa-„tiùs igitur nobis videtur & S. Augustini principiis con-„formius, ejusmodi libertatem in flexanimi ad libitum „voluntatis indifferentia, & in expedita ad utrumlibet „potentia consistentem, POST PECCATUM ADÆ PROR-„SUS REJICERE. Hoc loco Venantius interjecit; "

Num-

Numquid, D. Baccalauree, hi egregii Thomistæ sunt?

Nondum audistis omnia, inquit Ariovistus; nam idem Petrus de Ligny in sua declaratione quam sub idem tempus misit ad Episcopum N. " Credo, ait, libertatem indifferentiæ in statu naturæ lapsæ non esse nisi „chimæram, & inventum humanum, Philosophiæ hu„manæ reliquias.... prædeterminationem Physicam eo „modo quo explicatur in Schola Thomistarum, esse „doctrinæ S. Augustini prorsus contrariam: quòdque „solutiones, quæ illic dantur, sensus compositus, divisus, „& indifferentia judicii, sint cavillationes, quarum ne „minimum quidem est in Patribus vestigium." Hi omnes Theologi sunt. In his aliisque eorumdem Duacenorum assertionibus non merum Jansenismi phantasma deprehenderunt Theologi Parisienses à Rege deputati, ut ex eorum censura colligitur, data anno 1691. 26. Decembris. Dic igitur, D. Baccalauree, dic, quomodo omnes illi Belgii Theologi, stantibus principiis jam memoratis, admittent *gratiam prædeterminantem Thomistarum*, & cum ea *libertatem indifferentiæ in voluntate?*

Baccalaureus respondit; Fortè Doctor Hennebel cum suis, per *libertatem indifferentiæ* manentem cum gratia efficaci, tantùm intelligit mutabilitatem, sive quòd per illam gratiam homo non sit affixus bono in perpetuum, ut Beati; sed gratia illa desinere possit, & voluntas à concupiscentia vinci ac superari.

Eo sensu intellectam indifferentiam, reponit Venantius, non gravatè admittit etiam Jansenius lib. 6. de grat. Christi, cap. 26., dicens: *Ceteras quidem humanæ vitæ actiones* (scilicet omnes deliberatas viatorum) *reipsa.....non solùm sine violentia; sed & cum quadam indifferentia contradictionis, imò contrarietatis, ut ex Augustini & veterum citatorum mente antè dictum est, fieri credimus.* Ariovistus subjungit; Quid ad hoc, D. Baccalauree? Et cum Baccalaureus conticesceret, conclusit Ariovistus; Evidens ergo est miniméque obscurum, quòd vel D. Hennebel non admittat indifferentiam Thomisticam, prout hæc in Thomistarum sententia distinguitur ab indiffé-

indifferentia Jansenii, vel quòd non habeat omnes Belgii Theologos, qui aliis in suspicionem Jansenismi venerunt, sibi consentientes.

Tempus est, inquit Venantius transeundi ad tertium. Ad tertium, dicebat Ariovistus, respondeo explicatione opus esse, quomodo D. Hennebel omnesque illi, quorum partes agit, id est, omnes in Belgio prætensi Jansenistæ & Augustini discipuli affirment *Voluntatem simul cum prædeterminatione ad actum salutarem habere proximam potentiam ad oppositum*, quandoquidem Laurentius Neesen Theologus Lovaniensis & Mechliniæ in Seminario Archiepiscopali per multos annos Professor, cujus discipuli toto Belgio dispersi sunt, Tractatu de actibus humanis dub. 4. ita doceat; *Christi gratia infallibiliter infert actum, utpote ab ea inseparabilis : cum illa non consistit proxima potentia ad agendum & non agendum.* Et paulò ante sic definit generatim : *In statu naturæ lapsæ liberum arbitrium habet solam remotam indifferentiam*; *& hæc est sententia conformior Scripturæ Sacræ & SS. Patribus.* Utramque hanc sententiam, ait Venantius, citat Cardinalis de Aguirre in Defensione Cathedræ S. Petri disp. 21., sect. 3. inter propositiones, quæ Eminentissimi judicio *innovant propositionem tertiam Jansenii damnatam veluti hæreticam.*

Tum Ariovistus; Norunt omnes, qui in Belgio sunt Theologi, à nova factione magni fieri Laurentium Neesen & Gummarum Huygens. Opera Theologica Domini Neesen typis edita, sæpiùs recusa, tam avidè expetuntur, ut nullus quodammodo sit istarum partium Theologus quin libros illos habeat, & ut Autorem sibi maximè classicum ad amussim sequatur. Quomodo itaque omnes illi conciliabunt hæc duo; *Voluntas simul cum prædeterminatione ad actum salutarem habet proximam potentiam ad oppositum*, quæ est sententia Thomistarum, & istud Laurentii Neesen *Cum gratia Christi non consistit potentia proxima ad non agendum*; *in statu naturæ lapsæ liberum arbitrium habet solam remotam indifferentiam.* Quomodo Joannes Opstraet cum gratia efficace ad actum salutarem admittit potentiam proximam ad

ad oppositum? cùm in Thesibus Mechliniæ anno 1687., 2. Maii dicat: *Est libertas in statu naturæ lapsæ, sed ita ut non nisi remotè voluntas ad agendum & non agendum indifferens sit.*

Hîc Venantius subsumebat; Atqui notorium est, & fatebitur D. Hennebel, quòd nullus magis sibi adhæreat, quàm hic Theologus. Hic Theologus, inquit Baccalaureus, est Vir egregius, & scriptis suis ubique famosus. Sed nonne; interrogat Venantius, famosus est etiam privatione lectionis, & dimissione ex Seminario Archiepiscopali, factâ ab Archiepiscopo, Senatu Regio, ad quem Opstratius recurrerat, factum Archiepiscopi sententiâ publicâ approbante? Nonne famosus est etiam laceratione atque exustione Thesium per sententiam ejusdem Parlamenti Regii Mechliniæ? Nonne etiam famosior laceratione & exustione sui Motivi Juris per sententiam Rectoris Academiæ Lovaniensis, Concilio Regis sanctiore, seu privato ut appellant, sententiam Rectoris confirmante? Similia ait Baccalaureus, Nostri suspiciunt quasi totidem insignia & monumenta honoris: nam agere & pati fortia Christianum est. Atque ideò hic Theologus post dimissionem ex Seminario Archiepiscopali, Lovanium reversus à Gummaro Huygens Collegii Pontificii Præside perhonorificè susceptus est; & nunc præest Collegio Doctoris Hennebel, dum is abest. Sic uno avulso, inquit Venantius, non deficit alter.

Visum fuit Ariovisto hujus sermonis filum abrumpere, dicendo; Extra chorum saltatis; redeamus ergo unde digressi sumus, & dicite mihi, quomodo tot discipuli Joannis Opstratii, *potentiam proximam ad oppositum actûs salutaris cum gratia efficaci* admittent? illi discipuli, illi inquam, qui in hoc statu non esse nisi *indifferentiam remotam voluntatis* à Magistro edocti sunt? Illud semper premendum est, ait Venantius. Cui assentiens Ariovistus hunc in modum perrexit; In eundem Opstratii sensum videtur non obscurè collimare illud Gummari Huygens in Compendio Theologiæ Romæ damnato, pag. 12: " Definitio illa libertatis, potestas ad agendum „& non agendum &c. non fuit nota Aristoteli; & cùm

etiam

„etiam SS. Augustino & Thomæ ignota fuerit, modò „non est necessaria Theologiæ. Et ibidem art. 1., obser„vat. 2. : Objicies fortè quòd definitio libertatis, hæc „nimirum, potestas ad agendum & non agendum po„sitis &c. repugnet libertati amoris beatifici. Verùm in„trepidè negamus illam definitionem: neque enim tan„tâ vel autoritate vel ratione nititur, ut eam admittere „cogamur; neque etiam adeò bene de Theologia merita „est, ut eam vel explicare teneamur: etenim nimium „propendet in Pelagianorum & Semipelagianorum er„rores."

Hem, inquit Venantius, quid Thomistis videbitur de hoc novo scholæ suæ candidato? Alvarez de auxiliis lib. 4., cap. 14. dicit hanc definitionem admitti ab omnibus Catholicis; *Habetur enim*, inquit, *definita in Concilio Tridentino*, *sess. 5. de justificatione*, *cap. 5. & can.* 4. Ab hoc Thomistarum vindice quantum Gummarus distat.

Non inferiora, infit Ariovistus, secutus est Polycarpus Goze Professor Theologiæ in Monasterio S. Gisleni prope Montes Hannoniæ, quæ est Provincia Belgii. Hic anno 1694., 21. Junii pronuntiavit Thesi 3." „à se repudiatam, utpote veritatibus Theologicis minùs „convenientem, vulgarem & Aristotelicam libertatis „definitionem, quâ dicitur facultas quæ positis omni„bus ad agendum prærequisitis, potest agere & non age„re. Ibidem: Licet enim libertas hominis viatoris, non „quidem proxima sive actûs, sed remota sive potentiæ, „tam contradictionis quàm contrarietatis indifferentiam „semper comitem habeat, haud tamen hujus defectus „libertatem destruit; sed hanc sola perimit necessitas „coactionis, vel defectus judicii rationis." Quod videtur non discrepare ab hac damnata hæreseos in Jansenio propositione 3. inter 5. famosas: " Ad merendum & de„merendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in ho„mine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coa„ctione." Nam D. Polycarpum agere de libertate etiam in ordine *ad merendum & demerendum*, apertè declarat eâdem Thesi 3. quam ita orditur; " Hominem esse libero

„bero arbitrio prænditum nemo inficias ierit, qui hunc „meriti & demeriti capacem esse consenserit: inest quip„pè ei voluntas, quæ nec ab ipso quidem Deo in acti„bus suis elicitis violentiam pati potest, quamvis ab ip„so insuperabiliter agi possit." Cùm igitur libertas à coactione Theologo isti sufficiat ad meritum & demeritum, sive *libertas quæ non proximam, sed tantùm remotam indifferentiam habeat*, quomodo ad meritum requiret, ut gratia efficax ad actum salutarem relinquat *potentiam proximam ad oppositum*?

Professor ille, inquit Venantius, à Moderatoribus suis punitus est & à Cathedra amotus. Id quidem audivi, Ariovistus reponit. Verùm anne propterea sententiam mutarunt ipsius auditores, præsertim Paulus du Hamel & Hieronymus de Raisme qui Theses susceperant defendendas? Quid de re sit, non scio; hoc autem scio difficulter eradi quod teneri discipulorum animi imbibêre. Quid opus est pluribus? Accipite jam quid ad quartum respondere oporteat.

Jam nunc prospicio, inquit Venantius, quid sis dicturus. Quartum hoc erat; *Si Thomistæ ex sua gratia physicè prædeterminante judicarent sequi eversionem libertatis indifferentiæ, eam omninò negarent.* Porrò quàm verè P. Generalis hoc dixerit, colligitur vel ex eo quòd Jansenii doctrinam illi indifferentiæ contrariam jam inde ab initio Thomistæ impugnaverint, putà PP. Sebille & Nicolai ex ordine S. Dominici: deinde ex eo quòd Jansenii doctrinam agnoscant in hoc puncto damnatam esse; neque ullus Thomista, saltem post Constitutionem Alexandri VII., quantum intelligere licuit, recusaverit aut recuset agnoscere 5. propositiones rectè proscriptas esse in sensu à Jansenio intento. Id autem cum hactenus neque Doctor Hennebel, neque ullus eorum quorum partes agit, agnoscere voluerint, sed in hoc semper tergiversentur, quin etiam cum passim tradant tam multa, quæ videntur prorsus consonare Jansenio opponique libertati indifferentiæ, quivis videt, aliquid amplius quàm quod hactenus cum suis Doctor Hennebellus præstitit, requiri ac postulari, ut illi omnes Thomistis annumerentur. Men-

„se efficacem, quamvis sentiant cum illa non compo-„ni libertatem indifferentiæ ad oppositum."

„ 2. Jansenistæ expressè dicunt, non dari auxilium „verè sufficiens, ab efficaci distinctum."

„ 3. Docent quoque, quod omnis gratia propriè lo-„quendo sufficiens sit efficax."

„ Quos eosdem errores damnavit præfatus Doctor his „verbis; *hos tres articulos damno, & omnes Theologi quo-„rum partes ago, unanimiter mecum damnant, eodem sensu „quo damnantur à ceteris gratiæ per se efficacis defensoribus: „imo eas damnamus eodem sensu, quo eas damnandas cen-„set Reverendissimus Pater Generalis, qui non dubitat hos „articulos optimè damnari ab iis, qui admittunt gratiam „sufficientem, qualem admittunt Thomistæ passim omnes.*" Quo, inquit Baccalaureus, quid dici possit sincerius, ego non video.

Itane verò? ait Venantius. An ergo tibi, mi Baccalauree, jam nunc exciderunt illi recentiores Belgæ quos apertè adversantes libertati indifferentiæ non exiguo numero statim protulimus? Quomodo igitur omnes à Doctore Hennebel dicuntur eam asserere? Mysterium fortè se pandet in sequentibus: hoc interea responsum ad primum sufficiat.

Propero itaque, pergebat idem Venantius, ad secundum & tertium, quæ ut consideranti liquet, eodem redeunt. Doctor Hennebel cum suis omnibus damnare tamquam *Jansenistas* paratus est quoscumque dicentes *non dari auxilium verè sufficiens ab efficaci distinctum.* Credis hoc, mi Baccalauree? Iterum tibi in memoriam revoca, omnes ab hoc Doctore defendendos suscipi quicumque in Belgio aut Jansenistæ aut de Jansenismo suspecti vocantur: *Jansenismus* enim in Belgio juxta D. Hennebel non est nisi phantasma, ut eum aliquoties in hoc suo scripto asserentem audivimus. Neque tantum vivos propugnat, sed etiam mortuos; eos scilicet Lovanienses omnes, quorum sententias refert Eminentissimus Cardinalis de Aguirre in defensione Cathedræ S. Petri totâ disput. 21 tanquam impingentes in Bullam Innocentii X., & alteram Alexandri VII. contra 5. Jan-

ſenii propoſitiones editam. Circa hos omnes Theologos & eorum doctrinam ait Doctor Hennebel *Cardinalem ſibi pridem ſatisfactum agnoſcere.*

Sed, Sapientiſſime Venanti, inquit Baccalaureus, vides Doctorem Hennebel cum omnibus *prætenſis Janſeniſtis*, qui ſunt in Belgio, damnare & quidem ut ait eo ſenſu quo damnat Generalis Societatis, aſſertionem hanc *non datur auxilium merè ſufficiens ab efficaci diſtinctum*, & hanc *omnis gratia proprie loquendo ſufficiens, eſt efficax.* Nunquid igitur quiſquis hæc legit, confiteri debet nullum eſſe in Belgio, qui alterutram propoſitionem ſuſtineat? minimè autem ſuſtineri ab iis, quos ab Eminentiſſimo Cardinale de Aguirre prædictâ diſputatione citatos Doctor Hennebel defendit?

Tum Venantius depromſit plurium propoſitionum catalogum, & dixit; Iſtud, mi Baccalauree, confiteri nec debet, nec poteſt quiſquis æquus arbiter hunc catalogum inſpexerit. His dictis, catalogum tradidit Baccalaureo, qui de illo recitavit ſequentes propoſitiones.

Laurentius Neeſen tract. 18. quæſt. 1. dub 8. *Nulla datur gratia proximè ſufficiens, quæ non ſit efficax.*

Joannes Sinnich in Theſibus anni 1650., 26. Februarii *Imaginaria eſt & inutilis in hoc ſtatu gratia ſufficiens.*

Laurentius Neeſen tract. 18. quæſt. 1. dub. 8. *Damnoſa eſt talis gratia: quid enim damnabilius, quàm abundare tali gratia?*

Idem dub. 5. *Gratia Chriſti ſemper eſt efficax, quia producit ſemper effectum, quem Deus vult producere per illam.*

Andreas Laurent in Theſibus anni 1672., 18. Martii, *Nullum omninò à Deo datur auxilium, quin ſemper ſit aliquouſque efficax, & efficiat ſemper in homine id quod ei vult Deus.*

Idem in Theſibus menſe Maii ejuſdem anni. *Omnis gratia habet neceſſitatem ad id quod ordinatur à Deo.*

Facultas Lovanienſis in Juſtificatione Cenſuræ cap. 11 *Fieri poſſe, & de facto ſæpè fieri, ut quis auxilium habeat præveniens omnino ſufficiens in genere auxilii prævenientis ad converſionem, & tamen non convertatur, quia non vult, doctrinæ Auguſtini, Apoſtoli, & Prophetæ Ezechiëlis non eſt conſentaneum.*

Eadem

Eadem facultas ibidem: *Non est in quoquam gratia sufficienter operans ad credendum, nisi in eo qui vult credere.*

Gerardus van Werm Doctor Lovaniensis in Thesi anni 1649., 21. Aprilis *Nunquam est sine effectu vera Christi gratia.*

Idem triginta annis pòst, nempè 1679., 11. Aprilis *Gratia ad conversionem sufficiens ipsa convertit, quæ verò non convertit, non sufficit.*

Lambertus Vincent 12. Martii 1676 in Thesi; *Apage gratiæ sufficientis propriè dictæ inventum, Augustino contrarium.*

Hrosnata van Saftinghen eodem anno 1676., 2. & 3. Septembris in Thesi; *Illa gratia non est Christi, quæ non dat actum.*

Hæc ubi Baccalaureus invito planè ac reluctante animo recitaverat, subjunxit Venantius; Has omnes sententias cum suis Autoribus affert Eminentissimus Cardinalis de Aguirre, in defensione Cath. S. Petri disp. 21. sect. 2. ut ostendat propositionem 2. inter 5. famosas damnatas in Jansenio fuisse traditam à multis aliis Belgis, præsertim Lovaniensibus, tum ante tum post censuram hæreseos inflictam ab Innocentio X. & Alexandro VII. In Memoria habeo, Ariovistus inquit; sed demus, prosequebatur, etiam recentiora quæ ego collegi & hîc penes me habeo in adversariis; quanquam ut dictum est, liber Laurentii Neesen, uti & censura Lovaniensis cum sua Justificatione, saltem quoad doctrinam illâ contentam, approbetur hodiedum Lovanii à multis. Demus inquam recentiora.

Franciscus van Vianen Doctor Lovaniensis in Thesi anno 1697., 2. Junii: *Quisquis sufficiens gratiæ adjutorium in statu naturæ lapsæ asseris, cogeris admittere, quòd potiùs in sola spe virium liberi arbitrii, quàm gratiæ innitendum sit.*

Gummarus Huygens in Compendio Theologiæ 1684. pag. 331. *Si gratia sufficiens requiratur ad libertatem, gratia non est gratia.*

Idem in eodem Comp. pertinenti 5. ad 2. pag. 29. *Singuli gradus gratiæ semper in nobis obtinent id quod per illos vult Deus.*

Joannes Opstraet Licentiatus Lovaniensis in Dictatis de gratia quæst. 2. cap. 6. §. 6. *Gratia incongrua* (ut à suis assertoribus adstruitur) *ad nihil aliud servit, quàm ad magis peccandum*, adeòque non est gratia, nec datur.

Ibid. *juxta S. Augustinum numquam adest gratia præparans voluntatem, quin simul etiam adsit deliberata volitio.*

Joannes Sulivane Doctor Lovaniensis in Thesibus anno 1682., 1. Februarii: *Gratiam in rigore sufficientem, non dantem actum, ut Scripturæ Sacræ sanctoque Augustino non sat consonam rejicimus.*

Matthæus Rouvroy Theologus Lovaniensis & Professor nuper in Seminario Episcopali Namurcensi, nunc ibidem Decanus, in Dictatis de fide §. 11. *Assertores gratiæ sufficientis minuunt numerum articulorum fidei, qui sub obligationem cadunt.*

Idem obser. 5. de gratia; *Quid non electis, inter quos multi sunt sancti, servit illa gratia sufficiens, & cur datur? Certè tantùm ut possint peccare.*

Idem in Thesibus anno 1682., 22. Octobris, *Gratia sufficiens Thomistarum reverà non est sufficiens.*

Idem in Dictatis de fide §. 11. *Doctrina de gratia sufficienti ducit ad laxitatem.*

Idem de gratia observat. 7. *Ex doctrina de gratia per se sufficienti sequitur non recta administratio pœnitentiæ.*

Idem superiùs observ. 5. dixerat, *statuentes gratiæ efficaciam in prædeterminatione, non rectè sentire de differenda absolutione.*

Jacobus Gilbert, & Petrus Rivette Theologi Lovanienses, ac dein Professores Duaceni cum DD. Laleu, Wille, de Ligny, Bruneau, Du Bron, & duobus Malpaix anno 1690. mense Novembri approbarunt velut *Catholicam* & *verè Augustinianam* hanc Thesim; *Qui gratiam aliquam sufficientem ab efficaci distinctam in hunc amissæ innocentiæ statum invehunt, mirum quantum ab Augustini mente deficiunt, qui naturæ integræ gratiam sufficientem tantùm, lapsæ verò efficacem tantùm attribuit. Hæc si indubitata Augustini principia vel minimum concutias, tota cœlestis illius doctrinæ compages solvatur necesse est. At quid de gratia sufficienti in sensu Thomistico? Minùs displicet;*

cet: quia nisi hallucinari velis, particulam includit alienantem, & nebuloso tempore occulendis gratiæ Evangelicæ mysteriis est peridonea. Interim cum vox illa & res voce expressa purioribus Ecclesiæ seculis ignota fuerit, illam meritò ex sana Theologia relegandam judicamus.

Petrus de Ligny in Declaratione ad Episcopum art. 4. *Post peccatum Adæ non datur gratia sufficiens, sed tantùm efficax; sententia Molinistarum circa hoc est Semipelagiana, & damnata in Congregatione de Auxiliis. Opinio Thomistarum est mera stultitia & ineptia.*

Idem in Epistola anno 1691., 1. Februarii. *Nunquid modò verum est gratiam sufficientem Molinistarum esse errorem, Thomistarum autem esse stultitiam? Quid sibi volunt novæ hæ decisiones de gratia sufficiente?* Novæ tunc decisiones erant Alexandri VIII. Pontificis in Decreto anni 1690., 20. Decembris, ubi inter 31. propositiones damnabatur hæc 4.: *Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis sed pro omnibus & solis fidelibus.* Et hæc 5. *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à* Jesu Christo *influxum, adeòque hinc rectè inferes in illis esse voluntatem nudam & inermem sine omni gratia sufficienti.* Et hæc 6. *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quàm perniciosa est, sic ut proinde meritò possimus petere, à gratia sufficienti libera nos Domine.*

Sed Dominus Malpaix, interjicit Venantius, in Epistola scripta anno 1691., 2. Februarii pro sua autoritate declarat hoc Pontificis *Decretum* esse *scandalosum.*

Hîc non illepidè, Ariovistus dicebat; si D. Malpaix ista prolocutus fuisset ex Sede Joannis Martini de Hont, plus autoritatis, vel dicam potiùs infallibilitatis habuisset. Nam Pater ille de Hont..... Ne iterum proferas ipsius verba, ait Venantius; sat sæpè illum *Cynicum* audivimus allatrantem adversùs Summi Pontificis Cathedram, adversùs quam ne stygius quidem Cerberus umquam prævalebit. Ad Hennebellum revertamur. An meritò, D. Baccalauree, potest jactare ille Doctor, Jansenismum in Belgio non esse nisi *phantasma*? An potest jactare se cum suis omnibus, ut vocat, *prætensis Jansenistis* sive cum omnibus, qui in Belgio suspicionem Jan-

ſeniſmi incurrerunt *admittere gratiam ſufficientem*, *qualem admittunt Thomiſtæ paſſim omnes*, & propoſitiones ei oppoſitas *damnare eodem ſenſu*, *quo damnandas cenſet R. P. Generalis Societatis*?

Nequaquam, inquit Arioviſtus; aut hæc ſufficiunt ad convincendum Doctorem Hennebel de fide peſſima, aut nihil ad convincendum quempiam poteſt unquam ſufficere. Nunquid igitur, interrogat Venantius, hic applicari poſſet, quod de quadam legatione hæreticorum & ſchiſmaticorum ad Cornelium Pontificem ait S. Cyprianus Epiſtola 55. *Romam cum mendaciorum ſuorum mercibus navigaverunt*, *quaſi veritas poſt eos navigare non poſſet*, *quæ mendaces linguas rei certæ probatione convinceret*. Sed adhuc clariùs ſe evolvet dolus in ſequentibus.

Imò ſinceritas, dicit Baccalaureus; nam in ſequentibus gratiam ſufficientem diſertè admittit: ſic enim habet; " Ne quis autem, me hîc diſſimulare aut ſub am-„biguo *gratiæ ſufficientis* nomine fucum facere velle arbi-„tretur, hic ſubjungo declarationem quam ſuper ea ex-„hibui S. Congregationi S. Officii, eſtque tenoris ſequen-„tis. "

EMINENTISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI.

„ Cum ſpargi à quibuſdam audiam, me non admit-„tere gratiam ſufficientem ab efficaci diſtinctam, prout „communiter admittitur & explicatur in ſcholis Tho-„miſtarum, aliiſque ſcholis, quæ gratiam per ſe effica-„cem ad ſingulos pietatis actus neceſſariam tuentur, co-„ram Eminentiis Veſtris declarandum putavi, quòd ad-„mitto, ſemperque admiſi ejuſmodi gratiam ſufficien-„tem ab efficaci diſtinctam, prout illam admittunt Tho-„miſtæ, aliique gratiæ per ſe efficacis defenſores: ad-„mitto quòd gratia illa ſufficiens dat verum poſſe & qui-„dem tam propinquum, ut ex parte potentiæ nulla „alia requiratur gratia ad tribuendam illam potentiam „ſeu virtutem internam, quâ homo proximè dicatur „poſſe bene agere, licet alia requiratur ſcilicet efficax „ad actu operandum; hæc autem eſt gratia illa ſufficiens, „quam Theologi alio nomine excitantem, ſeu ineffica-„cem appellant, quâ homo excitatur, illuminatur & inſpi-

„inſpiratur ad bonum faciendum, quæ ſtat ad oſtium „cordis & pulſat, cui niſi defuerimus & pravâ noſtrâ „voluntate reſtiterimus, Deus ſicut per illam incipit in „nobis opus bonum, ita per gratiam efficacem perficiet „juxta illud Apoſtoli, Deus eſt, qui operatur in nobis & „velle & perficere. Porrò Eminentiſſimi Domini, hanc „meam de gratia ſufficiente ſententiam jam pridem in „reſponſione ad articulum 5. inter 42. à Doctore Mar-„tino Steyaert mihi aliiſque Collegis meis objectos, „tam aperte expoſui, ut idem Doctor Steyaert nihil aliud „in ſua Synopſi reſpondendum habuerit, quàm hæc ver-„ba; Rectè admittit reſponſio gratiam ſufficientem. Quæ „quidem ſcripta typis edita jam dudum Congregationi „exhibita ſunt. Hanc eandem declarationem iterum hu-„millimè judicio Eminentiarum Veſtrarum ſubjicio, „quas Deus &c."

Hæc ubi Baccalaureus recitaverat, Ariovistus quærit; Nihilne tu D. Baccalauree, hîc obſervaſti? Et cum Baccalaureus reſpondiſſet à ſe obſervatum eſſe nihil, Arioviſtus ſeſe ad Venantium convertens percunctatur; Nihilne, tu acutiſſime Venanti?

Ego, reſpondet Venantius, hoc obſervavi quòd quoties Doctor Hennebel proteſtatur ſe admittere gratiam ſufficientem, ſemper ſolicitè addat particulam hanc *in ſenſu Thomiſtarum*, vel *in ſenſu illorum*, *qui gratiam per ſe efficacem ad omnes pietatis actus neceſſariam tuentur.* Solers obſervatio! ſubdit Arioviſtus. Et quando pergebat Venantius, dicit ſe ſententias, gratiæ verè ſufficienti oppoſitas, damnare *eodem ſenſu*, *quo eas damnat Rever. Pater Generalis*, fucus latet in hoc quod immediatè ſubjungitur; *Qui non dubitat hos articulos optimè damnari ab iis*, *qui admittunt gratiam ſufficientem*, *qualem admittunt Thomiſtæ paſſim omnes.* Hâc verborum ambage & circuitione aliud non intelligit Doctor Hennebel, quàm ſe ſententias, oppoſitas gratiæ ſufficienti, *damnare eo ſenſu*, *quo damnant Thomiſtæ.* Cum autem juxta hunc Doctorem ejuſque ſocios, imo & juxta Rev. Adm. P Generalem, gratia *Thomiſtarum* non ſit ſimpliciter & propriè ſufficiens, licet à Thomiſtis

propriè ſufficiens exiſtimetur; particulæ illæ *Thomiſticè, in ſenſu Thomiſtarum, eo modo quo Thomiſtæ &c.* apud Doctorem Hennebel, & ei adhærentes ſunt particulæ alienantes, ita ut *ſufficiens Thomiſticè* ſit idem, ac *non propriè ſufficiens*. Similiter cum admittunt *gratiam propriè ſufficientem in ſenſu Thomiſtico*, intelligunt *propriè ſufficientem in opinione Thomiſtarum*, reipſa *non propriè ſufficientem*; Et conſequenter quando dicunt *ſe damnare, ſicut damnant Thomiſtæ, ſententiam quæ negat gratiam verè ſufficientem*, idem illis eſt ac damnare verbo, reipſa non damnare, ſive damnare merum phantaſma.

Perinde loqueris, inquit Baccalaureus, tamquam ſi eſſes καρδιογνώστης ſive cordium & renum ſcrutator. O bone Baccalauree, reponit Venantius, tui illi externa ſigna ediderunt ſat multa, unde hanc eſſe illorum mentem colligam: multos enim paulo antè vidimus clariſſimè negantes, explodentes, cenſurantes gratiam omnem ſufficientem ab efficaci diſtinctam, etiam Thomiſtarum.

Rectiſſimè, inquit Arioviſtus. Quinimò, idem Arioviſtus adjiciebat; Si nunc quæramus ex Doctore Hennebello, an reipſa admittat aliquam gratiam ſufficientem eo ſenſu, quo vel unus Janſeniſta eam negavit, fallor ſi unquam affirmativè reſpondeat. Quæramus rurſum, an cum ſuperiùs dicit ſe omneſque Theologos, quorum partes agit, tres articulos libertati indifferentiæ & gratiæ ſufficienti contrarios damnare eodem ſenſu, *quo damnantur à ceteris gratiæ per ſe efficacis defenſoribus*, non damnent articulos commentitios, ſive quos nullus in Eccleſia Theologus unquam tenuit. Ne unum quidem aſſignabit Doctor Hennebellus erroris alicujus Autorem in tota Eccleſia. Sed neque unum proferet Janſeniſtam, quantumvis notorium, qui talem gratiam ſufficientem negavit, qualem hîc ipſe ſtatuit.

Ne Janſenius quidem, addit Venantius, tali gratiæ ſufficienti refragatus eſt. Fateor quidem eſſe permultos qui contendunt eam gratiam non eſſe ſufficientem, & reverà ſufficiens non eſt; ſed tamen hoc iterum iterumque dico & inculco; Gratiam illam ſecundùm ſe nec

Jan-

Jansenius, nec ullus ipsi adhærentium rejecit. Sic enim Jansenius profitetur lib. 3. de grat. Christi cap. 1." Quod „si verò sic accipiatur ut sufficiens dicatur, sicut à qui„busdam dicitur, quod satis est ut homo dicatur posse „operari, quamvis aliud adhuc necessarium sit, ut de „facto operetur, de ejusmodi sufficienti gratia non est „hîc nostra controversia: talem enim sufficientem for„tasse non difficulter S. Augustinus admitteret: solam ait „ibidem se rejicere illam sufficientem gratiam seu suffi„ciens adjutorium, præter quod nihil aliud ex parte „Dei per modum principii necessarium est, ut homo „velit aut operetur." Illam quoque sufficientem gratiam rejicit Doctor Hennebel.

Quid, interrogat Baccalaureus, in eo piaculi est? Eam pariter quidam rejiciunt Thomistæ; atque adeò si illi vobis sint probè Catholici, quid est, cur & Hennebellus cum omnibus suis S. Augustini discipulis non videatur vobis esse talis?

Thomistæ, respondet Venantius, saltem multi amplectuntur talem gratiam sufficientem, ut sufficiens sit non tantùm ad *posse agere*, sed etiam ad *agendum*, quod negat Dominus Hennebel cum suis. En tibi ex principiis Thomisticis sententias aliquot. Gonzalez de Albelda in 1. part. disput. 58. num. 16." Indubiè, inquit, „tenendum esse censeo, voluntatem creatam solùm suf„ficienter adjutam à Deo, habere ultimum complimen„tum potentiæ activæ, habere totam illam virtutem, „quæ sufficit & requiritur ut in actu primo sit ultima„tè completa & proximè expedita ad consentiendum „Deo, si velit," & non tantùm ad posse consentire," „quare ex sua malitia non vult, non autem ex defectu „principii proximi ultimatè requisiti, necessitate ante„cedente, seu ex parte causæ." Vincentius Ferre tom. 2. tract. 9. de voluntate Dei §. 23. statuit gratiam sufficientem esse" auxilium completè sufficiens ad operan„dum talis conditionis, quòd illo dato actus simplici„ter sit voluntati possibilis." Joannes Paulus Nazarius Cremonensis in 1. part. ad quæst. 23. art. 3." Da„tur autem, inquit, gratiæ sic excitans auxilium suffi-

ciens

„ciens non respectu operationis uniuscujusque operatio-„nis, sed ejus tantùm, ad quam efficiendam excitat „hominis voluntatem, ita ut, si excitet ad credendum, „sit sufficiens ad actum fidei; si ad pœnitendum, sit suf-„ficiens ad actum dilectionis," Nihil horum admittit Doctor Hennebel.

Nec ego, reponit Baccalaureus; sed sunt, instabat, etiam aliqui Thomistæ, qui gratiam suam sufficientem docent dumtaxat esse sufficientem ad posse, non autem ad agendum. Mirabilis quidem, inquit Ariovistus, hæc mihi videtur esse sufficientia. Attamen si tales Thomistæ reperiantur, sunt probè Catholici. Quid ita? quærit admirans Baccalaureus. Ariovistus respondit; Quia censent gratiam illam " esse verè, propriè & in omni „rigore sufficientem, ita ut potentia agendi sit omnino „completa, nullo modo ligata vel impedita." In tua autem, D. Baccalauree, ceterorumque prætensorum Discipulorum S. Augustini sententia, voluntas impedita est & ligata arcto concupiscentiæ tentationumque vinculo, donec eam spiritus liberaverit infundendo delectationem cœlestem terrenâ fortiorem.

Ideò Thomistæ sincerè tenent ac defendunt præcepta nulli homini esse impossibilia potentiâ antecedente liberam hominis determinationem. Ideò tenent hominem, qui sufficiente gratiâ munitus non observat præceptum, demereri: etenim nulla ipsum ab observando præcepto cöercebat propriè dicta necessitas, nempè antecedens & quam tollere vel præveniendo excludere in ejus potestate non esset. Ideò nullam difficultatem inveniunt in damnando libro Jansenii & ejus doctrina circa 5. propositiones ab Innocentio X. & Alexandro VII. hæreseos & aliis censuris perstrictas: secus autem omnia se habent in tua & Doctoris Hennebel factione: nam hæc ideò gratiam non simpliciter & absolutè sufficientem, sed tantùm sensu Thomistico admittit, quòd censeat sufficientiam Thomisticam non esse veram propriéque dictam sufficientiam. Ideò dum vult incautis illudere, ait se verè & propriè dictam gratiam sufficientem admittere, prout admittitur à Thomistis, vel ab aliis

qui

qui ad omnes actus salutares requirunt gratiam per se efficacem ut necessariam, quia tum si quæ dicatur merè sufficiens sive ab efficaci distincta, non est reipsa & propriè sufficiens. Hinc secundùm eandem factionem quisquis in peccatum labitur, præceptum in rigore & propriè observare non potuit, utpote auxilio necessario & omni verè ac propriè sufficienti destitutus, atque adeò peccavit ex propriè dicta & liberam hominis determinationem antecedente necessitate. Ideò semper studiosè cavent, ne agnoscant 5. propositiones esse rectè condemnatas in sensu Jansenii seu ejus libri, quia satis vident hunc esse ejus sensum obvium.

Baccalaureus cum Thomismi larvam sibi suisque ita avelli persentisceret, nihil habuit potius quàm ut ista Venantii dicta omnia cum stomacho respueret. Fabulæ, (vociferabatur) nugæ, somnia, commenta, deliria, male feriatorum hominum atque malevolorum intemperiæ. Ariovistus verò effervescentem Baccalaurei animum lenire conatus est, quem in finem ei proposuit singularem illam, quam affectat Novatorum factio, gravitatem morum. Ostendit etiam nihil hîc peccatum esse à Venantio, dictum nihil quod probari haud queat evidentissimis exemplis. Estne, mi D. Baccalauree, inquiebat. inter alia, illus liber qui à prætensis S. Augustini discipulis tanti fiat, quanti Epistolæ Provinciales Ludovici Montaltii? Hæ post Romanam condemnationem in plerasque linguas translatæ, typis eduntur novis elegantissimisque, obtruduntur omnibus, laudantur, inculcantur. Epistola autem 2. sic habet; " Certè, mi „Pater, si quid in Gallia possem, hoc curarem publicè „à præconibus prædicari: Notum omnibus esto, cum „omnibus adesse gratiam sufficientem Dominicani di„cunt, id eos significare velle non omnibus adesse gra„tiam, quæ reverà sufficiat. Hoc facto tum vobis (Do„minicanis) sufficientis gratiæ buccinandæ fieret pote„stas. At priùs nullo modo hic nostræ disputationis fi„nis, ex qua facilè cernes hanc gratiam politicè tantùm „sufficientem esse proximæ potestatis plane gemellam." Nonne hîc idem dicitur quod à Venantio dictum est?

Sed

Sed juvat, ait Venantius, alia quoque proferre testimonia. Nuperus Palladius apertus Jansenii defensor, in Crisi contra Martinum Steyaert Doctorem Lovaniensem conclus. 7. eum redarguit, quòd gratiam admittat Thomisticè sufficientem. " Miram, inquit, quandam & exoticam gratiam sufficientem Thomisticam, „quæ non sufficit, tametsi essentiam ejus saltem quemad-„modum à Theologo nostro depingi videtur, non velimus „rejectam, nomenclaturam tamen insigni absurditate de-„liram arguere non dubitamus: dicit esse nuncupationem „ludicram, quia, inquit, verbo sufficit, re non sufficit." Ibidem dicit " Querimur vocem omnibus innatis nationi-„bus repugnantem, nec nisi politico cuidam concentui, „vel decipiendis imperitis ac Molinisticæ demùm gra-„tiæ inferendæ idoneam in Lovaniensem Academiam „jam intrudi. " Vides? mi Baccalauree, Palladius *Essentiam gratiæ istius*, prout depingitur debilis quidam motus obtinens tantùm velleitatem, *non vult rejectam*; sed ægre fert eam vocari *gratiam sufficientem*, cum non sufficiat. *Nihil quoque*, inquit, *ad obvelandam vocis turpitudinem confert, quòd addatur Thomisticè, nec enim magis licitum delirare Thomisticè quàm Scotisticè.* Veretur Palladius fictitius, sed Belga satis notus, ne paulatim cum vocibus introducatur doctrina Thomistica, imò ne multi discipuli conspicati gratiam sufficientem admittendam esse, atque aliunde fortè non assequentes, quomodo gratia, quæ Thomisticè sufficiens vocatur, verè sufficiens sit, transeant ad gratiam sufficientem tradi solitam à Doctoribus Societatis; & ne damnata Jansenii doctrina paulatim Belgio eliminetur & inducatur directè opposita. Ita dum liberiùs loquuntur, nec Thomistarum patrocinio, nec pallio ad obtegenda sua sensa indigere se arbitrantur, simul cum respectu humano rejiciunt modos istos loquendi politicos, gratias Thomisticè, sive ut ajunt, politicè tantum *sufficientes*, potentiam agendi cum tali gratia sufficienti *proximam politicè*, utpote *gratiæ isti gemellam*; neque curant concinere Thomistis, quibus videri volunt consentire.

Inter hos candidioris pectoris, subdit Ariovistus, nuper

per erat Eugenius de Gelder Brugensis, & est Matthæus Rouvroy, qui tamen nunc urgente durissimo necessitatis telo, nempè Decretis Regiis contra suspectos, & metu ne Roma adhibeat remedium efficacius ad reliquias Jansenismi radicitus evellendas, non minus quàm Doctor Hennebel & ipse Doctor Huygens assumet gratiam politicè sufficientem, & ei gemellam proximam potestatem.

Hunc, pergebat Ariovistus, cum Thomistis *concentum* discere coacti fuerunt nuper Duaceni aliquot Theologi, quamvis fraudulenta hæc politica detecta statim fuerit, productis in medium eorum litteris & scriptis occultis. Rem hanc exhibeo ipsorum verbis, quæ hic habeo penes me fideliter descripta.

Petrus de Ligny in Epistola scripta anno 1690., 5. Novembris: *Sensum nostrum expressissemus terminis fortioribus*, approbando 7. Theses doctrinæ Jansenii planè conformes, " sed rationes sequentes continuerunt Do-„minos De Laleu & Rivette: non potuerunt clariùs se „explicare, nisi occasionem præbendo inimicis gratiæ „Jesu Christi, eos accusandi contradictionis, ut nihil „dicam de calumnia graviore; quia paulo pòst quam D. „Gilbert jussus fuerit excedere Duaco, qui fuit effectus „furoris Jesuitarum, subscripserunt cuidam scripto, in „quo gratia efficax & sufficiens exponuntur more Tho-„mistico. Duo Domini De Laleu & Rivette, docen-„tes & explicantes in scholis publicis utuntur ordinariè „modis loquendi Thomistarum in materia de gratia: „atque ita Molinistarum malignitas eos traduxisset tam-„quam homines habentes pondus & pondus."

Petrus Rivette in Epistola data anno 1690., 23. Augusti: " Quandoquidem Deus hanc mihi gratiam præ-„stiterit quòd studuerim Lovanii, apprimè imbutus sum „omnibus sententiis S. Augustini quæ illic traduntur, „præsertim de adjutorio sine quo non naturæ innocen-„tis, & de adjutorio quo naturæ corruptæ; atque ita quòd „non debeamus illam prædeterminationem admittere: „nihilominus quamquam pro eo quod debeo veritati, „protester &c. " Tamen in scholis publicis simulabant

se

ſe illam *tenere* propter rationem in Epiſtola D. de Ligny expreſſam.

Idem Revette in iiſdem litteris; " Utinam liceret in „ſcholis Philoſophicis loqui de gratia & libero arbitrio „quemadmodum Auguſtinus locutus eſt! ſed nondum „eſt tempus. Gratia ſufficiens devenit quaſi neceſſaria; „ſi ad actionem, ad quam ſufficiens vocatur, non ſuffi„ciat, ſufficit ſaltem ut nos liberet ab adverſariorum „noſtrorum inſidiis. Ceterùm eâ voce utor quàm poſ„ſum rariſſimè & ſemper ſolicitè addendo particulam „alienantem ſenſu Thomiſtico." Audin D. Baccalauree, interjicit Venantius, ultimas illas particulas?

Mox iterum Arioviſtus proſecutus eſt, aiens; D. De Laleu in Epiſtola anno 1690., 8. Auguſti." Ad nos „quod attinet, ſatis perſuaſum habemus, quòd præſtaret „uti modis loquendi antiquorum, verùm judicamus non„dum eſſe tempus: non eſt modò nobis tempus trium„phandi, ſed ſolum tempus defendendi nos in receſſu."

Idem in Epiſtola ejuſdem anni 2. Novembris. " Ex„ultarem gaudio, ſi tempus adveniſſet nos explicandi, „& haberemus libertatem loquendi, ut S. Auguſtinus. „Fateor me non ſatis exploratum habere ſtatum rerum, „ut de hoc judicare queam; ceterùm caveamus, ne „præveniamus horam à Deo conſtitutam. Etiam D. Gil„bert crediderat illam adveniſſe, ſed eventus docuit con„trarium. Similiter & Eugenius de Gelder putaverat tem„pus adveniſſe, ſed & ipſum eventus contrariumdocuit."

Tum Venantius ſubjunxit; Ita quoque Janſenianus ille, qui Epiſtolam ſcripſit ſub nomine Miniſtrorum Lugdunenſium in Hollandia anno 1693., 3. Martii, cenſebat tempus adveniſſe, ubi ad terrendum Pontificem & Regem hortabatur ſuos, *ut exirent ex illa Babel* Eccleſia Romana, & tranſirent ad Reformatos. Hæc Epiſtola, dicit Baccalaureus, nihil ad nos attinet. Attinet enimverò, Venantius affirmat: nam hanc Epiſtolam typis editam non eſſe Miniſtrorum Calvinianorum, ſed alicuius Janſeniſtæ, ſatis evidens apparet vel ex eo quòd Autor poſt medium dicat " Ad non leves anguſtias & ad „ipſam pænè, ut in ſcholis loquuntur, non loqui me-

tam

„tam redacti eramus per quosdam Romano-Catholi-
„cos, quos Jansenistas, aut cum Humberto (Archie-
„piscopo Mechliniensi) Severistas vocant. Scripserant
„non contemnenda verè opuscula de cultu Sanctorum,
„Reliquiarum & Imaginum, de Morali Christiana, de
„lectione Scripturæ Sacræ, aliisque id genus argumen-
„tis; & satis plausibiliter probaverant non posse à nobis
„eo in negotio Ecclesiæ Romanæ nisi abusus aliquot &
„excessus, quos & ipsa improbat, objici." Hactenus
Epistola.

Profectò, Doctissime D. Baccalauree, inquit Ariovistus, hîc debeo iterum astipulari Venantio: quippè quam illius Epistolæ appellavit laciniam, hæc Autorem factionis Jansenianæ, non autem Ministrum Calvinianum esse satis probat omnibus, qui utcumque exploratum habent talium Ministrorum ingenium atque superbiam: *Redigere* quempiam ad non loqui metam phrasis Lovaniensis est significans idem quod aliquem redigere ad incitas, ita ut argumentis respondere nequeat, sed cogatur silentio suo fateri victum esse se. Hoc sibi contigisse à Jansenistis fatebuntur publicè impressâ Epistolâ Ministri Calviniani? Id nemini umquam persuaseris. Quoad illam Epistolam, ait Venantius, unum oportet addere. Lovanii ordinarius novæ factionis Typographus exemplar in consortio obtulerat Rectori Academiæ, à quo propterea in judicium vocatus, respondit ab ignoto sibi missum, atque istud se Rectori tamquam superiori deferre. Sic pœnam evasit nisi quod aliquos litis sumptus subierit. Si similia, inquit Ariovistus, in Italia fierent, S. Inquisitio brevî detegeret & Autorem & Typographum.

Satis crediderim, Venantius subnexuit; & mox ex ultro citròque dictis sic arguebat; Habent itaque novi homines larvas omnis generis. Pro alia & alia circumstantiarum opportunitate larvas etiam alias atque alias assumunt. Modò apparent Calvinistæ, mòdò Augustiniani, modò Thomistæ, modò etiam consentientes Generali Societatis; semper tamen retinent sensum sui Jansenii, atque huic omnes ceteros aptare & subjice-

re

re machinantur. Ne Roſcius quidem, inquit Arioviſtus, tot perſonas agat tamque diverſas; non Proteus tot formas induat? Qua in re iterum imitantur conſuetudinem veterum hæreticorum: nam ſimile quid in Arianis obſervat S. Baſilius Epiſt. 73. "Habent illi, inquit, „aſtutum quoddam dogma ad ejuſmodi mutationes paratum; nam verbis fidei more medicorum utuntur pro „commoditate aliter ſeſe ad affectionum rationem ac „varietatem attemperantes."

Poteſne, D. Baccalauree, adjungit Venantius, audito Baſilii nomine, non reminiſci illius comparationis, quam nuper coram te inſtituebat aliquis juris utriuſque Doctor, ſcis ubi. Doctor ille, Arioviſte, Novatores noſtros ſcitè comparabat polypis, qui dicuntur colorem mutare maximè in metu. Nam ut ille aiebat, perſequentibus piſcatoribus, petris affigunt ſe, & cuicumque petræ adhæſerint, ejus colorem corpore imitantur, videlicet ne queant deprehendi. Quin ut refert S. Baſilius, alii piſces falsâ imagine decepti, nonnumquam annatant, ultro ſeſe prædonibus offerentes. Non invenuſta comparatio, ſubdit Arioviſtus, & quæ non tantùm verſipelle hominum iſtorum ingenium adumbrat, verùm etiam aliorum non ſatis cautorum, quos decipiunt, deplorandam calamitatem.

Jam verò, proſequebatur Arioviſtus, quo D. Hennebellus clariùs perſpiciat, quòd ad hoc, ut aliquis verus Thomiſta ſit & à Janſenii doctrina ſemotus, non ſufficiat profiteri " gratiam ſufficientem, verum poſſe „& quidem tam propinquum, ut ex parte potentiæ nulla alia requiratur gratia ad tribuendam illam potentiam ſeu virtutem internam, quâ homo proximè dicatur poſſe bene agere, licet aliqua requiratur, ſcilicet efficax ad actu operandum:" etiam Janſenius quamvis veram libertatem obſervandique præcepta potentiam planè deſtruxerit; tamen in omnibus qui cadunt, præſertim juſtis volentibus & conantibus obſervare præcepta ſecundùm præſentes quas habent vires, admiſit potentiam illa ſervandi, nec remotam tantùm, ſed etiam propinquam, adeò ut nihil amplius videretur re-

requirere ex parte potentiæ: nam lib. 3. de grat. Christi cap. 15. statuit primò in quovis homine potentiam observandi præcepta, quia habet voluntatem capacem gratiæ recipiendæ, atque ita ad bonum à Deo flexibilem. Deindè propinquiorem potentiam admittit in omnibus præditis habitu fidei. Tertiò, inquit, dicimur multo propinquius posse per caritatem, per quam homo justificatur. Denique in iis qui volunt & conantur licet imperfectè & non plenè, admittit alibi gratias quasdam actuales, sed concupiscentiâ debiliores, quæ potentiam adhuc majorem tribuant quàm habebatur per solum habitum. Capite citato " Ista, inquit, quæ de posse diximus, quod per fidem & caritatem datur, de donis istis „habitualibus potissimum intelligenda sunt: nam per illa dicuntur justi orare, diligere, bene vivere tentationesque superare posse, etiam quando nihil istorum „agunt. " Unde evidens est quòd non negat propinquius posse per auxilia actualia, quæ in justis, etiam dum labuntur, producunt velleitates quasdam bonas. Imò tam propinquum posse illic prædicat Jansenius, ut dicat, " „si noluerint, defectus est voluntatis, non potestatis: „hinc igitur etiam fit, ut quemadmodum ea peccata „vitare possunt, ita quoque non committant necessariò „eâ videlicet necessitate, quæ repugnat libertati, culpamque abstergat exorbitantis voluntatis."

Sed quorsum, quærit Venantius, ista tam altè repetis? Nisi Doctor Hennebellus nos vellet ludificare suâ potentiâ proximâ per gratiam sufficientem, numquam doctrinam D. Gummari Huygens adoptasset. Huygens autem ad præcepta adimplenda etiam supernaturalia non requirit ullam gratiam: sic enim habet in compendio Theologiæ pag. 24. " Neque tamen est, quòd sine „gratia sufficiente non essent liberi ad supernaturalem „præceptorum adimpletionem:" Quam libertatem constat esse fictitiam, imo impossibilem: Idem Doctor Huygens in Thesibus Lovanii anno 1684., 3. Martii confidentiùs sic pronuntiat: " Nihil à veritate magis alienum, quàm hæc assertio, AD LIBERTATEM AD ACTUS FIDEI, SPEI, CARITATIS, OMNES NECESSITATEM

„GRATIÆ ADMITTANT NECESSE EST."

Baccalaureus, qui videbat ita sibi suisque larvam Thomismi detrahi, inconditè vociferabatur, effutiens aliqua in quibus neque pes neque caput comparebat. Tum autem Ariovistus, quid D. Baccalauree, inquit, opus est insulsis tuis & inconditis vociferationibus? Agedum, dic nobis, an illa non est doctrina D. Gummari? An illam doctrinam non adoptavit Hennebellus? Conticuit Baccalaureus.

Ariovistus verò sic perrexit; Ab Hennebelio & Gummaro abeamus etiam ad alios. Jacobus Gilbert ex Theologo Lovaniensi, ut aliàs meminimus, Academiæ Duacenæ Cancellarius post censuratam suam doctrinam tamquam Jansenianam à Doctoribus Parisiensibus, ad Episcopum Tornacensem confugerat, à quo hoc tulit responsum per litteras datas 1687., 27. Junii. " Significas, „Frater, te nihil nisi justum & religiosum defendere, „cum ais quicumque caret gratiâ efficaci mandata Dei „non solùm adimplere, sed NEC ADIMPLERE POSSE, „& hic est totius tui de gratia systematis cardo, atque ut „ita dicam, occulta macula. Sed quodnam, amabo „Frater, discrimen intercedit inter tuam puram putam „doctrinam & primam è quinque ab Innocentio X. at„que Alexandro VII. damnatam propositionem disertis „verbis à Jansenio Iprensi conceptam?" Cùm itaque, ne apud illum quidem Episcopum patrocinium inveniret, à quo potissimum speraverat, & ad retractationem urgeretur ab Episcopo Atrebatensi die 27. Julii, Insulis coram Directore Seminarii Episcopalis ad hoc delegato subscripsit inter ceteros huic articulo 31." Gratiam sen„su Thomistico sufficientem quæ det posse etiam pro„pinquissimum libenter admittimus." Vides hic D. Baccalauree, professionem Hennebellianæ plane similem. Sed ideone Dominus Gilbert sensum suum retractavit? An vel lato ungue recedere voluit à Jansenio? Postea deprehensus est sub finem anni 1690. subscripsisse Thesi, in qua dicitur: " At quid de gratia sufficiente sensu Tho„mistico? minus displicet, quia particulam includit „alienantem, & nebuloso tempore occulendis gratiæ

Evan-

„Evangelicæ mysteriis est peridonea : interim cum vox „illa & res voce expressa purioribus Ecclesiæ seculis ig„nota fuerit, illam meritò ex sana Theologia relegan„dam judicamus." Quis hæc conciliet? Cum illo ante„riore dicto," Gratiam sensu Thomistico sufficientem „quæ det posse etiam propinquissimum, libenter admit„timus."

Hîc non illiberaliter jocans Venantius dixit; Illa duo, Eruditissime Arioviste, conciliantur inter se quàm facillimè: quippè cum sit nulla propositio in qua non fingant Doctores isti æquivocationes, nulla possunt pugnare tam manifestè, ut simul conciliari haud queant, atque ita subscribere norunt cuilibet professioni, modò non cogantur umquam diserte confiteri, se vel Jansenium vel aliquem suorum aut sociorum aut majorum contra fidem errasse. Nonne sic est, ut dico, D. Baccalauree? Et ut nihil dissimulem, tui omnes " in comminiscen„dis vitiligationibus nihil alienum à pravitate suæ indo„lis faciunt, neque id mirum, cùm tam vario sint & „versipelli animo, quàm Chamæleontes sint in mutan„dis coloribus; quippè quibus tantisper pudor adsit, dum „refutantur inopia hæsitationeque respondendi: sed mox „tamen resumptâ audaciâ ad causificationes fingendas „recurrant, quas si denuo convincas, fatiscunt illi qui„dem, verùm non diutiùs, quàm ut denuò ea, quæ „nusquam sunt, audaciùs fingant, & ut in Psalmis est, „inania cogitentur non alia de causa, quam ut in sua „hæresi perdurent."

Hæc verba ultima, excipit Ariovistus, non videntur esse tua, Venanti. Enimverò, reponit Venantius, mea non sunt, sed sunt verba quæ de Eusebianis pronuntiavit Magnus Athanasius in Epistola de Synodi Nicænæ Decretis contra Arianos. Nonne in Novatores Belgii perbellè conveniunt? Quis dubitat? inquit Ariovistus; & ut D. Baccalaureus id clarè cernat tamquam ea quæ oculis cernuntur, revisamus Jacobum Gilbert.

Postquam hic visus erat recessisse à sua & Jansenii doctrina atque Thomisticam amplexus, quando tamen vidit suam priorem doctrinam ab Episcopo Atrebatensi

anno 1687., 13. Augusti censurâ publicâ declarari damnatam à Sede Apostolica, audacissimè in scriptis ei respondit doctrinam suam esse *undecim seculorum* traditione consecratam, neque ab ullo reprehensam, præterquam *ab uno Pontifice* Alexandro VII. *qui voluit autoritatem suam ultra Jesu Christi institutionem evehere.* Idem Doctor postea, scripsisse deprehensus est *Alexandrum VII. sua Constitutione inflixisse vulnus gratiæ Jesu Christi.* In eadem Epistola gratulatur amico, *quod gratiam ab illo vulnere sanaverit, licet cicatrix nondum plane obducta sit,* & tamen anno 1687. circa mensem Maium in Thesi num. 39. *dum videmur*, inquit, *à gratia sufficiente sensu Thomistarum recentiorum recedere, nullo modo recedimus à re per illam in sensu Thomistico importata :* quod quis iterum conciliet cum hac Thesi, ab eo cum summo Elogio approbata? *Cum vox illa & res voce expressa purioribus Ecclesiæ seculis ignota fuerit illam ex sana Theologia relegandam censemus.* Per rem voce expressam hîc intelligit gratiam verè sufficientem ab efficaci distinctam; dum autem dicit se *à re non recedere*, intelligit gratiam excitantem, quæ à Thomistis sufficiens vocatur, sed reverà non sufficit in his circumstantiis ad obtinendum alium actum præter eum, quem obtinet. Hic perpetuum faciunt labyrinthum multiplici & erratico terminorum flexu intricatum, unde egressum facilè reperiat nemo, nisi Autores ipsi, vel qui ab Autoribus edocti sunt & ab eis quasi ariadnæo filo donati.

Venantius, D. Baccalauree, in Novatores nostros antea intorsit verba S. Athanasii; liceat & mihi, obsecro, verba S. Augustini in eosdem intorquere. Libro de peccato originali cap. 18. loquens de Pelagii litteris, *videte,* inquit, *latebras ambiguitatis falsitati præparare refugia, offundendo caliginem veritati, ita ut nos cum primò ea legimus, recta vel correcta propemodum gauderemus ; toties* (nempè Pelagius) *Dei gratiam* inclamabat, quoties Doctor Hennebel cum suis *gratiam Thomistarum sensu sufficientem.*

At Pelagius, interjicit Baccalaureus, per *gratiam* semper intelligebat *legem atque doctrinam.* Et Hennebellus cum

cum suis, reponit Ariovistus, per *gratiam Thomisticè sufficientem* intelligit *verè ac propriè non sufficientem*, ut antè demonstratum est. Tum iterum Baccalaureus; Quid magis Catholicum esse potest quàm istud ejusdem Doctoris Hennebel?" Cui gratiæ excitanti, nisi defuerimus „& pravâ nostrâ voluntate restiterimus, Deus sicut per „illam incipit in nobis opus bonum, ita per gratiam effi„cacem perficiet juxta illud Apostoli, *Deus est qui ope„ratur in nobis & velle & perficere.*"

Intelligo, continuò subdebat Ariovistus, sed & Jansenius lib. 3. de gratia Salv. cap. 15. de habentibus ejusmodi gratiam excitantem vel solam habitualem vel etiam solam nudam voluntatem, *si noluerint*, inquit, *peccata vitare, defectus est voluntatis non potestatis*, quam voluntas supplere non possit. Toto cœlo erras, ait Baccalaureus, juxta Jansenium potest voluntas defectum supplere si velit. O plumbeum acumen! exclamat Ariovistus. Quis est qui illud non rideat? *Potest voluntas defectum supplere si velit.* Quis, inquam, illud non rideat? nam D. Baccalauree, velle non potest in his circumstantiis, utpote destituta omni auxilio ad volendum necessario. Sic & juxta Doctorem Hennebel *nisi gratiæ excitanti defuerimus & pravâ nostrâ voluntate restiterimus, Deus opus bonum per gratiam efficacem perficiet.* At quomodo poterimus *non deesse*, *non resistere* gratiæ excitanti, quamdiu non habemus gratiam necessariam, ut propriè & simpliciter possimus *non deesse*, *non resistere?* Igitur toto isto verborum circuitu atque anfractu aliud non dicit Doctor Hennebel, quàm quòd Deus gratiâ efficaci bonum opus quod incepit, sit perfecturus, si nos opus bonum non omittamus; sed ad non omittendum non minùs requiritur gratia efficax quàm ad faciendum, imo quid aliud hîc est *non omittere*, *non deesse*, *non resistere*, quàm ipsum efficere? Istud *potest si velit*, Waldensis vocat GLOSSAM COMMUNEM WICLEFFI ET GENERALE EMPLASTRUM. Sic habet lib. 1. Doctrinalis art. 1. cap. 15. " Sub hac glossa communi POTEST SI VULT sedent „omnes Wicleffistæ securi; non tamen sicut Elias sub „juniperi umbra, sed sicut Jonas sub hedera. Accedat

„igitur vermis ille, qui eſt prima veritas; mentiar, ſi „radices hujus gloſſæ non comedat, unde herba marceſcat: cur negas Deum poſſe majorare mundum, quod „tamen poteſt, ſi cum vult poteſt? non inquis, cur hoc? „quia non vult, & quia nihil poteſt niſi volens: jam ecce ſuppoſui tibi quod velit, non inquis, poteſt velle, „ſed ſi vult, poteſt." Similis eſt cavillatio Hieronymi Zanchii aliorumque Calviniſtarum, qui quantumvis ineluctabili hominem neceſſitate peccandi conſtrictum cenſeant, ajunt tamen eum abſtinere à peccando poſſe ſi velit, hoc eſt, eum poſſe à peccando abſtinere ſi non peccet: nam velle abſolutè non peccare, procul dubio non peccare eſt. Quapropter iterum recordari nos oportet illud Juſtiniani in Edicto de tribus capitulis," „Solent hæretici ut ſimpliciores decipiant, vocibus quidem uti, quæ ab orthodoxis piè dicuntur, rectum autem eorum intellectum & expoſitionem ad ſuam impietatem transferre."

Sed in immenſum, inquit Venantius, hæc noſtra diſſertatio excreſcet, ſi ſedeat hoc animo cuncta proferre. Tum Arioviſtus; Scio, Venanti, ſed multa præteribimus? Hoc autem dico: Non leve argumentum in ejuſmodi circumſtantiis de bona fide novæ factionis, ut leviſſimè dicam, dubitandi videmur poſſe ducere ex dogmatum convenientia, quam profitetur cum Calviniſtis, & viciſſim cum ea Calviniſtæ. Dominus Germain in Defenſione Romanæ Eccleſiæ & Summorum Pontificum contra Leydeckerum Calviniſtam anno 1696. cum approbatione, ut præfertur, Joannis le Beau Examinatoris Synodalis, Decani & Paſtoris Leodii pag. 9." Nihil, inquit, jam amplius imò & à longo tempore ſolidæ controverſiæ invenitur Catholicos inter „& Calviniſtas quoad materiam de gratiâ, id eſt, quoad cooperationem voluntatis cum gratia in opere juſtificationis humanæ." Similia dederat idem antè & jam videtur communis eſſe eorum ſenſus: unde Petrus Jurius Calviniſta Gallus in libello cui titulus, *Spiritus Domini Arnaldi*, de Janſenii ſequacibus ſic ſcribit: *Verum eſt quod ad nos omnino acceſſerint in materia de gratia*, &

certè

certè Calvinistæ in hac materia satis pressè inhærent vestigiis sui Magistri & ab annis 47. adoptarunt Catechismum de gratia, quem Jansenii & Baii sequaces in Gallia ediderant, atque Innocentius X. damnaverat anno 1650., 6. Octobris *tamquam continentem complures sententias à Pio V., Gregorio XIII. & Urbano VIII. damnatas*. Eundem Catechismum novis typis donavit Samuël Maresius Minister Calvinianus Groningæ anno 1651. notis & præconiis auctum, qui dein rursus damnatus est ab eodem Pontifice anno 1654., 23. Aprilis: sed his nequidquam obstantibus, rursus fertur à prætensis Augustini discipulis in lucem protrusus recentissimè.

Imo ipse Jansenius, dicit Venantius, in Epistola Lovanii scripta 1620. ad Joannem Vergerium Abbatem Sancyranum; fatebatur se cum Calvinistis Dordracenis consentire in materia de prædestinatione & reprobatione. "Concilio, inquit, Dordraceno finis impositus est; illud jam multo tempore habeo Flandricè, Latinum „quod ad te mitterem exemplar, consequi non potui; „vix differunt Dordraceni à doctrina orthodoxorum in „materia de prædestinatione & reprobatione prætermisso „quidquid durum sonabat in doctrina Calvini, si exce„peris quam retinent certitudinem de prædestinatione, „justitiam perdi nesciam, & quosdam alios errores."

Tum sic prosecutus est idem Venantius; Vicissim Melchior Leydeckerus Minister Calvinista Ultrajectinus in sua de *Jansenismo Historia* anno 1696. pag. 275. postquam retulit aliqua ex Carolo de Bont Licentiato Lovaniensi adhuc superstite. *Hic*, inquit, *Carolus Bontius, quem laudamus ut Jansenistam ingenuum præ ceteris, ipsoque Patriarchâ meliorem.*

Multa evidentiora & graviora, inquit Ariovistus, contra eundem Licentiatum habemus testimoniis Autenticis comprobata. Quæ omnia quamvis enormia sint & quantum apparet evidenter consentanea in sensu obvio damnatis in Jansenio propositionibus; tamen non recusabit is subscribere cum Doctore Hennebel, & in ejus sensu, gratiæ Thomisticè sufficienti, ac quibuscumque terminis superiùs ex eodem Doctore allegatis.

Cur igitur, quærit Baccalaureus, non acquiescitis? Respondit Venantius; Cur his acquiescere nequeamus, ratio multiplex à nobis allegata jam est, pluribus aliis brevitatis causâ prætermissis. De Pelagianis dicebat olim Leo Papa Epist. 86." Novimus hanc eorum esse versu-„tiam, ut in quacumque particula dogmatis execrandi, „quâ se à damnatorum societate discreverint, nihil si-„bi sensuum suorum existiment esse non salvum." Estne ulla particula dogmatis, quod ut damnatum execrantur omnes Doctori Hennebel adhærentes, cujus damnationem non ita temperant, ut intactam relinquant universam Baii & Jansenii doctrinam? Edicat nobis Doctor ille Hennebel, an saltem apex aliquis, & quis ille sive in Baio, sive in Jansenio rectè damnatus sit eo sensu, quo ab iisdem Autoribus traditus fuit. Edicas tu, D. Baccalauree. Quid iterum conticescis?

Hæc interrogatio Baccalaureo vocem tandem expressit. Ut ut sit, inquiebat, Thomistæ sumus. Vos Thomistæ? ait Venantius. Qua in re obsecro? Certè Thomistæ omnes tamquam à blasphemia abhorrent ab hac propositione; *Multorum utilitati non satis accommodatus est S. Thomas.* Nihilominus hanc propositionem impavidè tradit Joannes Opstrate in Theologo Christiano Lovanii anno 1692. pag. 100. Idem ibidem: pag. 119. & 120. invehitur in Theologos Scholasticos; " Ab „ipso, inquit, cursûs Theologici initio immergunt se in „lectionem sterilis alicujus Scholasticæ, in qua quæstio-„nes quidem, sed philosophicè pertractatas inveniunt: „ubi hoc maximè deplorandum, quòd qui deberent „totos se in hoc impendere, ut ideas, quas inter Phi-„losophos hauserunt, cum veteri homine exuerent, jam „quasi tantum è Philosophia in Philosophiam translati, „unum hoc putant esse Theologi negotium, ut quem-„admodum priùs de rebus Philosophicis in Philosophia „contendere didicerant, ita nunc in Theologia discant „contendere de rebus Theologicis." An huic placito consentient Thomistæ?

Hîc mihi pæne exciderat Matthæus Rouveroy Theologus Lovaniensis, qui Namurci in dictatis publicis de

gratia,

gratia, obſervatione 7. ubi dixerat " quòd qui ſtatuunt „gratiæ efficaciam in prædeterminatione non rectè ſen- „tiant de differenda abſolutione, hæc addit; Aliud eſt „quod iſtos Theologos facit malè judicare de conver- „ſione peccatoris, & conſequenter de dilatione ab- „ſolutionis, nempè certi modi loquendi S. Thomæ & „Thomiſtarum veterum, quos minùs intelligunt, ut „ſunt hi; MINIMA GRATIA, MINIMA CARITAS SUFFICIT „AD JUSTIFICATIONEM."

Dum hi hæc ſcripſerunt, ſubdit Arioviſtus, habuerunt veriſimiliter in promptu id quod contra Theologiam Scholaſticam effutiit Lutherus in confutatione rationis Latomianæ ſub finem. Sic autem garrit; " Ex iis puto „ſatis monſtratum, Theologiam Scholaſticam eſſe aliud „nihil, quàm ignorantiam veritatis, & ſcandalum jux- „ta ſcripturas poſitum, &c. Ex fructibus ſuis cognoſci- „tur Philoſophia & Scholaſtica Theologia. Thomas Au- „tor eſt regnantis Ariſtotelis, vaſtatoris piæ doctrinæ &c." Quid adversùs eamdem Theologiam ſcripſerit Calvinus, quid Melancthon, quid Beza, quid Suavis Polanus, quid denique alia hujuſcemodi hominum monſtra, mitto dicere, tum quia id ſatis notum eſt, tum quia reſtant aliæ Hennebellianorum propoſitiones recenſendæ.

Autor notarum in Decretum Archiepiſcopi Mechlinienſis anno 1691. pag. 6. " Libri ſodalitatum errori- „bus, ſuperſtitionibus ac mendaciis referti ſunt."

Petrus de Ligny in declaratione ad Epiſcopum N. Duaci circa anno 1690. art. 11. " Monachi conſopiunt „plebem, eamque in pravis ſuis peccandi conſuetudini- „bus detinent ſpe impunitatis, & fiduciâ quarumdam „indulgentiarum pro articulo mortis annexarum qui- „buſdam ludicris devotionum figmentis, quæ ad muta- „tionem morum non conducunt ſed ſiſtunt in cultu „quodam exteriori & ſemi-Judaïco."

Idem art. 12. " Inter eas devotiones populares nume- „rari poſſunt Scapulare, Roſarium, Funiculus, aliæ- „que Confraternitates. Obſequium præſtaret Eccleſiæ, qui „devotiones illas phantaſticas, & plus ludi mimici quàm

veræ

„veræ pietatis continentes aboleret. "

Zegerus Van Espen Doctor Canonum Lovanii, domesticus Gummari Huygens dictavit publicè ex professo tractatum de devotionum istarum, ut aiebat, *abusibus*. Quo Religiosos, nominatim Thomistas, contra se non parum commovit, dicentes ordinariam esse Novaturientium praxim, ut Lutheri, Erasmi &c. totos effundi in Ecclesiæ ac vulgarium devotionum abusus, ut devotiones ipsæ ac proprii earum præcones paulatim in contemptum & ludibrium adducantur.

Joannes Opstraet in Thesibus Mechliniæ 1690., 6. Februarii agens contra eum qui moribundo proponit indulgentias plenarias lucrandas in articulo mortis, & nihilominùs suadet ut curet fieri post mortem sacrificia pro anima sua; non intelligo, inquit Opstratius, "quid „opus sit Missis, si valeat ipsius indulgentia, ut sonat, „ni fortè non tam Missis opus sit quàm Missarum sti„pendio, non ad refrigerandas animas in Purgatorio, „sed in refectorio. "

Os infrunitum! exclamat indignabundus Venantius. Nullus umquam Erasmus adhibuit tam sacrilegos sales. Quàm sacrilegi, inquit Ariovistus, sint isti sales, non est, Venanti, hujus loci discutere. Hoc autem quæro ex D. Baccalaureo, an ullus verus & genuinus Thomista cum tanta despicientia locuturus sit de Theologia Scholastica, de S. Thoma, de prædeterminatione physica, de Sodalitatum libris, de Monachis, de Scapulari, de Rosario, de Funiculo, de Indulgentiis, de Missæ sacrificiis denique pro tali mortuo offerendis.

D. Baccalauree, ait Venantius, ne umbram quidem Thomismi in tuis invenio. Immeritò ergo Hennebellus dictis suis, quæ jam confutavimus, subnexuit; "Ex „his judicare dignabitur æquus Lector, quantæ sint frau„des nostræ, dissimulationes & artificia, & quàm verè „dicamur mendacium posuisse spem nostram, qui dog„mata nostra non tantùm verbis Thomistarum, sed ip„sis eorum, qui nos accusant, imò ipsius Reverendissi„mi Patris Thyrsi verbis expressimus? Dicant nunc dein„ceps qui voluerint nos nobis pro arbitrio nostro ob-
vios

„vios propositionum damnatarum sensus fingere. Nobis „sufficiet accusatoribus ejusmodi reponere, quòd in 5. „propositionibus eos omnes damnemus errores, quos „damnat Generalis Societatis Jesu: nisi forte alios aper-„tè damnet, alios verò per cuniculos quasi damnatos „haberi velit." Immeritò, inquam, ista subnexuit Hennebellus.

Tum Ariovistus dixit; Nullius Lectoris judicium formidat P. Generalis Jesuitarum. Atque utinam his nostris concertationibus interfuissent omnes qui Hennebellianum Scriptum umquam legerunt! statuere possent,

1. An nihil Jansenismi, Rigorismi & Novitatum sit in Belgio?

2. An Doctor Hennebel, qui hæc omnia satis perspecta habet, rectè defendendos suscipiat omnes istarum sententiarum Autores.

3. An non hoc ipso valdè suspectum se faciat, imò & reum omnium istarum propositionum?

4. An satis sincerè Sedem Apostolicam informet de statu Belgii, quando de his omnibus silet, & tamen se omnes suos & omnium, quos defendit, sensus exponere testatur.

5. An sit digna Doctore Catholico & Sacerdote ea temeritas, quâ se audet opponere suo Ordinario & omnibus Belgii Episcopis, ut Novatores defendat, neque veretur coram Sede Apostolica omnes Episcoporum, septem Provincialium Religiosorum aliorumque de Novitatibus querelas falsitatis arguere.

6. An Doctor ille rectè prospiciat incolumitati Belgicæ, quando persuadendo, quod nihil Jansenismi Rigorismi, aut Novitatum in Belgio sit, persuadet non esse opus ulteriori remedio, & quidem illi se opponit Memorialibus & machinationibus.

7. An non sit reus læsæ Majestatis Regiæ, quando illam ream facit inobedientiæ inauditæ contra Decreta Apostolica, perfidiæ, perjurii, injustitiæ summæ, & Regiminis Tyrannici, ut facit in Memoriali Pastoris S. Catharinæ Bruxellis oblato, & à se adoptato.

8. Quam pœnam mereatur, qui in Memorialibus publi-

publicis audet imponere atque ita contra Regem concitare Illustrissimos Brabantiæ Ordines?

9. An non meritò de tali factione usurpetur illud Isaïæ *Posuerunt mendacium spem suam, & mendacio protecti sunt.*

Enumerandi finem fecerat Ariovistus, cum Venantius dixit; Nihil necessum est, candidissime Arioviste, quidquam respondeas ad cetera, utpote ad quæ satis superque responsum est antea. Æquum dicis, inquit Ariovistus, & quòd Rev. Adm. P. Generalis non Alios sensus quasi damnatos haberi velit, quàm Sede Apostolica damnaverit, patescet ex dissertatione proxima, quam, si visum fuerit, horis serotinis instituemus.

DISSERTATIO X.

De Conclusione Hennebelli.

SUb vesperam remearunt ad eumdem locum. Et dum Venantius confabulabatur cum Baccalaureo de rebus satis indifferentibus; Ariovistus prospiciens per fenestram, mirabatur horti situm, naturam & ornatum. Accessit tandem uterque socius, & quærebat Venantius, quid rerum volutaret animo. Responsum autem, quod retulit, tale erat; Vehementer recreor, optime Venanti, horti tui amœnitate; sed ut quod res est libere eloquar, longè magis recreor nostris de Hennebelliano Scripto sermonibus. Illos, inquit Venantus, resumemus, ubi tibi placuerit. Tum Baccalaureus ait; Nihil superest nisi ejusdem scripti conclusio, in qua Magister meus Hennebellus non solum subtilem disputatorem se præbet, verùm etiam oratorem vehementissimum. Tam pulcrè perorat adversùs Jesuitas perturbatores pacis publicæ. Illum audite, & ad singula animum advertite.

" Cum præfati Thologi tam clarè sensa sua exprimant, „tantaque veneratione decisionibus Apostolicis se submit„tant, nemo est qui non videat, quàm facilè omnia „Belgii dissidia componi possent, si Pater Generalis ejus„que socii pacem amarent: verùm ab hoc pacis spiritu

„tu multum hactenus alieni videntur, usque adeò, ut „quo clarius præfati Theologi doctrinam suam exponunt, „tanto impotentius eos accusent omnesque, mundi Po„testates contra eos commovere nitantur: nempè ipso„rum interest fovere in hominum mentibus Jansenis„mi ac Rigorisini phantasma, ac de illo suspectos sem„per reddere præcipuos Academiæ Lovaniensis Theo„logos: jam enim experti sunt, quomodo hoc artificio „Doctores SS. Augustino & Thomæ addictissimos & „Morali laxiori præ ceteris infensos, per fas & nefas, de „Jansenismo & Rigorismo eos accusando, à Cathedris „excluserint: quomodo iis exclusis alios sibi devotos ad „Cathedras aliasque dignitates evexerint: quomodo stu„diosam juventutem ab Academia Lovaniensi averte„rint, & ad scholas suas allexerint persuadendo paren„tibus quàm sit periculosum liberos suos erudiendos „tradere professoribus, quorum fides suspecta est, qui „si professorum suorum principiis adhæreant, ab om„nibus muniis autoritate Regia arcendi sunt. Exaggerant „insuper jam passim ab ipsis Episcopis tam à Beneficiis „quàm Ordinibus sacris arceri quotqnot ejusmodi prin„cipiis imbuti sunt, aut etiam de iis suspecti haben„tur."

Non diffiteor, subdit Ariovistus; hîc vehementem & audacem oratorem agit Hennebellus, sed tamen istorum nihil poterit persuadere iis qui quæ à nobis hactenus probata sunt, diligenter expenderint. Quidni? inquit Baccalaureus. An forte non credis illos Theologos sensa sua clarè exprimere, summaque veneratione decisionibus Apostolicis sese submittere? Jocone hæc dicis, inquit Ariovistus, an serio? Serio, reponit Baccalaureus.

Tum iterum Ariovistus; Quomodo, D. Baccalauree, hoc potest jam saltem cadere in tuum sinciput? Etenim quàm clarè & adæquatè *sensa sua* quæ habent in Belgio, exprimant Theologi isti Romæ, *quantâ veneratione decisionibus Apostolicis sese submittant*, planum fit ex jam relatis eorum sententiis propositionibusque. Neque potest, adjungit Venantius, tibi D. Baccalauree, ulla dubitatio relinqui

relinqui de relationis fidelitate. Libros, paginas, capita quantâ potuimus accuratione maximâ designavimus, nec non tempus ac locum defensarum Thesium, & ipse oculis pleraque usurpasti tuis. Quod si lubet, tibi iterum scripto dabimus omnia, etiam illa quæ tuus recitavit Parochus. Exhibe ea cuicumque volueris, & sicubi error ex inconsiderantia irrepserit, non dissimulabunt tui. Imo, Inquit Ariovistus postulamus, ut non dissimulent, atque ita indubitatæ fidei fiant reliqua. Tale scriptum, ait Baccalaureus, non recusabo. Etiam dabitur, reponit Venantius.

Interim ex his, idem Venantius prosequebatur, *nemo est qui non videat omnia Belgii dissidia non aliunde orta esse*, quàm ex tot novitatibus dogmaticis & practicis, ex tam irreligioso Constitutionum Apostolicarum contemptu, ex tam scandalosa irreverentia contra Episcopos, ex tot famosis & absurdissimis libellis contra Ecclesiasticos Superiores etiam Cardinales, Quæsitores fidei, Pontifices, uti & contra Regem Catholicum, & supremos ejus Administros. Quomodo hæc omnia, D. Baccalauree, *componi possunt* cum debita Episcopis & summis Ecclesiæ Principibus, atque eorum Decretis reverentia observantiaque? Non existimo repertum iri vel unum non præoccupatum, qui auditis nostris dissertationibus, Judicaturus sit, hæc omnia, sive cum Christiana pace, sive cum fide Catholica *facilè componi*. Et cedo, D. Baccalauree, mutarentne tui omnes sententias suas, eisque directè pugnantes tenerent, si *Pater Generalis ejusque socii pacem amarent?*

Vix Venantius ista finierat, cum Ariovistus ita fatus est; Factioni Hennebellianæ adversarios neque solos neque præcipuos Jesuitas esse demonstravit Autor *Motivi Juris* pro Decretis Regiis à calumnia vindicandis toto cap. 3. part. 2. pag. 48. & sequentibus: illic evincitur præcipuas in toto hoc negotio partes agere omnes simul Belgii Episcopos, ut patet ex eorum Decretis, ex Epistolis communibus ad Pontificem & Regem, ex tot eorum Congressibus, in quibus plerumque partem aliquam Doctores Academici Lovanienses

ex

ex Clero & Religiosis Ordinibus habere noscuntur, nullam Jesuitæ. Lovanii, Doctori Hennebello & ejus sociis adversatur pars major Universitatis: & quidem major pars Facultatis Theologicæ, ac Professores Theologiæ, qui Lovanii sunt, ferè omnes. Ab his scribuntur contra Doctorem Hennebel, & ei adhærentes litteræ gravissimæ Romam, inconsultis imò insciis Jesuitis; nisi quòd his postquam scriptæ sunt, ostendantur ut dispiciant, an sua nomina nominibus aliorum qui subscripserunt, velint adjicere: inter 7. Ordinum Provinciales quoque qui contra tuos scribunt, neque primus, neque præcipuus est Provincialis Societatis.

At Jesuita est P. Palazol, inquit Baccalaureus, & is in Hispania agit contra Hennebellianos. Sed, D. Baccalauree, subdit Venantius, an illa digna est Baccalaureo consecutio? P. Palazol Jesuita agit in Hispania contra Hennebellianos; ergo Hennebellianis adversarii sunt soli & præcipui Jesuitæ. Profectò injuriam facis Lovaniensium Dialecticæ ubique adeò celebratæ. Quod in Hispania agit Pater Palazol, est, ne omnibus Belgii Episcopis, plerisque Religiosis Ordinibus, majori parti Theologorum Lovaniensium etiam Academicorum in tam pio opere deesse sola ferè Societas videretur & quidem contra instituti sui rationem.

Et dic quæso D. Baccalauree, unde bellum ex tantis contentionibus exarsit ultimo decennio? Nunquid tumultuandi occasionem primam & unicam arripuerunt Novatores ex Decreto Alexandri VIII. contra propositiones 31. & ex Decretis Episcoporum pro Constitutionum Romanarum observatione? Contra illa tanti clamores excitati sunt: contra illa tantus infamium libellorum turbo desæviit. Hæc audacia, quia non satis refrœnata initio fuit, progressa est ad defensionem apertam totius doctrinæ Jansenii; inde gradus factus ad resuscitationem totius Bajanismi, recenti editione emissis in lucem omnibus Baii operibus, & MSS. etiam iis, quæ nunquam antea impressa fuerant. His additæ notæ, & vindiciæ, quibus hostes Romanorum Pontificum & Ecclesiæ infensissimi non possent excogitare magis virulen-

tas

tas. *An hæc omnia facilè componi possent, si P. Generalis, ejusque socii pacem amarent? Quo clariùs* adversarii nostri, doctrinam suam exponunt tot Pontificum Constitutionibus directè & manifestè in sensu obvio repugnantem; *quo clariùs* produnt contemptum omnis potestatis Apostolicæ, Episcopalis & Regiæ; *quo clarius* instaurant, quidquid umquam in Bajo, Jansenio, eorumque sequacibus supremâ autoritate damnatum est; eo magis necesse est contra audaciam in Ecclesiarum Belgicarum exitium vergentem, commovere Ecclesiæ Potestates etiam seculares, ad quas pertinet ea, quæ à Sede Apostolica definita declarataque sunt, contra refractarios ac perduelles defendere, & executioni mandare.

D. Baccalauree, inquit Ariovistus, hîc Venantius oratorem sese præbet adeò vehementem, quàm Hennebellus ipse. Verùm an Hennebellus agat etiam bonum Dialecticum, ubi concludit *Jansenismum* ac *Rigorismum* esse phantasma, potes tu ipse satis discernere, si cuncta quæ in eam sententiam diximus, volueris animo æquo ponderare, & mentem à partium studio tantisper abducere.

Sed quâ specie veri, rogat Venantius, potuit Hennebellus affirmare, Societatis *interesse foveri* hæc dissidia? Certè si commodum temporale spectetur, nullum tale in Societatem inde redundat. E contrario, inquit Ariovistus, Societatem gravissimas propterea pati persecutiones, vulgo notissimum est. Tota enim factio, quæ & numero & patrociniis pollet, suam rabiem in unam ferè Societatem evomit. Quot calumniarum jaculis Societas impetitur! his plerique Novatorum libri pleni sunt: & si istiusmodi homines talia palam scribunt, quid non præsumendi sunt insinuare clam, ubi mendacia convinci nequeunt? Quàm multi minùs cauti partim his fidem habent, partim suspicari sinistrè incipiunt de Societatis integritate, partim saltem de ea dubitare, meliori æstimatione cohibitâ, quam ab ipsa pueritia sibi à parentibus instillatam, & sub Patrum disciplina in scholis auctam, hucusque conservarant! quot inde præclari juvenes à Societatis instituto avertuntur! Infinitus

sim

sim, & fortè odiosus, si damna quæ ex his dissidiis Societas subire cogitur, persequar distinctiùs.

Fac, ait Venantius, jam componi ista dissidia. Quid tum? Parum aut nihil *intererit Societatis*, sive Doctor Hennebel & Doctor Huygens, sive alii ad lectiones publicas aliaque officia promoveantur. Quin & ubi aliquid tunc fortè ad Doctoris Huygens & Doctoris Hennebel promotionem, Societas contulerit, non minus ab his, quàm à ceteris humanitatis poterit expectare.

Sic & ego, inquit Ariovistus, mihi persuasum habeo. Sed miror, optime Venanti, quòd Doctor Hennebellus se suosque vocet *præcipuos Academiæ Lovaniensis Theologos*. Miror, respondet Venantius, id mirari te; quasi verò ignores Factionem illam semper hoc sibi vindicasse, ut eo ipso quo aliquis ei nomen dederit, fiat *doctrinâ & pietate conspicuus*, *excellens*, *plenus meritis &c.* Tertullianus lib. de præscrip. adversus hæreses cap. 16. *nusquam*, inquit, *faciliùs proficitur*, *quàm in castris rebellibus*, *ubi ipsum esse illic*, *promoveri est.* Hoc ipsum haud inconcinnè explicuit Leontius lib. 1. contra Nestorium & Eutychen in princip. *Se ipsos sapientes esse jubent*, *& sunt tamquam ex jussione sapientiâ præditi*, *quos eruditos esse facit velle tantum.*

Res mira! Subdit Baccalaureus. Hîc iterum Doctores, *SS. Augustino & Thomæ addictissimos*, tacitè comparatis cum hæreticis. Nonne vobis religio est id facere? An illi Doctores, quærit Ariovistus, sunt *SS. Augustino & Thomæ addictissimi?* Ita quidem Hennebellus asseverat, fateor, sed id tum credam, cum S. Augustini & S. Thomæ erga Apostolicas sanctiones obedientiam imitati fuerint. Non multum SS. Augustinum & Thomam sapiunt tot sententiæ ab Eminentissimo Cardinale de Aguirre, ab Autore libri *disseminatarum per Belgium propositionum* circiter mille, & aliquot à nobis superiùs collectæ. Mihi crede, tot infamium librorum, atque imprimis operum Baii cum talibus notis & vindiciis editionem, eorumque doctrinam nec Augustinus unquam, nec Thomas approbasset.

Morali laxiori quoque, subdit Venantius, tam parum *infensi* reipsa sunt qui rigorem verbis buccinant, ut sit

nullus in Ecclesia Theologus, qui tam intolerabiles laxitates unquam, tamquam probabiles, vel oculis aspicere ausus sit, quales Rigoristæ illi tamquam Evangelia amplectuntur & insinuare omnibus cupiunt. D. Baccalauree, considera tantum paulo attentiùs aliqua ex iis quæ allegavimus principia, & judica quid omnibus hactenus à Sede Apostolica definitis dogmatibus, adeòque quid Ecclesiæ, quid fidei nostræ futurum sit, si talia etiam ceteris definitis articulis, ut eâdem facilitate possunt, applicentur. Quare, desinat, censeo, Hennebellus suos prædicare, quasi Morali laxiori infensos. Alioqui dicam ego, quòd ordinaria hæreticorum fraus sit reformatio laxitatis. Ita scribit Florimondus lib. 1. cap. 10. de Luthero, *Pronis auribus accipiebatur, quòd nihil nisi reformationem spectare aut poscere dicebat, protestans cetera integra & illæsa sibi fore.*

Hòc loco metuebat Baccalaureus, ne nubes integra similium exemplorum in se exoneraretur. Sed imminentem tempestatem cautè avertit sciscitando, an non verus sit Hennebellus, dum dicit *Societatem* aliquos *per nefas de Jansenismo & Rigorismo accusando à Cathedris exclusisse?* Sed vix Baccalaureus id sciscitatus fuerat, cùm Ariovistus simul & Venantius pari consensu clamant, eam esse enormem calumniam.

At saltem, inquit Baccalaureus, Patres Societatis malint scholas suas quàm alienas & sibi oppositas frequentari. Ecquid, reponit Venantius, in hoc faciunt alienum à moribus Academiæ Lovaniensis & cujuscumque scholæ, quæ suis, quàm contrariis principiis imbui malunt juventutem? " Si persuadeant parentibus, quòd „sit periculosum, liberos erudiendos tradere professori„bus, quorum fides suspecta est, qui si Professorum „suorum principiis adhæreant, ab omnibus munus au„toritate Regia arcendi sint; exaggerantes insuper jam „passim ab Episcopis tam à Beneficiis quàm ab Ordi„nibus Sacris arceri quotquot ejusmodi principiis imbuti „sunt, aut etiam de iis suspecti habentur, " prudenter monent, atque adeò hac in re reprehendendi non sunt.

Baccalaureus ad istam responsionem obstupuit ac si

tactus

tactus fuisset de cœlo. Ut se recepit, arripuit sacram suam anchoram, Hennebellianum scriptum inquam, legitque sequentia; " Sic tandem sperant (Patres Societatis) quod à longo jam tempore propositum habent, consequi, hoc est, funditùs evertere Academiam Lovaniensem, illam inquam Academiam quam Leo X. in Bulla contra Lutherum vocat *agri Dominici piissimam religiosissimamque cultricem*, quamque Philippus II. aliquando vocavit unicum præsidium & lumen fidei Catholicæ in inferiori Germania, fassus etiam quantum Catholicarum & obedientium Provinciarum in Belgio reliquum est, doctrinâ & auxiliis Academiæ Lovaniensis, Romanæ Ecclesiæ & sibi servatum esse." En novam calumniam, inquit Ariovistus. Tum excandescens Baccalaureus; Quid? inquiebat, estne calumnia laudare Academiam Lovaniensem?

Hoc ego non dico, respondet Ariovistus. Magna olim elogia Academiæ Lovaniensi data fuisse non inficior, neque omni hodie laude destituta est; sed fatendum est pariter, D. Baccalauree, quòd à Joanne Hesselio, Michaële Baio, Cornelio Jansenio, ac præsertim obstinatis eorum sequacibus aliquid maculæ aspersum illius gloriæ videatur, ut constat vel ex Brevibus Urbani VIII. & Alexandri VII. alio tempore citatis. Idem notat Cardinalis Palavicinus in Historia Concilii Tridentini, atque ipse Caramuel Lovaniensis Doctor, ac dein Episcopus. Audiamus alterum Reverendissimum D. Stryen Episcopum Middelburgensem Lovaniensis Academiæ Doctorem. Ita scribit in Epistola anni 1588., 2. Februarii. ' Post mortem meorum Præceptorum Ruardi Tapperi & Judoci Tiletani, & excessum ex hac Academia ad Episcopalem residentiam Martini Rithovii Iprensis, & Cuneri Leovardiensis Antistitum, ut Africa semper aliquid monstri, ita hæc Facultas novæ doctrinæ aliquid gignit: adeò ut liberas opiniones (Leonardi Lessii) affligat prætextu fictæ hæreseos:" horum autem Michaëlis Baii & Joannis à Lovanio (seu Hesselii) discipuli sunt, quicumque nunc temporis Lovanii, & in recentiore Universitate Duacensi Theologi nominantur.

Hîc Baccalaureus caput movebat, quo ſigno ſatis oſtendebat hanc Arioviſti reſponſionem ſibi non admodum placere. Et mox reſumens animos, Quam igitur, inquit Arioviſte, memorabas hîc eſſe novam calumniam? Calumnia nova, reſpondit Arioviſtus, in eo ſita eſt, quòd Hennebellus effutiat Patres Societatis *ſperare & à longo tempore propoſitam habere everſionem Academiæ Lovanienſis.* In eo, inquam, ſita eſt calumnia eaque non mediocriter maligna: hîc enim Hennebellus in Societatem concitat omnia Academiæ membra & alios omnes, qui aliquo ejus ſtudio tenentur.

Sed quomodo, ſubdit Venantius, omnes in Lovanienſi Univerſitate adeò cœci ſunt, ut id præter Doctorem Hennebellum eique adhærentes non videant? Hennebellus, inquit Arioviſtus, cum ſuis ſolus perſpicax eſt, ſolus lynceus, reliqui omnes cœcutiunt, non vident Jeſuitarum machinationes. Vident enimverò, ait Baccalaureus, & hoc ſatis conſtat ex libello iſto ſupplice, quem haud ita dudum Lovanienſes aliqui obtulerunt Sereniſſimo Bavariæ Duci Gubernatori Belgii. Illi aliqui Lovanienſes, dicit Arioviſtus, Hennebelliani ſunt, ſat ſcio.

At verò D. Baccalaureus, addit Venantius, ſuo ſibi jumento malum accerſit, dum hunc nobis libellum objicit: etenim ſupplices illi Lovanienſes petunt, ut Dux Bavariæ jubeat Jeſuitas toto Belgio Hiſpanico ſcholas ſuas humaniores occludere. Nil autem ſimile adversùs Lovanienſem Academiam umquam petierunt Jeſuitæ. Ergo illi Lovanienſes potiùs dicendi ſunt propoſitam habere everſionem ſcholarum Societatis, quàm Societas everſionem Academiæ Lovanienſis.

Porrò hoc propoſitum habet Societas, ut Univerſitas Lovanienſis conſequatur Profeſſores & Directores, qui condemnent Baii & Janſenii ſenſum in propoſitionibus à Sede Apoſtolica condemnatum, neque adhæreſcant aliis novitatibus proſcriptis ab eadem Apoſtolica Sede. Hoc autem propoſitum habere non eſt *ſperare*, neque *propoſitam habere everſionem Academiæ Lovanienſis.* Si iretur per ſuffragia ipſius Academiæ, & quæreretur utrum Academia eſſet funditùs evertenda, ſi neque D. Hen-

Hennebel, neque D. Huygens neque Joannes Opſtraet, neque eorum ſequaces promoverentur umquam ad Lectiones publicas vel alia officia & dignitates, credo plures negaturos.

Imò, inquit Arioviſtus, ſtaret Univerſitas, & floreret magis, quando amotis duobus aut tribus turbulentis & novaturientibus ingeniis, pax ſolida & priſca paulatim fama Univerſitati reſtitueretur. Quod ſi impugnare Doctorem Hennebel & ejus ſequaces ſit impugnare & velle evertere Academiam, multo magis Doctor Hennebel Academiam impugnat & vult evertere, quando impugnat Doctorem Steyaert & majorem Theologicæ Facultatis partem.

Hæc Arioviſtus dixerat, cum Venantius recitavit hunc alium Hennebelli textum; " Sic everſâ Academiâ Lovanienſi, ceteras quoque in Belgio ſcholas, Thomiſtarum nempe & Auguſtinianorum, vel evertere vel ſibi ſubjicere ſperant. Cum enim hi tantùm intra Monaſteriorum ſepta, ſua dogmata tradant, vix ea ad ſeculares propagantur, atque ita fiet, ut populus paſſim omnis Jeſuitarum dogmatibus imbuendus ſit. " Audiſtis Doctoris verba? Sic pergit ſomniis ſuis & calumniis ſuperſtruere machinam imaginariam, qua ſimul cum Lovanienſi Univerſitate ſubruendæ à Jeſuitis ſint omnium Religioſorum Ordinum ſcholæ, niſi Doctor Hennebel, Doctor Huygens, & Licentiatus Opſtraet ad Cathedras, ad ſanctiorem Facultatis Magiſtratum admittantur. Verùm ſine iſtis Atlantibus ſat ſibi, ſat Univerſitati tutum arbitrantur Doctores ceteri ac Profeſſores Academiæ. Multo magis inanes has umbras rident Religioſi Ordines, quorum ſcholæ & per ſe ſtant, & non magis ſibi à Jeſuitis, quàm à Baii & Janſenii ſequacibus metuunt.

Sed, inquit Arioviſtus, quid cauſæ eſt, quominus iſti Hennebellianæ imaginationi indulgeamus? Eſto itaque ex ſuppoſitione imaginaria, *populus paſſim omnis* in Belgio *Jeſuitarum dogmatibus imbuatur*; nulla hinc pernicies imminebit Belgio, ſicut nec creatur aliis Provinciis E. G. Germaniæ, ubi Societas fere ſola Univerſi-

tatibus præficitur. Jesuitæ ut ceteri mortalium, erroribus obnoxii sunt, sed his non hærent pertinaciter; sicubi quispiam aberraverit, facilè à moderatoribus vel à Sede Apostolica corrigitur, non ita Baii & Jansenii sequaces.

Numquam vos, inquit Baccalaureus, tam bellè dicetis, ut ego & Doctor Hennnebellus à Societate metuere Academiæ Lovaniensi desinamus. Sed me multum recreat id quod hîc habet Hennebellus; " Sperare „audeo. quòd singulari attentione expensura sit Sedes „Apostolica, quàm æquum sit non pati, ut evertatur „artificiis ejusmodi tam florens Academia, quæ modò „non aliam ob causam tam gravia patitur, quam quòd „doctrinam, quam Apostolicæ Sedis sensui maximè „conformem esse censet, constanter, ut semper fecit, „tueatur."

Hæccine, inquit Venantius, digna Doctore locutio est *Sperare audeo quòd*? Ne nos, excipit Ariovistus, remorentur illæ Grammaticorum quisquiliæ. Rem excutiamus, non verba. His dictis, Ariovistus egit hunc in modum; Nec *gravia*, nec levia *patitur Academia*, saltem ab externis; si quid patiatur, patitur à suis. A suis? quæsivit Baccalaureus non sine summa admiratione. Imo à suis, reposuit è vestigio Ariovistus. A suis, inquam, qui contra majorem Facultatis Theologicæ partem & sentiunt & scribunt; qui contra præcipuum Universitatis Collegium typis divulgant tam infamia motiva juris, quale nuper Joannes Opstraet, quod Rectoris sententiâ à Senatu Regio arcano approbatâ, cremari publicè debuit; qui tam scandalosè & violenter in Rectoris officium intrudere moliuntur illum, quem norunt pridem à stricta Facultate jussu Regis exclusum, & non unâ sententiâ tum Romæ, tum alibi condemnatum.

Præterea, addit Venantius, si quid patitur Universitas, non patitur *ob doctrinam Constitutionibus Sedis Apostolicæ maximè conformem*, sed ob quorumdam doctrinam, quæ propositionibus in Jansenio damnatis tam similis est, ut non possit esse *ovum ovo similius*, teste Eminentissimo Cardinale de Aguirre. Denique neque con-

tra Facultatem Theologicam oblatum est Memoriale à P. Palazol, sed tantùm contra eos, quibus pars major Facultatis Theologicæ non minus adversatur, imò multo ardentiùs quàm Societas.

Citò absolverimus, inquit Ariovistus, quia quantum video, pervenimus ad calcem Hennebelliani Scripti. Restant adhuc paucula, ait Baccalaureus, & ea uno spiritu decurram. Ut placet, subdit Venantius. Baccalaureus ergo uno spiritu decurrit sequentem Hennebelli textum.

„ Nota est ex dictis doctrina ejus (Academiæ) de prædestinatione gratuita & gratia Christi per omnia conformis doctrinæ SS. Augustini & Thomæ, prout ea „in ejus censura contra propositiones Lessii ante annos „100. lata, & ejusdem Censuræ Justificatione continetur, atque ab utriusque S. Doctoris Discipulis in celeberrima Congregatione de Auxiliis coram Clemente VIII., & Paulo V. exposita fuit. Notus est eorum „zelus contra Moralem laxiorem, quam coram Innocentio XI. tam constanter accusarunt, ut ab eo 65. propositionum censuram reportarint. Et hæc quidem illa censura est, quæ Patres Societatis tam graviter offendit, „& ob quam ad Apostolicam Sedem detulerunt tantam propositionum farraginem, ac Lovanienses Theologos tamquam Rigoristas toto orbe pergunt traducere: „hac nempè recriminatione inustam sibi notam, & orbis „Christiani contra opinionum illarum laxiorum Autores indignationem abolere arbitrantur; sed bene habet, „quòd artes illæ jam pridem Apostolicæ Sedi innotuerint, „quodque eidem clariùs in dies innotescant. Ideòque „sperare licet, quòd florentissimam illam Academiam, „majorum suorum vestigiis constanter inhærentem, eodem favore prosequi perget, quo eam ab incunabulis „prosecuta est, & quo ipsa Academia fundata fuit, crevit, ac etiamnum subsistit. Quæ viçissim illi, utpote „fidei, & omnium Ecclesiarum Matri ac Magistræ, „prout filiam obedientissimam decet, se totam omni „cum veneratione semper submisit, atque etiamnum „submittit, quemadmodum totâ hac responsione demonstratum est.

tatibus præficitur. Jesuitæ ut ceteri mortalium, erroribus obnoxii sunt, sed his non hærent pertinaciter; sicubi quispiam aberraverit, facilè à moderatoribus vel à Sede Apostolica corrigitur, non ita Baii & Jansenii sequaces.

Numquam vos, inquit Baccalaureus, tam bellè dicetis, ut ego & Doctor Hennnebellus à Societate metuere Academiæ Lovaniensi desinamus. Sed me multum recreat id quod hîc habet Hennebellus; " Sperare „audeo. quòd singulari attentione expensura sit Sedes „Apostolica, quàm æquum sit non pati, ut evertatur „artificiis ejusmodi tam florens Academia, quæ modò „non aliam ob causam tam gravia patitur, quam quòd „doctrinam, quam Apostolicæ Sedis sensui maximè „conformem esse censet, constanter, ut semper fecit, „tueatur."

Hæccine, inquit Venantius, digna Doctore locutio est *Sperare audeo quòd*? Ne nos, excipit Ariovistus, remorentur illæ Grammaticorum quisquiliæ. Rem excutiamus, non verba. His dictis, Ariovistus egit hunc in modum; Nec *gravia*, nec levia *patitur Academia*, saltem ab externis; si quid patiatur, patitur à suis. A suis? quæsivit Baccalaureus non sine summa admiratione. Imo à suis, reposuit è vestigio Ariovistus. A suis, inquam, qui contra majorem Facultatis Theologicæ partem & sentiunt & scribunt; qui contra præcipuum Universitatis Collegium typis divulgant tam infamia motiva juris, quale nuper Joannes Opstraet, quod Rectoris sententiâ à Senatu Regio arcano approbatâ, cremari publicè debuit; qui tam scandalosè & violenter in Rectoris officium intrudere moliuntur illum, quem norunt pridem à stricta Facultate jussu Regis exclusum, & non unâ sententiâ tum Romæ, tum alibi condemnatum.

Præterea, addit Venantius, si quid patitur Universitas, non patitur *ob doctrinam Constitutionibus Sedis Apostolicæ maximè conformem*, sed ob quorumdam doctrinam, quæ propositionibus in Jansenio damnatis tam similis est, ut non possit esse *ovum ovo similius*, teste Eminentissimo Cardinale de Aguirre. Denique neque con-

tra

tra Facultatem Theologicam oblatum eſt Memoriale à P. Palazol, ſed tantùm contra eos, quibus pars major Facultatis Theologicæ non minus adverſatur, imò multo ardentiùs quàm Societas.

Citò abſolverimus, inquit Arioviſtus, quia quantum video, pervenimus ad calcem Hennebelliani Scripti. Reſtant adhuc paucula, ait Baccalaureus, & ea uno ſpiritu decurram. Ut placet, ſubdit Venantius. Baccalaureus ergo uno ſpiritu decurrit ſequentem Hennebelli textum.

„ Nota eſt ex dictis doctrina ejus (Academiæ) de prædeſtinatione gratuita & gratia Chriſti per omnia conformis doctrinæ SS. Auguſtini & Thomæ, prout ea in ejus cenſura contra propoſitiones Leſſii ante annos 100. lata, & ejuſdem Cenſuræ Juſtificatione continetur, atque ab utriuſque S. Doctoris Diſcipulis in celeberrima Congregatione de Auxiliis coram Clemente VIII., & Paulo V. expoſita fuit. Notus eſt eorum zelus contra Moralem laxiorem, quam coram Innocentio XI. tam conſtanter accuſarunt, ut ab eo 65. propoſitionum cenſuram reportarint. Et hæc quidem illa cenſura eſt, quæ Patres Societatis tam graviter offendit, & ob quam ad Apoſtolicam Sedem detulerunt tantam propoſitionum farraginem, ac Lovanienſes Theologos tamquam Rigoriſtas toto orbe pergunt traducere: hac nempè recriminatione inuſtam ſibi notam, & orbis Chriſtiani contra opinionum illarum laxiorum Autores indignationem abolere arbitrantur; ſed bene habet, quòd artes illæ jam pridem Apoſtolicæ Sedi innotuerint, quodque eidem clariùs in dies innoteſcant. Ideòque ſperare licet, quòd florentiſſimam illam Academiam, majorum ſuorum veſtigiis conſtanter inhærentem, eodem favore proſequi perget, quo eam ab incunabulis proſecuta eſt, & quo ipſa Academia fundata fuit, crevit, ac etiamnum ſubſiſtit. Quæ viciſſim illi, utpote fidei, & omnium Eccleſiarum Matri ac Magiſtræ, prout filiam obedientiſſimam decet, ſe totam omni cum veneratione ſemper ſubmiſit, atque etiamnum ſubmittit, quemadmodum totâ hac reſponſione demonſtratum eſt.

Ita Hennebellus. An quidquam, ait Baccalaureus, poteſt dici melius præſtantiuſque? Tum Arioviſtus, infit; Videris mihi, D. Baccalauree, voviſſe pertinaciam: nam ex noſtris diſſertationibus jam tibi perſpicuum fit Hennebellum hîc iterum à veritate aberrare. Sed, inquit Venantius, ne imitemur malos Poëtas qui in fine operis ſui deficiunt, proderit & hîc more noſtro reſpondere ad ſingula.

Imprimis, adjungebat Venantius; Tam parum *notum eſt*, doctrinam Cenſuræ Lovanienſis contra Leſſium, prout in ipſius Cenſuræ Juſtificatione explicatur eſſe *per omnia conformem doctrinæ SS. Auguſtini & Thomæ*, ut variorum Ordinum Theologi & præ ceteris Eminentiſſimus Cardinalis de Aguirre in Defenſione Cathedræ S. Petri diſp. 21. ſect. 2. & ſequentibus, multas ex illa Juſtificatione collegerint propoſitiones, quas teſtantur ſe à damnatis in Janſenio erroribus nullatenus poſſe diſcernere. Plurimas alias Belgarum ac præcipuè Lovanienſium propoſitiones totâ illâ diſputatione Eminentiſſimus allegat, oſtenditque cum proſcriptis Janſenii opinionibus omnino congruere. Tali doctrinæ de gratia & prædeſtinatione favere non voluiſſent, credo, SS. Auguſtini & Thomæ diſcipuli in Congregatione de Auxiliis ſub Clemente VIII. & Paulo V. Certè minimè vellent Auguſtiniani & Thomiſtæ hodierni poſt Conſtitutiones Innocentii X. & Alexandri VII.

Illa jam toties, inquit Baccalaureus, ad nauſeam uſque inculcaſti. Malim equidem audire aliquid de noſtrorum zelo contra Moralem laxiorem, quem Hennebellus tam opportunè commemorat. Et de illo, ſubdit Venantius, dicta ſunt paſſim plurima, quæ intellectui minimè pertinaci poſſint ſufficere. Tamen D. Baccalauree, quia urges, ſuperaddam aliquid. Aio ergo; Zelus contra Moralem laxiorem laudandus eſt, uti & contra nimis rigidam: in medio enim virtus eſt inter vitioſos oppoſitorum exceſſus, ut accinebat ille;

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

In accuſandis propoſitionibus 65. ſub Innocentio XI. non

non minimam partem habuit Doctor Steyaert Lovaniensium tunc in urbe delegatus; atque ille modò cum majori parte Facultatis Theologicæ etiam accusat moralem Doctoris Hennebel de nimio & plane noxio rigore.

Et quid est, inquit Ariovistus, cur censura Innocentii XI. contra 65. magis offendat Patres Societatis, quàm alios quorumcumque Ordinum, aut etiam Lovanienses Academicos? nam ut à P. Joanne Pollenter & aliis demonstratum est, propositionibus istis vel ante condemnationem palam in libris suis, thesibus, & dictatis publicis adversati sunt Societatis Theologi. Nonnullæ quidem ab aliquibus è Societate, sicut & à Theologis aliorum Ordinum, etiam à Sacerdotibus secularibus & Academicis Lovaniensibus, ante condemnationem traditæ fuerunt, nec primùm à Societatis Patribus, sed hi alios & quidem Lovanienses Academicos, ut Duces & Magistros secuti sunt. Laudamus itaque in hoc recentiores Lovanienses, quòd nec suorum Majorum doctrinæ noxiæ pepercerint. Utinam in extirpandis Jansenismi & Bajanismi reliquiis zelum parem omnes illi ostenderent!

Quid hoc? ait Venantius; an ego tibi, Arioviste, hîc debeo suppetias ferre, & te memorem facere maximi cujuspiam inter Societatem & Jansenianos discriminis, quod prætermittis. Hoc Societatem inter & Jansenianos interest, quòd illa quamcumque doctrinam à quocumque suorum traditam, simul atque Romæ improbatur, procul ab se rejiciat atque detestetur; Janseniani nullis contra se quantumvis sæpè repetitis definitionibus Apostolicis acquiescant, sed eas subreptionis accusent, ac mille cavillationibus conentur reddere invalidas. Estne ullus sive Societatis, sive illi faventium, qui vel unum libellum, vel epistolam, vel folium, vel verbum scripsit contra Innocentii XI. Decretum quo prohibentur propositiones 65.? At nulla Constitutio, Decretum nullum contra Jansenii & ejus sequacium doctrinam edi à Sede Apostolica potest, quin statim undique volitent infames libelli, quibus Pontifex, Cardinales, Consultores S. Officii, & quicumque aliquid ad condemnationem contulerunt, atrocissimè proscinduntur; atque ita quid-

quidquid damnatum est, defenditur cum pertinacia, adeò ut S. Augustinus de iis diceret quod scripsit olim de Donatistis contra Epistolam Parm. lib. 1. cap. 6. *Puto quòd ipse diabolus, si autoritate Judicis quem ultro elegerat, toties vinceretur, non esset tam impudens, ut in ea causa persisteret.* Discrimen illud, inquit Ariovistus, ego prætermiseram, tum quia illud satis notum autumabam, tum quia meditabar diluere calumniam istam aliam, quâ Hennebellus ait Patres Societatis propter offensionem ex censura *Innocentii XI.* conceptam, *detulisse ad Sedem Apostolicam tantam propositionum farraginem.*

Quod ubi Baccalaureus intellexerat, tantùm non excandescens, Hanccine, inquit, tu Arioviste, calumniam dicis? Ariovistus respondet; jam audisti D. Baccalauree; neque sine causa id dixi: etenim vel agit Doctor Hennebellus de propositionibus delatis sub Innocentio XI., vel sub Innocentio XII. Fuerunt sub Innocentio XI. delatæ propositiones per R. P. Patricium Duffium Franciscanum & Regis Catholici Theologum ad hoc specialiter à Sua Majestate Romam delegatum. Comissionem quidem habuit Religiosus iste à variorum Ordinum Theologis, etiam à Clericis Secularibus & Lovaniensibus Academicis, quibus nomen suum junxerunt Patres Societatis. Sed ab his Patribus non fuit specialiter delegatus. Porrò ex istis propositionibus sub Innocentio XI. censurâ notatæ fuerunt plures quàm 30. verùm censura tantum prodiit sub Alexandro VIII. cum exigua, ut quidam ajunt, mutatione.

Tamen alicui è Societate, ait Baccalaureus, tribuitur liber ille cui titulus *Specimen doctrinæ Theologicæ ex Academia Lovaniensi per Belgium manantis*, qui liber est collectio innumerabilium propositionum facta pro informatione Romanæ Curiæ. Sic est, reponit Ariovistus, sed liber iste est typis editus ante Decretum Innnocentii XI. contra propositiones 65. Quomodo ergo hoc fieri potuit propter offensionem ex Decreto conceptam? Delatio, autem propositionum sub Innocentio XII. facta est non à Societate, sed ab Archiepiscopo Mechliniensi, & quidem ex mandato S. Congregationis intimato

per

per litteras Eminentiſſimi Cardinalis Cybo; ſi Societatis Theologi rogati ab Archiepiſcopo Mechlinienſi aliquid operæ contulerint ad eas colligendas, evidens eſt eos propoſitiones illas non *detuliſſe* ex *offenſione* propter Decretum Innocentii XI., quod plus quam 12. annis tunc prodierat.

Domine Baccalauree, inquit Venantius, habeſne aliquid quod huic demonſtrationi opponas? Jam vides quàm falsò Hennebellus iſta ſcripſerit. Falſum eſt quoque, proſequebatur idem Venantius, quòd pergant Theologi Societatis *Theologos Lovanienſes* indefinitè tamquam *Rigoriſtas traducere*. Tantùm minorem partem Theologorum Lovanienſium arguunt, imo illos ſolos quos major pars Facultatis ejuſdem Academiæ ut tales oppugnat & accuſare cœpit apud Apoſtolicam Sedem. An ergo etiam major pars Facultatis Theologicæ accuſationem illam tantùm inſtituit pro *recriminatione*, ut *inuſtam ſibi notam*, & *orbis Chriſtiani contra opinionum illarum laxiorum* ab Innocentio XI. proſcriptarum *Autores*, *indignationem aboleat*?

Tum Arioviſtus ſubjungebat; Non habet Hennebellus quod de Societate, ſed Societas habet quod de Hennebello conqueratur. Nam quantas Doctor Hennebel cum ſuis ſequacibus calumnias contra Societatem occultis ſpargat ſermonibus, videtur utcumque colligi poſſe ex tam multis, quas non veretur ſcripto publico, & Sedi Apoſtolicæ exhibendo, infarcire. At ſpero ego, inquit Venantius, audaciam hanc non tantum in calumnianda Societate, ſed etiam aliis Ordinibus, & quidem Epiſcopis, atque ipſa Catholica Majeſtate ejuſque Miniſtris & Decretis, aliquando refrœnandam, detegendas quoque coram toto mundo & elidendas artes, quibus totus, quantus quantus eſt, Bajaniſmus & Janſeniſmus cum tot aliis damnatis novitatibus in Belgio hactenus cum multorum pernicie foveтur & propagatur. Neque propterea, D. Baccalauree, Academiæ Lovanienſi nobis dilectiſſimæ quidquam mali imprecamur, ſed apprecamur bona omnia. Vivat, vigeat, floreat magis quàm unquam ante; ſit ſemper *Agri Dominici piiſſima Religioſaque*

que cultrix; sit Constitutionum omnium & Decretorum Apostolicorum propugnatrix; sit debellatrix novitatum, & hæreticorum victrix.

De vestra, inquit Baccalaureus, in Academiam Lovaniensem benevolentia ego numquam dubitavi. At verò non ita loquuntur Jesuitæ, genus istud intractabile. Et Jesuitæ, subdit Venantius, sunt homines pacifici. Sic est, affirmat Ariovistus; Jesuitæ non sunt à pace tam alieni, quàm illos Hennebellus depingit. Et ut ostendant pacem amare se, eam ipsi offerunt honestâ & facili conditione, videlicet ut & Doctor Hennebel cum suis quorum partes agit, & Rev. Adm. P. Generalis cum suis recipiant omnia, quæ à Sede Apostolica definita sunt ac declarata: circa cetera quæ à S. Sede decisa nondum sunt, ejusdem judicium expectetis, idem pariter amplexuri, ubi emanaverit: interea neutra contendentium pars alteram censuret.

Res illa, inquit Baccalaureus, obnoxia erit multis cavillis & sinistris suspicionibus. Ne metue, dicit Ariovistus; ut cavillis & suspicionibus aditus præcluderetur, id quod terminis generalibus tam efficaciter obtineri non solet, Jesuitæ jam nunc dictam Declarationem proposuere. Feruntur quoque rogasse Doctorem Hennebel, ut si quid addendum vel demendum vel aliter immutandum censuerit, ne gravetur suggerere. An possunt agere honestiùs? *Quidquid id est*, inquit Baccalaureus, *timeo Danaos*. Mox iterum Ariovistus, nihil hîc timendum video. En Declarationem ipsam, quæ ex variis Pontificum Decretis concinnata est. Baccalaureus autem in manus Declarationem accepit; noluit tamen recitare fortè quòd metueret ne illa Declaratio esset quasi pomum Acontii. Ergo Venantius eam recitavit, & sic sonat;

„ Declaramus sequentia. 1. Propositiones omnes à Pio „V. anno 1567. Kal. Octob. à Gregorio XIII. anno „1579. quarto Kal. Febr. & ab Urbano VIII. pridie no„nas Martii damnatas, quamquam nonnullæ aliquo „pacto sustineri possent, in rigore & proprio verborum „sensu ab assertoribus intento hæreticas, erroneas, sus-

pectas

„pectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offen-„sionem immittentes respectivè, ac quæcumque supra „iis verbo scriptoque emissa damnamus." Et quandoquidem Michaël Bajus jussu Gregorii XIII. professionem scripserit, nos juxta illam" plane nobis habemus „persuasum, earum omnium sententiarum damnatio-„nem atque prohibitionem, jure meritoque ac non nisi „maturo judicio, & diligentissimâ discussione præmis-„sis, factam atque decretam esse. Fatemur insuper pluri-„ma ex iisdem sententiis in nonnullis Bullis ab eodem „Baio olim, & ante emanatam Sedis Apostolicæ super „iis censuram, conscriptis & in lucem editis contineri & „defendi, etiam in eo sensu quo reprobantur."

„ 2. Liber,cui titulus *Augustinus Cornelii Jansenii Episcopi* „*Iprensis*; multas ex propositionibus damnatis ab Urbani „VIII. prædecessoribus continet, & magno cum Catholi-„corum scandalo & autoritatis S. Sedis contemptu contra „præfatas damnationes & prohibitiones defendit. Urba-„nus VIII. huic malo in scandalum totius Reipublicæ „Christianæ & fidei Catholicæ perniciem vertenti, op-„portunum remedium adhibere volens,non tantùm Con-„stitutiones suorum prædecessorum perpetuò confirma-„vit, & approbavit, sed etiam librum prædictum aliaque „omnia opera litteris suis subinserta, meritò prohibuit."

„ 3. Hæc propositio Petrus & Paulus sunt duo Eccle-„siæ Principes, qui unicum efficiunt; vel, sunt duo Ec-„clesiæ Catholicæ Coriphæi ac supremi Duces, summâ „inter se unitate conjuncti, vel, sunt geminus Ecclesiæ „universalis vertex, qui in unum divinissimè cöaluerunt; „vel, sunt duo Ecclesiæ summi Pastores ac Præsides qui „unicum caput constituunt; ita explicata ut ponat om-„nimodam æqualitatem inter S. Petrum & S. Paulum „in potestate suprema & regimine universalis Ecclesiæ, „est hæretica."

„ 4. Libellus Gallicus, cui titulus, Catechisme de la „grace, meritò damnatus est ab Innocentio X. 6. Octob. „1650. quia in eo continentur quam plures sententiæ, „aliàs per felicis recordationis Pium V. Gregorium „XIII. & Urbanum VIII. damnatæ."

5. Quin-

„ 5. Quinque Propositiones ab Innocentio X. damnatas „anno 1653. pridie Kal. Junii pariter damnamus ut hæreticas, & aliis censuris, quæ in Constitutione Apostolica continentur. Idem Pontifex memoratâ Constitutione in 5. propositionibus Augustini Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis damnat doctrinam ejus libro contentam, „cui titulus Augustinus, & nos eam damnamus uti & „librum ipsum."

„ 6. Rectè ab Alexandro VII. vocantur iniquitatis filii, qui prædictas 5. propositiones vel in libro prædicto „ejusdem Cornelii Jansenii non reperiri, sed fictè & pro „arbitrio compositas esse, vel non in sensu ab eodem „intento damnatas fuisse, asserere magno cum Christi „fidelium scandalo non reformidant."

„ 7. Idem Pontifex 5. illas propositiones ex memorato libro excerptas ac in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse, rectè definit & declarat, „& uti tales, inustâ scilicet eâdem singulis notâ, quæ in „prædicta declaratione & definitione unicuique illarum „sigillatim inuritur, iterum meritissimò damnat."

„ 8. Assentimur Alexandro VII. in Decreto anni 1661. „12. Januarii declaranti, quòd quidam perditionis filii in „perniciem animarum, novitatibus studentes, & Ecclesiasticas sanctiones ac praxim contemnentes, ad eam „nuper vesaniam pervenerint, ut Missale Romanum „Latino idiomate longo tot seculorum usu in Ecclesia „probato conscriptum, ad Gallicam vulgarem linguam „convertere, sicque conversum typis evulgare, & ad cujusvis ordinis & sexûs personas transmittere ausi fuerint, & ita sacrosancti ritûs majestatem Latinis vocibus comprehensam dejicere ac proterere, ac sacrorum „Mysteriorum dignitatem vulgo exponere, temerario „conatu tentaverint." Cum eodem Pontifice dicimus;" „Quemadmodum novitatem istam perpetui Ecclesiæ decoris deformatricem, inobedientiæque, temeritatis, „audaciæ, seditionis, schismatis, aliorumque plurium „malorum facilè productricem abhorremus, & detestamur; ita Missale prædictum Gallico idiomate à quocumque conscriptum, vel imposterum aliàs quomodolibet

„dolibet conſcribendum & evulgandum..... damnamus „& reprobamus..... denique illud ſub pœna excommu„nicationis latæ ſententiæ ipſo jure incurrendæ perpetuò „& rectè eſſe prohibitum agnoſcimus."

„ 9. In Edicto Vicariorum Pariſienſium promulgato „5. Junii 1661. ſanè imprimis non minus temeraria quàm „mendaci narratione profertur, tempore felicis recorda„tionis Innocentii X. non aliud actum fuiſſe, quàm in„quiſitum, an propoſitiones illæ 5. de gratia veræ & Ca„tholicæ, an potiùs falſæ & hæreticæ cenſendæ forent; „cum eo plane tempore necdum de propoſitionibus ipſis „cognitio habita fuerit, verùm quod è Janſenii libro Au„guſtinus nuncupato, extractæ eſſent, & ita in ſenſu ab „eodem Janſenio intellectæ damnatæ, ut Alexander VII. „Conſtitutione 17. Kal. Novemb. 1656. luculenter ex„preſsè declaravit."

„ 10. Propoſitiones 28. damnatæ ab Alexandro VII. „die 24. Septembris 1665. & aliæ 17. damnatæ ab eo„dem Pontifice die 18. Martii 1666. omnes & ſingu„læ ipſarum ſunt ut minimùm ſcandaloſæ."

„ 11. In libro cui titulus Rituel Romain du Pape Paul „V. à l'uſage du Dioceſe d'Alet avec les inſtructions, „& les rubriques en François, non ſolùm continentur „nonnulla ab ipſo Rituali Romano juſſu felicis recor„dationis Papæ Pauli V. edito aliena, ſed etiam doctri„næ quædam & propoſitiones falſæ, ſingulares, in praxi „periculoſæ, erroneæ, & conſuetudini in Eccleſia com„muniter receptæ atque Eccleſiaſticis Conſtitutionibus „oppoſitæ & repugnantes, quarum uſu & lectione Chri„ſti fideles in tam damnatos errores ſenſim induci ac „pravis opinionibus infici poſſent; ideo jure librum il„lum damnavit, reprobavit, & interdixit Clemens IX. „die 18. Aprilis 1668."

„ 12. Liber cui titulus le Nouveau Teſtament de Nô„tre Seigneur Jeſus Chriſt traduit en François ſelon l'e„dition vulgaire avec la difference du Grec, vulgò Te„ſtamentum Montenſe meritò damnatus eſt à Clemen„te IX., tamquam temerarius, damnoſus, à vulgata „editione diffòrmis, & offendicula ſimplicium continens.

13. Pro-

„ 13. Propositiones 65. & unaquæque ipsarum ab Innocentio XI. damnatæ 11. Martii 1679. sicut jacent, „sunt ut minimùm scandalosæ, & in praxi perniciosæ „& tamquam tales meritò prohibitæ & condemnatæ."
„ 14. Propositiones 68. Michaëlis de Molinos, tamquam hæreticas suspectas, erroneas, scandalosas, blasphemas, piarum aurium offensivas, temerarias, Christianæ doctrinæ relaxativas & eversivas, & seditiosas „respectivè damnamus."
„ 15. Duas propositiones sequentes juxta Decretum „Innocentii XI. 23. Novembris 1679. damnamus ut „temerarias ut minimùm & novas. 1. Deus donat nobis omnipotentiam suam, ut eâ utamur, sicut aliquis „donat alteri villam, vel librum. 2. Deus subjicit nobis omnipotentiam suam."
„ 16. Liber Amadei Guimenii Lomariensis olim Primarii S. Theologiæ Professoris tradit doctrinam periculosam, cujus usu & praxi animæ infici, & in æternæ salutis detrimentum adduci possent, & uti talis „damnatus & reprobatus meritò est ab Innocentio XI. „16. Septembris 1680."
„ 17. Rectè damnavit Alexander VIII. 24. Augusti „1690. duas sequentes Theses seu propositiones, 1. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum „natura rationali: formalis verò in conformitate actûs „cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis „tendat in finem ultimum interpretativè; hunc homo „non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis. 2. Peccatum Philosophicum „seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali & rectæ rationi. Theologicum verò & mortale „est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo „actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum. Et primam „quidem Thesim seu propositionem damnamus ut hæreticam; secundam ut scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, & erroneam."

18. Idem

„ 18. Idem Pontifex meritò damnavit propositiones „triginta & unam, die 7. Decembris 1690. tamquam „temerarias, scandalosas, male sonantes, injuriosas, „hæresi proximas, hæresim sapientes, erroneas, schis-„maticas, & hæreticas respective."
„ 19. Quisquis legit etiam occultè librum à S. Sede „quacumque de causa prohibitum peccat mortaliter, „nisi facultatem acceperit ab eo, ad quem spectat eam „concedere."

Hisce recitatis, Venantius dixit; Profectò non video, quid à tali Declaratione Doctorem Hennebel absterrere vel abstrahere debeat, præsertim cum ipse tam liberalis fuerit, ut ultrò Declarationem suo suorumque nomine proposuerit, & obtrudere pergat Rev. Adm. P. Generali Societatis ad ostendendum se consentire Thomistis. Per hanc autem declarationem, quam jam recitavi, multo meliùs probabit ac plane persuadebit, se & Thomistis consentire & Sedi Apostolicæ. Persuadebit etiam non esse talem suam erga Apostolica Decreta reverentiam & submissionem, quali solent sententiæ quædam civiles excipi, etiam ab iis qui censent esse injustas.

Hîc iterum Baccalaureus ingeminavit suum; *Timeo Danaos*. Ariovistus autem, quid inquit, hîc timendum est? Nam 1. in omnibus his declarationibus, ut patet, nihil est in præjudicium aut favorem alicujus privatæ sententiæ aut scholæ. 2. Non uni contendentium parti potiùs quam alteri creatur invidia, cum subscribatur æqualiter omnibus Sedis Apostolicæ Constitutionibus cujuscumque partis, libros, vel sententias reprobantibus. 3. Nullum hic est jusjurandum. 4. Præscinditur hîc ab actû fidei divinæ & humanæ, sed declaratur tantummodo simplex assensus, sive judicium internum de proposita rei veritate. 5. Evidens est nullas hîc fieri additiones ad Formulare Alexandri VII., nullas ejus explicationes vel interpretationes, utpote de quo non agitur. 6. Tantum agitur de Decretis damnantibus libros vel sententias; si tamen velitis addi declarationes aliquas de Brevibus Innocentii XII. ad Episcopos Belgii, uti ex Decreto circa sensum Formularii, & quinque propositiones; Jesui-

tæ illas jam nunc obtulerunt, neque alio intelligendas ſenſu quàm obvio. „ Quin imo, inquiunt, ſi declara- „tiones alias adjiciendas cenſueritis, non tergiverſabi- „mur; ſed promptiſſimè ſubſcribemus omnibus, quas „vos nobis volueritis proponere, modò ſicut noſtræ ſint „alicui Conſtitutioni vel Decreto Apoſtolico conſen- „taneæ. " Quid nunc judicas, D. Baccalauree? Suntne Jeſuitæ alieni ab ineunda pace? Suntne genus intracta- bile?

Sed quare, inquit Baccalaureus, non ſunt contenti ge- nerali ſubſcriptione, quâ quis profiteatur, quòd ſe omni- bus Decretis Apoſtolicis ſubmittat? Quid opus eſt de- claratione tam fusâ tamque diſtinctâ?

Quia, reponit Arioviſtus, quilibet rogatus præſtabit profeſſionem obedientiæ & ſubmiſſionis ejuſmodi ge- neralis erga Conſtitutiones Apoſtolicas. Quando autem ad caſus particulares deſcenditur; hærent aliqui, tergi- verſantur, neque ullam ſententiam rectè condemnatam fateri volunt eo ſenſu, quo à Baio, Janſenio, vel alio prætenſo Auguſtiniano tradita eſt: ſimiliter nec ullum librum ab aliquo ſuorum editum agnoſcunt juſtè pro- ſcriptum eſſe, aut ejus proſcriptionem obligare ſub pec- cato mortali, ne quis librum, etiam occultè, legat. Il- la illa eſt ratio, quare Jeſuitæ iſtac generali ſubſcriptio- ne contenti non ſint. Nonne æqua eſt, D. Baccalauree? Nonne juſta?

Tum Venantius aiebat; Fruſtra, optime Arioviſte, id D. Baccalaureum interrogas, quem ſcis non reſponſu- rum. Oſtende mihi potiùs Jeſuitarum Declarationes ex Brevibus Innocentii XII., quas jam nunc adverſariæ parti oblatas eſſe dixiſti. Illas habes, inquit Arioviſtus, in ea ipſa charta, quâ Declarationes aliæ continentur. Verte, quæſo paginam, & illas invenies. Ergo Venan- tius, Arioviſto morem geſſit, & in averſa paginæ par- te adinvenit ſequentia.

DE-

DECLARATIONES CONFORMES BREVIBUS

Apostolicis Innocentii XII. ad Episcopos Belgii & Decreto Anni 1694., 28. Januarii.

„QUinque propositiones damnatæ ab Innocentio X. „& Alexandro VII. sunt rectè damnatæ in sensu ob-„vio, quem ipsamet propositionum verba præ se ferunt."
„ Eædem sunt ex libro, cui titulus Augustinus Cor-„nelii Jansenii, excerptæ in sensu obvio, atque eodem „illas damnamus."
„ Formulare Alexandri VII. intelligi debet non alio „sensu, quàm eo, quem ipsius verba præ se exhibent."
„ Juramentum in Formulare præstari debet sincerè, „absque ulla distinctione, restrictione, seu expositione."
„ Non potest quis repelli ab officiis, muniis, benefi-„ciis, gradibus, vel quacumque functione Ecclesiasti-„ca, nisi servato juris ordine eam pœnam ipsum com-„meruisse probatum fuerit."

Hæc, Venantius prælegerat, cum Ariovistus dixit; Quidquamne in hisce Declarationibus vides, quod hominem probè Catholicum à subscribendo deterreat? Nihil omnino, respondet Venantius, è contrario omnia ad subscriptionem alliciunt. Tum denuò Ariovistus; Quidni igitur his Declarationibus Hennebellus cum suis subscribit? Quidni init hâc conditione oblatam pacem? Quidni suos ad hanc conditionem accipiendam exstimulat? An putatis, inquit Baccalaureus, carere dolo Declarationes ab Jesuitis concinnatas? Concinnatæ sunt, reponit Ariovistus, ex ipsis Pontificum Decretis, & servantur primæva eorum ac genuina verba. Itaque doli suspicio esse quæ potest?

O Arioviste, ait Baccalaureus, mihi meisque hodie non dices tam commodè, ut me hoc metu liberes. *Sinite illos*, infit non sine risu Venantius, *cæci sunt & duces cæcorum.* Hennebellianum Scriptum jam examinavimus totum, nec hilum apud D. Baccalaureum profecimus. Diebus

consequentibus perlustrabimus Acta Eruditorum ultima quæ ego Lipsiâ accepi. Hi fortè sermones magis delectabunt D. Baccalaureum. Dein Baccalaureus; Numquam non, inquit, delectant sermones me vestri excellenti eruditione ac venustate conditi; verùm (prô dolor!) non est mihi hîc diutiùs remanendi facultas nam propediem Lovanii habebitur solennis disputatio, ad quam aliqui etiam ex Hollandia invitati sunt. Ab hac disputatione abesse non possum. Idcirco discedendum est die crastinâ. I ergo bonis avibus, inquit Venantius, & fac quam primùm redeas, multaque nova apportes. Interim verò hoc vespere de rebus minus seriis colloquemur animi causâ.

Atque hîc fuit harum super Hennebelliano Scripto dissertationum exitus, multo profectò moderatior, quàm à tam acribus & tam animosis disputatoribus expectari poterat. Postridie quoque maximâ cum urbanitate dicto utrimque vale, Baccalaureus iter ingressus est.

DISSERTATIO XI.

De ejusdem Memorialis Confutatione edita in Belgio per Belgas Theologos.

CUm Ariovistus & Venantius in discutiendis Eruditorum Actis dies aliquot posuissent, Venantio ex civitate allata est noti Memorialis Confutatio quæ edita est in Belgio per novæ factionis Theologos. Exemplaria autem erant duo: alterum coëmptum ab aliquo cui curam similes coëmendi libros Venantius demandaverat; alterum missum à factione & sub involucro chartaceo in formam litterarum complicatum. Solent hoc pacto novi illi homines suas veneno turgidas lucubrationes dissipare quaquaversum, quandoque etiam non exacto portorio. Modus propagandi sectam, qui haud scio, an etiam ullis umquam hæreticis fuerit usitatus.

Visis istis exemplaribus, ait Venantius; En iterum, familiarissime Arioviste, novum aliquid à Novatoribus

in

in lucem emittitur. Tum recitabat libelli titulum, & mox alterum exemplar porrigebat Ariovisto, alterum sibi reservabat. Facilè crediderim, inquit Ariovistus, esse illud opusculum, quod, ut significavi primo dissertationum nostrarum die, sudare sub prœlo audivi. Ut ut est, subjungit Venantius, illud opusculum quisque scorsim evolvamus quàm citissimè, & scrutemur singula, quo simus meliùs comparati ad impetus Baccalaurei retundendos. Sine dubio nobis aderit primo quoque tempore: nam nova illa Confutatio ipsi alas addet pariter ac animos iterum dissertandi.

Neque vanus augur fuit Venantius: etenim Baccalaureus postero die affuit; & quasi partâ victoriâ triumphans, exultansque insolentiùs, ostendebat novum opus. Ecce, inquiebat, hîc sunt pro Hennebelliano Scripto vindiciæ: has legite, & quidquid contra Hennebelli Scriptum antè attulistis, nullius momenti esse cernetis. Tum Ariovistus renidenti vultu Baccalaureum aspiciens; Ego, inquit, & Venantius, libellum istum jam nunc evolvimus, & animadvertimus editum esse sine approbatione, sine nomine Typographi sine expressione loci & determinati Autoris. An non habetis aliud, dicit Baccalaureus, quod in eo virgulâ vestrâ perstringatis? Jam video verum esse id quod inchoabam dicere, omnes vestras anteriores dissertationes esse protritas.

Ne nimiùm præpoperè, D. Baccalauree, ait Venantius. Multa alia habemus in eo Opere reprehendenda, vel potiùs jam nunc reprehendimus & refutavimus in Hennebelliano Scripto, ex cujus centoribus totum hoc novum opusculum consarcinatum est, adeóque refutatum, antequam natum, si excipias aliquot calumnias, quas illi Theologi Belgæ addiderunt de suo. Sic & mea fert opinio, subjungit Ariovistus, & miror profectò, quòd magni illi Theologi alienos eniti partus voluerint, quasi non possint proprio marte cudere aliquid, quo se defendant.

Habent plurima, inquit Baccalaureus, quæ D. Hennebel in suo Scripto non observavit. E. C. pag. 3. aiunt quòd P. Thyrsus Gonzalez Societatis Jesu præpositus

Generalis, "ab ipso Memorialis sui exordio, hoc Suæ „Majestati sophismate illudat: *Plures olim hæretici sub „externa castigatioris vitæ ac doctrinæ professione dissimularunt hæresim: Igitur qui castigatiorem hodiè vitam ac doctrinam exteriùs profitentur in Belgio, sub ea professione „dissimulant hæresim Jansenianam.*"

Nonne dixeram, inquit Venantius, Theologos illos de suo addere aliquot novas calumnias? Calumnia est enim, quod ille Pater Regiæ Majestati illudat tali sophismate. Ad pœnam libri, D. Baccalauree; Memoriale loco citato inspice, & perspicies aliud nihil dici, quàm quòd jam condemnatâ tamquam hæreticâ doctrinâ Cornelii Jansenii, non sit in Ecclesia novum ab ejus sequacibus dissimulari illam hæresim multis fraudibus, nominatim externâ aliquâ castigatioris vitæ ac doctrinæ professione, quia illud antiquitùs experta est Roma in Valentinianis, Marcionitis & Arianis.

Ariovistus, qui eodem tempore, quo hæc à Venantio dicebantur, legerat assignatum Memorialis locum, asserebat ita esse ut dicebat Venantius. Unde, inquiebat, Belgæ illi Theologi si voluissent bonâ fide procedere, debuissent P. Generalis argumentationem sic contrahere; Plures olim hæretici sub externa castigatioris vitæ ac doctrinæ professione dissimularunt hæresim: Igitur novum non est aliquos in Belgio sub ea professione dissimulare hæresim Jansenianam. Ubi ex illo antecedente non infertur, quòd aliqui in Belgio sub externa castigatioris vitæ ac doctrinæ professione dissimulent Jansenianam hæresim, sed hoc potiùs supponitur tantisper hîc, & postea locis aliis probatur, adeòque hîc solùm infertur quòd hoc in Ecclesia non sit novum. *Non est novitas in Ecclesia.* Usque adeò non poterat ista Theologorum turma Autorem Memorialis impugnare, nisi tam stolidum argutandi genus ipsi affingeret.

Non equidem scio, inquit Venantius, quomodo hoc Viro erudito affingere ausi fuerint? Saltem non poterant in spem venire fore ut hic dolus lateret diu: norunt enim omnes, quòd castigatiorem vitam ac doctrinam exteriùs profiteri non sit dissimulare hæresim, nec

ex

ex eo quòd quidam sub ista professione hæresim olim dissimularint, rectè inferri possit, omnes hæresim hodie dissimulare, qui castigatiorem vitam ac doctrinam profitentur; atque adeò satis videbant cuivis lectori facilè movendam suspicionem adulterati loci. Sibi, inquit Ariovistus, propositum habent istud; *Calumniare strenuè, semper aliquid adhærescet.*

Papæ! exclamat Baccalaureus, quantum estis immutati! Nunc tandem agnoscitis quòd non dissimulemus Jansenismum. Hoc nos non diximus, inquit Ariovistus, sed diximus quòd Autor Memorialis hoc ex superiori antecedente non deducat. Istud autem dicere non est dicere quòd nulli sint in Belgio, qui Jansenismum dissimulant. Tum quærit Baccalaureus; suntne ergo tales in Belgio? Sunt enimverò, respondet Ariovistus, idque satis superque ostendimus totâ dissertatione 7. An ista omnia jam nunc exciderunt?

Ridiculum, inquit Baccalaureus; accipite quæ habent Belgæ Theologi in Memorialis Confutatione pag. 4. " At quomodo Jansenismum dissimulamus, qui, vel „ipso Patre Palazol teste, omnibus nos Tribunalibus „ultrò sistimus? Si Tribunalia & Judices nostros legiti„mos fugeremus, posset hoc nobis dissimulandi artificium „improperari: nunc verò cum fateatur ipse ad omnia nos „Tribunalia confugere, profectò vel ipse contra se te„stis est, quòd malè nos de dissimulandi artificio accuset."

Hîc, quemadmodum sub initium dissertationis 2 (a) vidimus, inquit Venantius, tantùm agitur *de obfirmatis sequacibus doctrinæ Cornelii Jansenii de hæresi ab Ecclesia condemnatæ.* Nemo autem nominatur: quamobrem Belgæ illi Theologi, dum hîc irascuntur atque rescribunt, *suo quasi mus produntur indicio*, & videntur confiteri se tales esse; neque illam notam eluunt allato argumento. Quid enim? prosequebatur idem Venantius Hoccine argumentum, tibi D. Baccalauree, videtur esse alicujus ponderis? Si P. Palazol diceret quòd omnibus vos Tribunalibus ultrò sistatis ad causam vestram viriliter defendendam, tale fortasse ad hominem argumentum

(a) *Pag.* 37. & 38.

possset inde utcumque formari. At verò cum dicat quòd omnibus vos Tribunalibus sistatis *ritu hominum oppressorum, plangentium, & clamantium innocentiam suam ab adversariis implacabilibus conculcari, uti & integritatem doctrinæ quam à S. Augustino & priscis Ecclesiæ Patribus didicêre*; tale argumentum formari nequaquam potest: nam possunt & solent hæretici quoque, qui hæresim dissimulant, talibus de adversariorum asperitate querimoniis, commiserationem Judicum commovere. Notæ Crocodyli lacrymæ, notus planctus Draconum, & luctus Struthionum.

Hæc Venantius dixerat. Ariovistus autem Baccalaureum, hoc modò aggressus est; Quàm rudi minervâ, D. Baccalauree, hîc argumentati fuerint tui illi Theologi, non invenustè demonstravit Venantius. Jam mihi dispiciendum est, an nobis non porrigatur mucro, quo Dominum Opstraet, D. Verschuren, & D. Claes ingulemus. Hi tres, ut dictum est dissert. 6. (a) subterfugerunt Tribunalia & legitimos Judices, coram quibus viri aliqui, omni exceptione majores, obtulerant eos servato juris ordine reos Jansenismi agere. Qua de causa ego sic ratiocinor; Belgæ Theologi hanc ponunt propositionem: *Si Tribunalia & Judices nostros legitimos fugeremus, posset hoc nobis dissimulandi artificium improperari.* Subsumo; atqui Dominus Opstraet, D. Verschuren, & D. Claes Tribunalia & Judices suos legitimos fugerunt: Ergo Domino Opstraet, D. Verschuren, & D. Claes potest hoc dissimulandi artificium improperari. D. Baccalauree, an hæc consecutio non est ineluctabilis?

Sed quid necesse erat, inquit Venantius, argumentationem tuam ad hos tres dumtaxat restringere? quasi verò reliqui omnes nulla Tribunalia, nullos Judices pertimescerent. Si res ita se haberet, Arioviste, non adhibuissent tot machinas ad impediendam *Junctam* sive Congregationem in Hispania; è contrario illam omnibus votis ipsi debuissent ultrò expetere, ac promovere, ad suam innocentiam patefaciendam, ut adhuc aliàs indicare me memini. Verùm age, D. Baccalauree, demus ad omnia ipsos Tribunalia confugere. Hoc dato, subjungit

(a) *Pag.* 124.

git Baccalaureus, perſpicuum eſt, non poſſe cuipiam noſtrorum improperari artificium diſſimulandi.

Non tenet iſta concluſio, inquit Venantius. Quid enim? An diſſimulandi artificium improperari non potuit Pelagio atque Cœleſtio? tamen damnati ab Africanis Conciliis ad diverſa Tribunalia confugêre; Romanum judicium, datis ad Innocentium litteris, flagitavit Pelagius intrepidè: Cœleſtius verò Romam ipſe accurrit, Zoſimum Pontificem appellans. Poſtea & Romæ victi, adeò non acquievere, ut toto extorres Occidente, auſi fuerint ſolicitare Orientem, & ad Concilii Epheſini confugere Tribunal. Dies me deficiet, ſi cunctos recenſeam hæreticos, qui licet alia & alia Tribunalia fatigarent, tamen non caruerunt diſſimulandi artificio. Hoc igitur ad varia Tribunalia perfugium, D. Baccalauree, malè afferunt tui Theologi tamquam certiſſimum, minimeque dubium ſuæ innocentiæ argumentum.

Hoc non afferunt tam malè, ait Baccalaureus, quàm vos quidem exiſtimatis: etenim è veſtigio annectunt;" „Jam ſex anni ſunt, cum ſtamus coram Sede Apoſto„lica, parati de ea, quæ in nobis eſt fide, doctrina, & „vita, omni poſcenti rationem reddere: accuſat nos „Mechlinienſis Archiepiſcopus, qui & alios Belgii Epiſ„copos contra nos non ſemel commovit: Ex Academia „Lovanienſi ſuppetias ferunt Steyartius, Harnæus, De„ſirantius accuſatores exercitatiſſimi: Mundi poteſtates „omnes, Regulares non pauci, ac præcipuè Jeſuitæ in „auxilium vocantur: Res tota palam geritur, in facie Ec„cleſiæ, in facie adverſariorum implacabilium, in facie „ipſius Reverendiſſimi Patris Thyrſi Gonzalez; cauſa „diſcutitur à viris Eminentiſſimis, & ſupremis Eccleſiæ „Romanæ Inquiſitoribus. Eſt quæſtio graviſſima, in qua „negligentes eſſe non decet: agitur enim de detegenda „quorumdam hominum diſſimulatione, atque adeò de „hæreſi Eccleſiæ & Reipublicæ perniciosa: agitur de ir„reverentia & rebellione adverſus Sedem Apoſtolicam. „Et poſt hæc omnia (ſi Memoriali fides) aut nos adeò „callidi ſumus, aut Sedes Apoſtolica adeò ſtupida, ut

potueri-

„potuerimus jam ultra ſexennium, circumſtantibus tot „adverſariis oculatiſſimis, apud Judices perſpicaciſſi-„mos, ſenſa noſtra diſſimulare, & Summo Pontifici il-„ludere."

D. Baccalauree, inquit Arioviſtus, ſub initium diſſertationis noſtræ 9. (a) audivimus pariter Hennebellum de iſto ſexennio gloriantem. Conſidera quæ tunc diximus, & ea his Belgii Theologis cum proportione applica. Eſſet etiam operæ pretium, adjungit Venantius, recolere diſſertationem 2. (b) ibi enim hoc ipſum argumentum ſat fusè refutatum eſt exemplo variorum hæreticorum, qui aliis & aliis temporibus ſatis diu Summo Pontifici illuſerunt, licet circumſtarent adverſarii oculatiſſimi, perſpicaciſſimique Judices: nam ut alia tunc dicta præteream, an quando Romæ accuſabatur Michaël Molinos, non erant accuſatores exercitatiſſimi? an non Regulares multi & præcipuè Jeſuitæ in auxilium vocabantur? an res tota non agebatur palam? in facie Eccleſiæ? in facie adverſariorum implacabilium? in facie ipſius R. P. Pauli Segneri? an cauſa non diſcutiebatur à viris Eminentiſſimis, & ſupremis Eccleſiæ Romanæ Inquiſitoribus? an non erant oculatiſſimi adverſarii? an non erant Judices perſpicaciſſimi? an non erat quæſtio graviſſima, in qua eos negligentes eſſe non decebat? an non agebatur de detegenda quorumdam hominum diſſimulatione, atque adeò de hæreſi Eccleſiæ & Reipublicæ perniciosa? an non agebatur de irreverentia & rebellione adverſus Sedem Apoſtolicam? Et poſt hæc omnia adeò callidus fuit Molinos, ut potuerit ultra ſexennium ſenſa ſua diſſimulare, & mentitâ ſanctitatis ſpecie Summo Pontifici illudere.

Duriſſime Venanti, inquit Arioviſtus, hic D. Baccalaureum & Belgas Theologos egregiè depexos reddidiſti. Quod ſi ita pergas, te referent in numerum ſuorum adverſariorum implacabilium. Id ego mihi ducam honori repoſuit Venantius, & altâ voce prælegit cetera, quæ hic pag. 5. 6. & 7. Hennebelliano de grege Theologi garriunt. Dum autem abſolverat, Baccalaureum

(a) *Pag.* 231. (b) *Pag.* 41. & 41.

reum ita allocutus eſt; Eſtne hîc aliquid, D. Baccalauree, ad quod vel à me vel ab Arioviſto non abundè reſponſum eſt in diſſertationibus aliis? non lubet iterum eamdem incudem tundere; neque id tu à me D Baccalauree, opinor, exigis. Ubi reſponſum eſt, rogat Baccalaureus, ad id quod dicunt num. 3. " Neque illuſimus tantùm, ſed & *Cla-*
„*morum vi atque adhærentûm potentiâ* (ſi eidem Memo-
„riali credimus) Decreta quædam à Sanctiſſimo Patre
„Noſtro Innocentio XII. extorſimus, parùm ſcilicet
„erat diſſimulationis accuſaſſe nos, niſi & ignaviæ ar-
„gueretur Summus Pontifex, Decretaque ipſius Apoſto-
„lica apud ipſum Regem Catholicum tamquam *Clamo-*
„*rum vi atque adhærentium potentiâ* extorta traduceren-
„tur." Tum Venantius dixit; Ignoſce mihi, D. Baccalauree, non memineram ad ea reſponſum eſſe diſſertatione 1. (a) quando tu nondum aderas. At verò cum Arioviſtus cuncta litteris conſignaverit, velitque aliquis ea juris publici quamprimùm facere, ea ibidem poteris cum otio legere.

Ego autem, adjungit Arioviſtus, debeo quidpiam ex te, D. Baccalauree, ſciſcitari; dic ergo, eſtne ſemper ignaviæ aliquid largiri propter *Clamorum vim atque adhærentûm potentiam?* Vide quid dicas, alioqui dicam ego ignavos eſſe Reges ac Principes, quando ob miſerabiles pauperum clamores & procerum potentiam ſive autoritatem, æquum aliquid ac juſtum decernunt. Imò verò dicam ignavum fuiſſe Chriſtum, quando cœco Evangelico magnâ *clamorum vi* petenti ut ſui miſereſceret; reſtituit oculorum uſum. Dicam ignavum eſſe æternum Patrem, quando nobis clamantibus *Abba, Pater*, propter potentem Chriſti interpellationem poſtulata concedit. Dicam etiam Deum ignaviæ argui à vate Regio, quando Pſal. 119. dicit; *Ad Dominum cùm tribularer clamavi, & exaudivit me.* Debes itaque confiteri, D. Baccalauree, eum non ſemper eſſe ignaviæ reum, à quo aliquid *extorquetur clamorum vi atque adhærentium potentiâ*: Confiteor, inquit Baccalaureus, ſi id quod extorquetur, non ſit malum per ſe, ſi omni turpitudinis labe

careat,

(a) *Pag. 5. & ſeqq.*

careat. Atqui, subsumit Ariovistus, Decreta illa Apostolica juxta Memorialis Autorem, non sunt mala è contrario juxta eumdem Autorem sunt *sanctissima*, sunt *justissima*. Ergo quòd illa dicat esse extorta *Clamorum vi atque adhærentium potentiâ*, non propterea Summum Pontificem ignaviæ arguit.

Si, inquit Venantius, luberet par pari referre, hîc nobis esset excutiendum pluribus, quâ vos reverentiâ excipiatis, non jam dico Bullas Pii V., Gregorii XIII. Urbani VIII. Innocentii X., Alexandri VII., & Alexandri VIII., (nam vobis nihil esse earum irreverentius constat ex antè dictis) sed hæc ipsa Innocentii XII. Decreta sive Brevia, propter quæ hîc tempestatem tantam in simpulo cietis. Esset, inquam, nobis excutiendum, quid de his Decretis dicatis, dum vobis facta est paulo liberiùs inter vos colloquendi copia. Certè vester Paulus Aurelius in Prologo Galeato pluribus contendit, in his Innocentii XII. Decretis, præcipi manifestum perjurium, & in fine pag. 61. sic habet; *Horreo fateor, cum mente perpendo, viros, alioqui laxitati infestos, in jurationem adeò tetram & horrificam; quâ Episcopus* (Jansenius) *doctrinâ ac vitæ sanctitate illustris, coram facie Ecclesiæ, invocatâ in caput suum (si secus habeat) irâ divinâ vindice, de quinis hæresibus reus agitur; tam frivolis obtentibus audere proruere.* Frivoli igitur obtentus sunt Decreta Innocentii XII. D. Baccalauree, inquit Ariovistus, uter est istorum Decretorum reverentior? hiccine qui in iis præcipi perjurii crimen affirmat, an qui ea dicit *extorta Clamorum vi atque adhærentûm potentiâ*, ita tamen ut ea simul *sanctissima* atque *justissima* esse pronuntiet?

Nihilo reverentior horum Decretorum est Vincentius Palæophilus in illo libello, qui inscribitur; *Gratia triumphans de novis liberi arbitrii decomptoribus, inflatoribus, deceptoribus ac præsertim scribillatore notarum Brevium in refutationem prodromam* BREVIS MEMORIALIS *de statu ac progressu Jansenismi in Hollandia.* Pag. 61: sic scribit; "Nullos (propriè ac verè loquendo) Jansenistas um-„quam extitisse, nec existere umquam posse, ex eo in-

dubitatè

„dubitatè conficitur, quòd nullius umquam dogmatis „Jansenius Auctor fuerit. Igitur nec vel ipse Jansenius „(si rem æquâ lance expendas) Jansenista esse potuit: „quia non docet, quid Jansenius sentiat, sed refert quid „Augustinus tradat. Stupidus, infidus, fraudulentus „historicus esse quivit, non erraticus, aut hæreticus dog-„matistes: Sed stupiditatem, perfidiam, vel dolos illos „non aliter, quam collatione libri ejus cum Augustino, „assignatâque evidenti utriusque discordiâ, demonstran-„dos esse vel cœci vident." Hactenus ille. Sed quid, inquit Baccalaureus, in his verbis reperis quod Innocentii XII. Brevibus adversatur? Jam videbis, reponit Ariovistus. His verbis falsitatis arguit Bullas Innocentii X. & Alexandri VII. utpote in quibus dicitur Jansenistas extitisse & in Jansenio contineri quinque illa dogmata. Jam verò cum Innocentii XII Brevia, ut ostendit ipse Paulus Aurelius, has decessorum suorum Bullas ac Constitutiones quoad omnia stabiliat, etiam Brevia Innocentii XII. arguit falsitatis: sic autem Pontifex ille loquitur; *Imprimis præcedentibus Constitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII., exemplo prædecessorum nostrorum firmiter inhærentes, easque in suo robore fuisse & esse declarantes &c.* Videsne iterum, D. Baccalauree, quinam majori cum reverentia ista Brevia recipiant? Antea diximus quoque Hennebellum dedisse Epistolam; quam Eminentissimi Cardinales judicarunt Brevi Innocentii XII. esse contrariam. Denique plura in hanc rem dedimus dissertatione 1., ubi & insinuavimus susceptionem illorum Brevium in tuis, D. Baccalauree, esse *protestationem facto contrariam*, *quæ* secundum Jurisconsultos *nihil operatur.*

Post hæc Venantius dixit; si velimus singula tam operosè ad examen revocare erunt iterum tot dies quot nuper insumendi. Quare cum nihil hic occurrat quod ante confutatum non sit, à Præfatione transeamus ad §. 1. Antequam hoc faciamus, inquit Ariovistus, non possum non observare Belgas Theologos hîc num. 10. & alibi locis variis non satis memores fuisse eorum quæ Eugenius de Gelder scribit in ultima voce zelatricis innocentiæ an-

no

no 1689. pag. 6. *Repleta sunt à planta pedis usque ad verticem capitis omnia subsellia, dignitates, ministeria in tota ditione Hispanica personis unicè quærentibus quæ sua sunt; non quæ justitiæ, Regis, aut Reipublicæ vel Dei &c.* Horum si fuissent memores, puduisset eos, credo, innocentissimis adversariis irreverentiam erga Regem ejusque Ministros toties objicere. Alia reverentiæ ipsorum specimina, ait Venantius, præbuimus diebus aliis. Nunc age, perlegamus primum paragraphum. Itaque sicut singuli singula habebant exemplaria, sic istum paragraphum totum legerunt singuli taciti, & dixerunt etiam ipse Baccalaureus, ad omnia in aliis dissertationibus responsum esse; sed addebat Baccalaureus; Rectene an secus, jam non disputo, postea inquiram. Istud facito, inquit Venantius; interim § 2. percurramus, forte ibi novum aliquid sese offeret. Certè illud, inquit Ariovistus, quod hic dicitur de Guilielmo Vander Nesse Pastore S. Catharinæ Bruxellis, novum non est; refutatum est dissertatione nostrâ quartâ. (a)

At novi aliquid clamat Baccalaureus, conspicor num. 19. ubi sic habent; " Ait (Memoriale) nos in ipsos „etiam Reges Christianissimos loqui & scribere irreverentiùs, cum dicimus Aulam Gallicam Jansenio infensam ob *Martem Gallicum*, ideòque condemnationem „quinque propositionum ipsius à Sede Apostolica postulasse. Sed hoc etsi à nobis dictum scriptumve probaret, „nec ipsa tamen, credo, Gallia injuriæ loco haberet. „Quod porro inde infert, sentire nos & dicere, propositiones illas censuram non meruisse, impudens calumnia est; cum testis sit Orbis universus, nos profiteri „disertissimè, & propositiones illas meritò condemnatas „esse, & à nobis eas sincerè condemnari." Hoc saltem, quantum memini, nusquam dixit D. Hennebellus.

Esto, inquit Ariovistus; sed D. Baccalauree, inspice Memoriale num. 30. & invenies clarissimè probatum quòd hoc à tuis Confœderatis dictum scriptumve fuerit, & quidem in vestro Memoriali, quod anno 1696. Madriti sparsum fuit. Ibi §. 2. hæc habetis, quæ ego

(a) *Pag. 85. & seqq.*

ego fideliter Latinitate donabo. *Liber*, inquiunt, *quem decem annis post in lucem emisit* (Jansenius) *adversus Galliam pro defensione sui Regis suæque Patriæ, hortatu Ministrorum Catholicæ suæ Majestatis; ipsi adversarios peperit multo potentiores.. Cardinales Richelius & Mazarinus primarii Ministri Regis Christianissimi id ipsi non condonarunt umquam; neque siverunt elabi occasionem ostendendi suum sensum, quæ se offerebat, quando ejus liber de gratia erat impressus. Fortiter contra eum concitarunt Aulam & Clerum Galliæ, omnesque quos potuêre Principes, ut ejus nomen extinguerent & illud darent Sectæ. Usi sunt* (Jesuitæ) *adversariis ad finem suum consequendum, & hi usi sunt illis ad suum emolumentum; & quantum primi conabantur exteros adversus hunc Præsulem commovere atque exacerbare, tantum isti curabant, ut in propria patria oblivioni traderetur Zelum, quem pro suo Rege testatum fecerat esse originem ac causam omnium persecutionum, quæ contra illum in Gallia tanto cum ardore excitabantur.* Tum subditur, *Hactenus hoc ultimum Memoriale.* Quo igitur pacto, D. Baccalauree, dicunt tui Hennnebello addicti Theologi, *sed hoc etsi à nobis dictum scriptumve fuisse probaret?* An hoc his vestris probatum verbis abundè non est? Fare, quid desideras amplius? quid evidentius?

Hîc pænè pudore suffusus est Baccalaureus, nihilominus dicere audebat hîc rectè à suis dictum; *Quod inde infertur, sentire nos & dicere, propositiones illas censuram non meruisse, impudens calumnia est*, & hoc semper tenebo, inquiebat. Itane verò, D. Baccalauree? inquit Ariovistus. Sed cur tu & tui non dicitis *Propositiones illas quinque Jansenii*, sicut Autor Memorialis ibi disertè loquitur? Cur simpliciter dicitis *illas propositiones*? Certè prætermissio nominis *Jansenii* hîc vos iterum prodit. In hac tota Confutatione, infit Venantius, quotiescumque fit 5. propositionum mentio (fit autem sæpenumero) semper nomen *Jansenii* subticetur, sicut & in anteriore Scripto Hennebelli observavimus. Quare verò subticeatur, satis expressimus alibi, nominatim dissertatione 4. (a) quæ hîc cum temporis dispendio retexenda non est. Non igitur, infert Ariovistus, *calum-*

(a) Pag. 59. & 60.

lumnia eſt, nedum *impudens* dicere, quòd Hennebelliani cenſeant 5. propoſitiones ſui Janſenii ut hæreticas in ejus ſenſu à Sede Apoſtolica damnatas eſſe, non quia aliquam cenſuram reverà in ejus ſenſu commeruerunt, ſed quia hæc cenſura extorta eſt *vi & potentiâ Gallorum* qui Janſenio infenſi erant. Et quid aliud volunt ultimi veſtri Memorialis verba jam relata?

Hæc profectò, inquit Venantius, audax ne quid gravius dicam, irreverentia eſt erga æquitatem infallibilitatemque Sedis Apoſtolicæ. Quid enim poteſt eſſe iniquius, quàm innocuas & verè Catholicas alicujus propoſitiones in ejus ſenſu damnare hæreſeos propter adverſantium *vim atque potentiam*? quid magis repugnat falli neſciæ Sedis Apoſtolicæ autoritati? quid magis poteſt evertere fidem Catholicam? Et tamen, ſubdit Arioviſtus, iidem illi Theologi quantas excitant tragœdias, dum apud adverſarios legunt, extorta eſſe *Clamorum vi atque adhærentium potentiâ* quædam Apoſtolica Decreta, quæ ſimul confitentur, eſſe *juſtiſſima ſanctiſſimaque*! An tui illi, D. Baccalauree, Apoſtolica contra Janſenium Decreta agnoſcunt etiam eſſe *juſtiſſima* & *ſanctiſſima*? Vide denuò quantum inter Hennebellianos & eorum adverſarios interſit.

Accedit, inquit Venantius, quòd Decreta, quæ innocuas & orthodoxas alicujus propoſitiones damnant ut hæreticas, numquam *juſta*, numquam *ſancta* eſſe poſſint, adeóque hîc non tantùm Sedi Apoſtolicæ faciunt injuriam, verùm etiam Regi Galliarum ejuſque Miniſtris, & tot Epiſcopis: etenim ſi ſummæ injuſtitiæ & impietatis ſit ejuſmodi Decreta edere, eſt etiam ſummæ injuſtiæ & impietatis eadem poſtulare, & *vi ac potentiâ extorquere.* Quid de Gallia cenſeant iſti Belgæ Theologi, mitto quærere. Certè dum ſupra dicunt; *Hoc etſi à nobis dictum ſcriptumve probaret, nec ipſa tamen, credo, Gallia injuriæ loco haberet*, non mediocrem præ ſe ferunt Chriſtianiſſimæ illius Nationis contemptum: ſignificant enim Galliam adeò perditam eſſe, ut ſuſdeque habeat, ſive juſta, ſive injuſta in Janſenium fulmina elicuerit, modò potuerit de Janſenio ob *Martem Gallicum*

ſu-

ſumere vindictam. Quo quid adversùs Galliam, ejus Regem, Miniſtros, & Epiſcopos dici poteſt atrocius? Quid magis iniquum? An illa verba, quærit Baccalaureus, habent mei Theologi? Tum iterum Venantius; illa tu ipſe, D. Baccalauree, nobis prælegiſti. An itaque, reponit Baccalaureus, ponunt *credo* pro *credimus*? Ut vides, infit Venantius; uſque adeò Confœderatorum Scriba, qui, ut fert conſtans fama, eſt Joannes Opſtratius, immemor fuit ſe hîc plurium perſonas ſuſtinere.

Quo magis, ſubdit Arioviſtus, ſuperiora illa verba conſidero, eo clariùs perſpicio iis aliquem Galliæ contemptum contineri. Imo videntur mihi conſentire Autori libelli Gallicè conſcripti, cui titulus *ſententiæ & agendi ratio Archiepiſcopi Mechlinienſis*. Hic pag. 26. dicit *Franciæ regimen* eſſe *magis injuſtum & crudele*, *quàm ſint Tribunalia Inquiſitionis*. Ibi unâ ſepiâ, inquit Venantius, Autor ille denigrat & regnum Galliæ & cuncta Inquiſitionis Tribunalia, adeóque & Romanæ. Imo & Regem Catholicum, ſubjungit Arioviſtus, quia talia Tribunalia in Regno ſuo non patitur tantum, verùm etiam fovet.

Sed veniamus, proſequitur Venantius, ad numerum 20. nam & ibi videntur habere aliquid novi: *Non minor*, inquiunt, *eſt calumnia quæ ſequitur, nos libellos famoſos ſcribere in Epiſcopos, qui ſe Sectæ noſtræ minùs propitios exhibent, ac præcipuè in Archiepiſcopum Mechlinienſem, qui Athanaſii conſtantiam imitatus, acerrimum ſe Catholicæ doctrinæ defenſorem oſtendit.*

Illa omnia, inquit Arioviſtus, quàm vera ſint, adeóque quàm longè à calumnia abſint, patet ex diſſertatione noſtra quarta (a) ubi Venantius inter alia narravit, tres diverſos contra Mechlinienſem Archiepiſcopum libellos famoſos uno die, carnificis manu, flammis traditos eſſe, mandante ſupremo Geldriæ Senatu. Et poſtea ego tibi, D. Baccalauree, prælegi *Propoſitiones per Belgium diſſeminatas* pag. 14. 15. & 16., ubi cernebamus calumnias contra Archiepiſcopum ita atroces, ut, quod

X raro

(a) *Pag.* 83. 84. & 89.

rarò contingit, tu ipse erubesceres. Aliquæ adhuc obversantur animo, puta hæc; "Qui priùs Brugensis, mo-
„dò Mechliniensis Ecclesiæ sponsus est contra datam
„fidem & sanctiores Ecclesiæ regulas, nonne adulter
„magis, quàm sponsus censendus est? "Quis hoc dicit? inquit Baccalaureus. Autor ille, respondet Ariovistus, qui Archiepiscopi Mechliniensis Decretum anno 1691. notis illustravit, idque pag. 3. Libellus hic totus scatet injuriis adversùs eumdem Illustrissimum, qui cum in illo suo Decreto de more scripsisset; *Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus &c.* Hæc verba infamis Autor eâdem pag. 3. sic corrigit; *Veriùs dixisset: tremendo Dei judicio ac Jesuitarum artibus.* Et immediatè subdit eumdem Archipræsulem designans; " Nulla major calami-
„tas, quàm Ecclesiam regi ab iis qui spiritu Christi, qui
„veritas est, non aguntur, sed seducti plurimos sedu-
„cunt, & clavem scientiæ non habentes, clave potesta-
„tis abutuntur."

Non sunt, Arioviste, inquit Venantius, supprimenda ea quæ idem Autor ibidem præmiserat. Sic loquitur; " Burgundum hunc (ita per contemptum vocat Ar-
„chiepiscopum) omnia in Belgio subvertere & bonos
„quosque viâ facti à suo gradu dejicere, nemo mirabi-
„tur, qui meminerit, Burgundum Cardinalem Gran-
„vel primum Ecclesiæ Mechliniensis Archiepiscopum
„cuncta perturbasse, ac partim in causa fuisse, cur Hol-
„landi à Rege Catholico & à Catholica fide defecerint."
Plura vide citatis paginis.

Tum Ariovistus, manu corripiens librum *disseminatarum propositionum?* Nihilo magis, inquit, parcunt reliquis Belgii Episcopis. Si vis, D. Baccalauree, specimina habere plura, quàm nuper dissertatione quartâ (a) exhibuimus, consule hunc librum pag. 103. 104. 105. 106. 107. & 108. Et reverà aliqua inde recitata sunt, nominatim illa verba Domini Malpaix deprompta ex ejus litteris datis 2. Februarii anno 1691. quibus insectatur Episcoporum Decretum de non legendis promiscuè voluminibus sacris in lingua vulgari. " Novum scandalum! Ado-

(a) *Pag.* 84.

„Adoranda verba, quæ Deus omnibus suis famulis re-„liquit ad solatium in exilio (solatio habentes sanctos „libros &c.) ipsis sunt erepta è manibus, quasi malus „& perniciosus liber, idque per Archiepiscopum Mech-„liniensem & Cameracensem. Horrenda excœcatio! „Scandalosæ ordinationes &c. " Recitatum est etiam quod habet liber ante allegatus, cui titulus *sententiæ & agendi ratio Archiepiscopi* pag. 27. *Decretum hoc maximè injuriosum est Deo.* Sed visum fuit Venantio, maximè ponderare id quod de eodem Episcoporum Decreto habet libellus inscriptus *Brevis & necessaria instructio de lectione Scripturæ Sacræ* pag. 25. *Jure dici potest hujusmodi Decretum non à Deo, sed à diabolo esse suggestum.* An ergo Episcopi, inquiebat Venantius, quos *Spiritus Sanctus posuit* in Belgio regere *Ecclesiam Dei*, spiritu aguntur diabolico? Quid est, D. Baccalauree, libellos famosos scribere in Episcopos, si hoc non est? Nihil dico de Epistola illa Flandrica sub nomine *J. Verleeghten Presbyteri* recentissimè typis edita, quâ cuidam Devotæ *ostenditur; Quòd in conscientia valeat continuare lectionem Testamenti Embricensis, signanter privatam, etiam non obstante propositione Archiepiscopi.* Epistola illa redundat in Episcopos calumniis. Scio, inquit Ariovistus, sed ex variorum litteris cognovi D. Hieronymum Harts Pastorem in Burcht aliquid scriptiunculæ contra illam meditari. Faxit Deus, excipit Venantius, ut quamprimùm prodeat, omniumque manibus non sine fructu teratur.

Hîc Hennebellianorum Scriptum Ariovistus iterum inspiciens, quid, inquit, conspicor? Ægrè ferunt illi novi Theologi, quòd Archiepiscopus in defendenda Fide Catholica dicatur Athanasii constantiam imitari. Hanc laudem, credo, soli suo Arnaldo attributam volunt, ideóque hîc adeò debacchantur. Sed videte quæso, subdit Baccalaureus, constantiæ Archiepiscopi specimina, quæ ibi recensentur & conferuntur cum veri Athanasii constantia. Brevî mutabitis judicium.

„ 1. Ab ipso, inquiunt, Archiepiscopatûs sui exordio „cœpit Confessarios, Concionatores, Monialium Re-„ctores, Archipresbyteros, aliosque è suis Officiis de-

 turbare.

„turbare. Numquam hoc fecit Athanasius; sed ipse è „sede sua sæpiùs deturbatus est."

„ 2. A potestate seculari postulavit, ut iis, quos de- „turbabat, omnis ad Tribunalia Regia recursus ac via „justitiæ præcluderetur. Numquam viam justitiæ claudi „jussit Athanasius; sed ipsi ea per Arianos apud Impe- „ratorem clausa fuit."

„ 3. Clericos suos & Pastores innocentissimos de hæ- „resi, de seditione, aliisque excessibus accusavit. Num- „quam id fecit Athanasius; sed ipse ab Arianis falsò de „his accusatus est."

„ 4. Novum cum *additionibus* Formularium fabrica- „vit, diversum à Formulario Apostolico, ideóque & à „Sancta Sede rejectum. Numquam Formularia nova „composuit Athanasius; sed quæ Arianorum artibus „composita fuerant, rejecit."

„ 5. A Sacris Ordinibus atque ab omni functione Ec- „clesiastica repulit eos, qui Formulario isti novo sub- „scribere recusabant. Numquam id fecit Athanasius; „sed ipse, quòd Arianorum Formulario subscribere nol- „let, exulavit."

„ 6. Sedi Apostolicæ novum istud Formularium reji- „cienti non acquievit, sed Scriptis ad Summum Pon- „tificem litteris, tentavit illud adversus Breve Aposto- „licum stabilire. Numquam Sedis Apostolicæ sententiæ „restitit Athanasius."

„ 7. Decretum edidit circa *usum Formularii*, quod non „obscurè ad evertenda duo Brevia Apostolica composi- „tum est. Numquam Decretis suis Decreta Apostolica „evertere voluit Athanasius."

„ 8. Amplissimum Oratorii Præpositum canonicè ele- „ctum, confirmare per annos omnino duos recusavit, „ac tandem, nè à Summo quidem Pontifice jussus, id „præstare voluit. Numquam iis, quos protegebat Sedes „Apostolica, refragatus est Athanasius."

Hæc dum auditis, subjungit Baccalaureus, an adhuc libet Athanasianam Illustrissimi Constantiam prædicare? Hîc tu, D. Baccalauree, inquit Venantius, cum tuis partiariis mihi risum moves. Quasi verò, ille qui cum S. Atha- nasio

nasio in aliquo comparatur, debeat Athanasio similis esse in omnibus. Ubi tritum illud *Omnis comparatio claudicat?*

Sed, adjungit Venantius, ne qua hîc D. Baccalaureo præbeatur insultandi occasio, oportet respondere ad singula. Ad primum respondeo, Archiepiscopum id jure merito facere potuisse: nam 1. amovit Joannem Opstraet à munere docendi Theologiam in Seminario Archiepiscopali, opposuit se Opstratius rationem exigens quam negabat Illustrissimus se ei debere reddere; litem vicit Illustrissimus in Regio Mechliniæ Senatu. 2. Deposuit & Antonium Rysack à Decanatu Christianitatis, quod munus semper habitum est, pendens ut à nutu Episcopi: depositus litem Archiepiscopo intentavit Romæ, sed nihil illic obtinuit. 3. Presbyteris quibusdam approbatis ad confessiones excipiendas usque ad revocationem, neque ullum jus aliunde habentibus, potestatem ademit, nullâ eis expositâ ratione, sed paratus de singulis rationem reddere S. Sedi dumtaxat, juxta Constitutionem Clementis X. *Superna magni Patris* editam an. 1670. die 2. Augusti. An in hoc quidquam est piaculi? At uti dicunt mei Theologi, inquit Baccalaureus, id numquam fecit Athanasius.

Nugæ, reponit Venantius: quis enim Autor præcipuus fuit Alexandro, ut Arium ejiceret, nisi Athanasius? Rogavit quoque Damasum, ut Auxentium Mediolanensem exautoraret, egitque eidem Damaso gratias, quòd Valentis & Ursacii asseclas ejecerit. Quàm multos autem ob Arianam impietatem Athanasius exautorarit ipse, non facilè dixerim. Testatur Severus Sulpitius libro 2. Historiæ Sacræ, quòd Marcellum Episcopum Ancyræ in Galatia, cum eum ex S. Basilii litteris minùs sanæ fidei cognovisset, à communione suspenderit. Nuper, inquit Ariovistus, lustrans vitam S. Athanasii ab Erudito Papebrochio compositam, incidi in ejusdem Sancti litteras ad Ruffinianum datas, ubi significat velle se," ut lapsis, qui duces fuerunt impieta-„tis (Arianæ) si pœnitentiam agerent, venia daretur, „non tamen suus locus in Clero: iis verò qui impieta-„ti non opposuerunt sese, sed abripi siverunt per violen-„tam necessitatem, non tantùm venia, sed etiam locus

„suus concederetur." Hæccine, D. Baccalauree, potuisset scribere Divus Athanasius, si nullos umquam de suis officiis deturbasset, aut saltem deturbationem approbasset?

Quando autem, prosequitur Ariovistus, Novatores addunt *S. Athanasium ipsum è Sede sua sæpiùs deturbatum esse*, satis ostendunt, quantoperè Mechliniensium Archiepiscopum è Sede sua deturbari desiderent. Jam dudum, inquit Venantius, è Sede sua deturbatus esset veluti Athanasius, si Belgæ Novatores potuissent Clementissimum Regem nostrum CAROLUM suis circumvenire fraudibus. sicut Eusebiani Ario faventes circumvenerunt Constantinum aliosque Imperatores. Sed ut circumveniant multos, hunc circumvenire nondum potuêre Eum deturbarunt votis suis, subdit Ariovistus, adeóque voluntas deturbandi non defuit, sed facultas, ut patet ex iis, quæ sparsim diximus. Imo si illi fuissent auditi, numquam ad eam Sedem fuisset promotus.

Sed nimium diu, infit Venantius, his inhæremus, quare festinemus ad secundum. Aio in eo esse manifestam calumniam. Non enim aliud Archiepiscopus & ceteri Episcopi postularunt, quàm ut deturbati ab officiis sive functionibus Ecclesiasticis, ad quas nullam habent potestatem ordinariam, sed tantùm delegatam & *revocabilem ad nutum concedentis*, non acciperent in ullo seculari Senatu protectionem, sive ut vocant *manutentiam*. An hæc petitio, D. Baccalauree, habet aliquid quod Canonibus sacris repugnat? an non est consentanea recto ordini, qui res merè Ecclesiasticas Ecclesiasticis Tribunalibus reservat? Certè Cardinales Congregationis Concilii Tridentini, in litteris 11. Januarii anno 1699. ad Archiepiscopum Mechliniensem datis, aiunt *indoluisse se vehementer de audita jurium spiritualium & Ecclesiasticorum apud seculares Præsides usurpatione*.

Tum Ariovistus dixit; nisi Rex, amicissime Venanti, huic Archiepiscopi aliorumque Episcoporum petitioni annuisset, quæ jam essent turbæ in Belgio! qui abusus! quæ jactura animarum! Id potest, excipit Venantius, utcumque colligi ex recentibus exemplis quæ ab

Autore

Autore motivi juris pro vindicandis Regiis Decretis afferuntur parte 1. cap. 3. Ergo è vestigio in gratiam Baccalaurei consultus est hic locus, & inventa sunt sequentia; " Pastor N. omnia perturbans à suis denuntiatur
„Episcopo, citatus monetur & modestè clam reprehen-
„ditur. Hic monitionis impatiens contra Denuntiatores
„suos & Episcopum palam in Cathedra debacchatur:
„citatur ab Episcopo, convincitur, suspenditur: suspen-
„sus recurrit ad Magistratum secularem, ab eo prote-
„gitur, sive, ut vocant, manutenetur: atque ita cogitur
„Episcopus molestiæ pertæsus, ineptum & furentem ho-
„minem rursus admittere ad curam animarum, licet
„certus sit magis in audacia confirmandum, tam hor-
„renda mox commissurum, ut suos protectores de præ-
„stita manutentia pudeat: neque opinio sua Episcopum
„fefellit; nam exiguo tempore plurima & tam atrocia
„patravit, ut singula non ad suspensionem tantùm, sed
„& ad depositionem & incarcerationem sufficerent. Alius
„Sacerdos non ex officio, sed ex mero Episcopi bene-
„placito admissus erat ad concionandum, & audiendas
„confessiones; admissio non notabat temporis duratio-
„nem determinatam, sed erat usque ad revocationem.
„Revocatâ dein potestate, recurrit is ad Magistratum se-
„cularem pro possessionis suæ confirmatione. Numquid
„rectè & sapienter pro Theologo? quasi verò approba-
„tionem vel jurisdictionem spiritualem pro audiendis
„confessionibus largiri vel protrahere possit Judex secu-
„laris. " Et subnectit idem Autor; "Plurima hujusmo-
„di obvia sunt, nec minus absurda, ad quæ Sacerdotes
„nonnulli rebelles potestatem secularem extendebant,
„quidquid reclamarent & obniterentur Episcopi." Quid jam ais, D. Baccalauree? an Archiepiscopus non fuit quodammodo necessitate compulsus cum reliquis Episcopis à Rege petere, ne talibus hominibus pateret hîc ullus ad secularia Tribunalia recursus?

Neque hîc, pergebat idem Venantius, dissimilis est S. Athanasio: nam dicunt Alexandrini Patres in sua pro Athanasio prolixa defensione, quòd, *cum* Episcopi apud Tyrum " nihil culpæ in Athanasio reperirent,

„Comesque, summâ vi imminens, plura contra eum moliretur; ipse Comitis violentiam fugiens, ad religiosissimum Imperatorem ascenderit," conquestus rem Ecclesiasticam tractari in illa Synodo, " cui Comes præsedit; ubi spiculator apparebat; ubi Commentariensis, loco Diaconorum Ecclesiæ, introducebat adventantes, ubi Comes verba faciebat, ceteri præsentes in silentio erant, vel potiùs Comiti obsequium suum accommodabant; ubi quod communiter Episcopis placuit, ab illo impediebatur; ille imperio utebatur, vel potiùs jussis Eusebianorum sententiisque ipse Comes inserviebat. Profectò, inquit Ariovistus, iisdem ferè verbis potuisset Archiepiscopus suas apud Regem querelas deponere; solum oportuisset mutare nomina. At quid Belgæ Theologi sibi velint loco tertio, haud satis assequor.

Verosimiliter, ait Venantius, hîc respiciunt integram illam suarum *propositionum* farraginem, quam Archiepiscopus ad supremum Innocentii XII. Tribunal detulit. Si hoc sit Clericos & Pastores de hæresi, de seditione, aliisque excessibus accusare, fateor quòd Archiepiscopus Clericos suos & Pastores, non tamen innocentissimos, accusaverit de hæresi, de seditione, aliisque gravissimis excessibus. Sed nonne & S. Athanasius id fecit? Quis illo fortiùs constantiusque dixit contra Arianos in Nicæna Synodo? quis eorum impietatem ac hæresim detexit clariùs? quis liberiùs seditiosum eorum animum & facta sacrilega coarguit? quis alios gravissimos excessus prodidit apertiùs? Mitto quid in Synodo Sardicensi dixerit, mitto quid in aliis. Hæc ignorare non potest, inquit Ariovistus, qui ipsius opera vel à limine salutavit. In Epistola contra Arianos sic loquitur;" Scripsimus dilecto Damaso Episcopo magnæ Romæ, contra Auxentium, invasorem Mediolanensis Ecclesiæ, eumque non solùm in communione esse Arianicæ Sectæ, sed præterea reum multorum scelerum, quæ designavit cum Georgio socio suæ impietatis. " Atque similes frequentes accusationes in causa fuerunt, cur omnium hæreticorum odia in unum Athanasium, ita

exarsc-

exarſerint, totque ei pepererint moleſtias atque ærumnas, quas ſubire numquam debuiſſet, niſi Arianos tam implacabiliter perſecutus fuiſſet. Sic & Archiepiſcopus potuiſſet multas moleſtias effugere, ſi voluiſſet vobis amicus fieri.

Sed juvat, addit Venantius, hîc præbere ſpecimen aliquod, quomodo aberrantes à fide Clericos Athanaſius accuſaverit, ut D. Baccalaureus poſſit modum ipſius accuſandi, quaſi ex ungue leonem cognoſcere, & ſimul videre quanto mitiùs cum ſuis Illuſtriſſimus Humbertus egerit. Sic itaque ſcribit Athanaſius, Epiſtolam ſuam ad Orthodoxos finiens; " Denique ne prolixior in ſcribendo videar, perſecutio adeſt & quidem talis, qualis numquam contra Eccleſiam facta eſt. Nam in alia „antehac perſecutione, ſi fugam eligeret aliquis, etiam „latens poterat baptizari; nunc verò major crudelitas exercetur, & Babyloniorum crudelitati ſimillima. Ut „enim tunc adverſarii Danielis, ſic nunc admirabilis hic „Gregorius, privatim domi ſuæ orantes ad Præfectum „defert, & ſacrorum Miniſtros injurioſiſſimè obſervat; „adeò ut propter iſtam violentiam multi non baptizati „periclitentur, multi ſine viſitatoribus ægrotent & lamententur, ipſo morbo acerbiorem exiſtimantes ejuſmodi calamitatem. Etenim Miniſtris Eccleſiæ perſecutionem patientibus, abominantur populi impietatem „hæreticorum Arianorum; maluntque potiùs ſic ægrotare & periclitari, quàm ut ſuper capita ſua veniant „manus illorum. Arianus namque Gregorius eſt, & pro „Arianis miſſus; & ideò præter hos quidem nemo illum poſtulat; ipſe verò tamquam alienus & mercenarius, quælibet acerba & gravia per conſentientem ſibi „Præfectum irrogat Eccleſiæ Catholicæ populo, velut „minimè ſuo. Etenim quoniam.....eum, quem Arianis priùs Eu ebiani conſtituerant, poſtquam ego de eo „ſcripſi, vos Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopi, cognitâ illius impietate, anathemati ſubjeciſtis, & excommunicatum declaraſtis; ideò Gregorium iiſdem Arianis miſêre. Ne autem etiam hic, me ſimiliter de eo ſcribente, eamdem pateretur ignominiam; externâ vi con-

tra

„tra nos usi sunt, ut cum Ecclesias possiderent, Arianis-„mi suspicionem viderentur effugere. Sed in hoc quo-„que frustrati spe suâ sunt: nemo enim Ecclesiasticorum „sese adjunxit Gregorio, nisi vel hæretici, vel ob cau-„sam ejecti, vel propter Præfecti violentiam dissimula-„re persuasi." Palam facit ibidem S. Athanasius, quomodo ab Arianis contaminarentur Virgines; Archiepiscopus autem nondum palam fecit, Parochum N. cujus jam aliquoties meminimus, scurriliter gloriatum esse, quòd ante sacrificium manus extenderit ad ubera duarum Virginum, & tamen eodem die sacrificium non confessus obtulerit. Ex quibus omnibus, D. Baccalauree, facilè conjicias, quanto vehementiùs Novatores S. Athanasius accusaverit, quàm jam facit Mechliniensium Antistes.

At ipse Athanasius, objicit Baccalaureus, de hæresi, de seditione, aliisque excessibus falsò ab Arianis accusatus est. Non eo inficias, reponit Venantius; sed & Archiepiscopus à vobis falsò de his accusatus est

Ita res se habet, inquit Ariovistus, & singula probanda suscipio. 1. Accusatus est de hæresi, quando in diversis libellis adversùs eum docuistis promiscuam Scripturæ Sacræ lectionem in lingua vernacula *sine hæresi* prohiberi non posse. Libellos illos & inde fideliter excerptos locos cernere est in *Propositionibus per Belgium disseminatis*, paginis jam ante allegatis 104. 105. 106. & 107. Deinde accusatus est de seditione in libello qui inscribitur *Sententiæ & agendi ratio Archiepiscopi Mechliniensis*. Ibi enim pag 26. sic legitur; *Illustrissimus simul pars est, testis, judex & executor contra Regis subditos. Nonne hoc est in hasce Provincias introducere regimen purè tyrannicum, & contrarium omnibus legibus, omnibus consuetudinibus & omnibus harum Provinciarum privilegiis, ad quæ observanda sua Majestas jurejurando se obstrinxit?* 3. Denique accusatus est de aliis excessibus. Ad quod probandum non adducam, D. Baccalauree, tuorum propositiones omnes huc facientes, sed unam tantum, excerptam ex Notis in Epistolam Eximii D. Martini Steyart editis anno 1691. Et hæc est, legiturque pag. 94. *Archiepiscopus* (Mechliniensis) *omnia in sua Archidiœcesi permiscet.* Imo, inquit Venantius, in li-

libello inſcripto *ſententiæ & ratio agendi Archiepiſcopi* pag. 23. dicitur *contra Eccleſiæ regulas & normam juſtitiæ procedere*, *& agere more ſicariorum*. Idipſum, ſubjungit Arioviſtus, poteſt probari vel ex hoc Belgarum Theologorum opuſculo, quod modò examinandum ſuſcepimus: qua enim in re hîc ipſi parcunt? quid ipſi non exprobrant? quas non excogitant impoſturas?

Ad hæc ridebat Baccalaureus. Quod ubi Arioviſtus animadvertiſſet; ita eſt D. Baccalauree inquit, ita eſt ut Venantius dixit, & impoſtura nova ſeſe offert loco quarto, ubi Archiepiſcopum & Primatem ſuum criminantur, quòd " novum cum *additionibus* Formularium „fabricaverit diverſum à Formulario Apoſtolico. " Eſt impoſtura, inquam: non enim Formulario Alexandri VII. aliquid explicationis ſubtexere eſt Formularium novum fabricare, & ab eo diverſum, niſi fortè S. Scripturam explicare ſit fabricare Scripturam novam, & ab alia diverſam. Aliud autem nihil fecit Archiepiſcopus. Imo, infit Venantius, ne hoc quidem fecit. Has ad Alexandri VII. Formularium *additiones* adjecit Epiſcopus Namurcenſis Venerabilis Memoriæ D. Vander Perre, & ſic jusjurandum in ſua Diœceſi primus exegit ab Ordinandis. Si ita explicatum Formularium, novum dicendum ſit; Epiſcopus Namurcenſis, non Mechlinienſis novi Formularii fabricator fuit. Quare etiam in hypotheſi, quòd S. Athanaſius numquam Formularia nova compoſuiſſet, non hic deſineret poſſe cum S. Athanaſio comparari.

Sed an S. Athanaſius, quærit Arioviſtus, nullum umquam Formulare compoſuit? O quàm libenter, exclamat Baccalaureus, jam vellet Arioviſtus S. Athanaſio adjudicare ſymbolum QUICUMQUE VULT quod ei alàs cum Eruditis abjudicare conſuevit! Quæ me cauſa, inquit Arioviſtus, poteſt ad hoc volendum impellere? jam enim Archiepiſcopus Mechlinienſis defenſus eſt, etiam in ea opinione quæ S. Athanaſio abjudicat omne Formulare ſive fidei ſymbolum. Tamen ut agamus liberaliter & defendamus etiam Namurcenſem Epiſcopum, aio eſſe qui opinantur ſymbolum Nicænum, quod hodiedum in Sacrificio recitatur, à

S. Atha-

S. Athanasio concinnatum. Quid, quòd, secundùm Theodoretum à Morerio citatum, S. Athanasius Synodum Alexandriæ coëgerit post suum ab exilio reditum, & ibidem condiderit novum Symbolum sive Formulam fidei, non tamen QUICUMQUE VULT. Verùm, ut ut sit, subdit Venantius, nihil ad defensionem Episcopi Namurcensis dici potest illustrius, quàm quòd tota Occidentalis Ecclesia Symbolum QUICUMQUE VULT magnoperè veneretur, ac recitet publicè in templis, etiam prout S. Athanasio inscribitur. Hoc certè non faceret, si novas ab Episcopis fidei antiquæ Formulas condi ad reprimendas nascentes hæreses universim improbaret.

Jam satis, prosequitur Venantius, responsum est ad quartum. Ad quintum quod attinet, fateor, Archiepiscopus à sacris Ordinibus repulit eos, qui isti Formulario subscribere recusabant, saltem quamdiu illud exigere per S. Sedem licuit. Sed quid in eo egit à S. Athanasii moribus alienum? Certè ad Damasum ita scribit ille Sanctus; " Hortamur, ne suscipiatis eos, qui.... „prætextu fidei obtrudunt multitudinem Synodorum.... „& solùm apud vos autoritatem habeat fides à Patribus „Nicææ professa; cui etiam eorum Patres, qui ipsam „nunc oppugnant, adfuêre, &, sicuti diximus subscrip„sere." Estne ullo pacto verisimile, ut Athanasius, qui petebat, recusantes subscribere Nicænæ Formulæ, à Papa Damaso non suscipi, eos ipse ad sacros Ordines & functiones Ecclesiastices admitteret?

Multo minùs, subjungit Ariovistus, id nobis videbitur verisimile, si in memoriam revocemus, quomodo Athanasius Arianos etiam Laicos, ad alia loca migrantes, suis litteris persequeretur. Posthæc recitavit Epistolam 47. S. Basilii ad Athanasium; " Accepi Sanctitatis Tuæ litte„ras, quibus adversus Libyæ Præfectum, virum infa„mem, ingemuisti..... Et illum quidem flagella manent „apud justum Judicem, ad eumdem commensurata mo„dum, quo ipse Sanctos præsumpsit affligere: innotuit „autem & Ecclesiæ nostræ ex litteris Pietatis tuæ, atque „aversandum & execrabilem illum arbitrabuntur om„nes, ita ut nec ignis, nec aquæ, nec tecti communio-
nem

„nem cum illo sint habituri..... neque omittemus, quo-
„minus condemnationem istam omnibus ejus familia-
„ribus, & amicis, atque etiam advenis ostendamus."

Hîc infrendens Baccalaureus. Quamdiu, inquit, in his immorabimur? Transeamus ergo, ait Ariovistus, ad sextum, ubi Archiepiscopus dicitur *Sedi Apostolicæ novum istud Formularium rejicienti non acquievisse*. Hæc est calumnia quanta potest excogitari maxima. Numquam Archiepiscopus Sedi Apostolicæ restitit; at sæpissimè ei restiterunt & etiamnum resistunt ejus adversarii, tui inquam Belgæ Theologi, ut aliàs tam sæpè probavimus. Neque minor, infit Venantius, calumnia est, quòd, ut est loco septimo, *Decretum ediderit circa usum Formularii, quod non obscurè ad evertenda duo Brevia Apostolica compositum est*. Hæc ubi Venantius dixerat, Ariovistus Illustrissimi Decretum protulit, adegitque Baccalaureum illud elatâ voce legere.

HUMBERTUS GUILIELMUS

A PRECIPIANO

DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

ARCHIEPISCOPUS MECHLINIENSIS,

Primas Belgii, ad Exercitus Regios Delegatus Apostolicus, Suæ Majestati à Concilio Statûs, &c.

Omnibus has visuris Salutem in Domino.

„INnocentius XII. Pontifex maximus pro Pastorali sua
„ solicitudine Ecclesiarum Belgicarum necessitatibus
„prospiciens, ad removendas dubitationes omnes & ca-
„villationes circa condemnationem quinque famosarum
„propositionum, & præscriptam adversus eas formulam
„Juramenti, omnes, ad quos pertinet, certiores redde-
„re dignatus est Apostolico Brevi ad Nos dato sextâ Fe-
„bruarii ultimò elapsi, se *firmiter inhærere Constitutioni-
„bus Prædecessorum suorum* Innocentii X. & Alexandri

VII.

„VII. *in quibus quinque propositiones ex libro Cornelii Janse-„nii, cui titulus est, Augustinus, excerptæ & damnatæ, unà „cum Formulario juramenti in earumdem condemnationem „præstandi continentur, easque* Constitutiones *in suo robore „fuisse & esse declarat.* Ne verò altercatio deinceps sit de „sensu, quo in memorato libro propositiones prænomi-„natæ deprehenduntur, addit, *eas* esse *ex libro Jansenii „excerptas in sensu obvio.* Declarat prætereà Nos *per Con-„stitutionem Apostolicam munitos esse facultate, Formularii „subscriptionem, seu Juramentum ad praxim reducendi, in „quo Zelum & Caritatem* Nobis commendat. Quaprop-„ter voluimus primi omnium juxta eamdem Formulam „jurare, eique manu propriâ subscribere, uti reipsâ jura-„vimus & subscripsimus, exemplum nostrum mox sequen-„te Vicario nostro Generali, ut ceteris interioribus Pres-„byteris murmurationum ansa præscindatur. Neque „enim est, cur in re tam honesta & Sedis Apostolicæ ju-„dicio comprobata Oves pudeat sequi exemplum Pasto-„ris, aut Presbyteros exemplum Episcopi. Præstandum „autem est Juramentum juxta Formulam ab Alexandro „Papa VII. præscriptam, quæ hic subjicitur, cuique ni-„hil sive internè sive externè addi potest, aut demi quo-„cumque prætextu; Sed omnes, *qui ad Juramentum adi-„gendi sunt, illud præstare debent sincerè absque ulla distin-„ctione, restrictione, seu expositione*, neque *alio sensu, quàm „obvio, quem ipsius Formularii verba per se exhibent.* Si quis „aliter jurare præsumpserit, hominibus fortè illudere po-„terit, sed non Deo, qui scrutatur corda, & horrendum „perjurii crimen non patietur impunitum. Datum Brux-„ellis in Palatio nostro Archiepiscopali 5. Julii 1694. „H. G. A. M. V.

„ De Mandato Illustrissimi ac Reverendissimi Domini
„ Archiepiscopi præfati. H. J. VAN SUSTEREN
„ Secret.

Lecto hoc Decreto, Ariovistus sic affatus est Baccalaureum; Quid jam censes, D. Baccalaurce? Estne vel apex, undè colligas illud Decretum compositum esse ad ever-

evertenda duo Brevia Apostolica? Imo verò estne in illo Decreto aliquid, quod non spiret summam erga duo ista Brevia reverentiam observantiamque? Fare, D. Baccalauree, quid adhuc conticescis? Vide itaque quo usque tandem progrediatur tuorum in suo Archiepiscopo & Primate calumniando protervia. Liceat mihi in eos accommodare verba, quæ Synodus Alexandrina in Arianos intorsit agens de S. Athanasio; *Nusquam non homini infesti sunt, ut saltem mendaciis eum infamem reddant.*

Non scio, inquit Venantius, an hîc aliquid, Arioviste, observaveris. In hoc Decreto Archiepiscopus iterum imitatus est magnum Athanasium, quia & hic, teste Nazianzeno, Nicænæ Formulæ sæpe suâ gemmâ subscripsit, ut Episcopos aliosque presbyteros suo exstimularet exemplo. At quæ erat, inquit Baccalaureus, ista Nicæna Formula, quam toties prædicas?

Hâc interrogatione, respondet Venantius, mihi D. Baccalauree, aperis amplissimum campum ostendendi, quàm bene vos ab Arianis didiceritis cavillandi artem & quàm cautè Alexander VII. suam Formulam conceperit. Non satis habebant Nicæni Patres condidisse eam fidei Formulam, cujus hodiedum est usus inter sacros ritus divini Sacrificii; sed huic subnexuêre Anathema dicendum in errores ipsos ex Arii libris articulatim excerptos. Erat igitur bimembris Formula, cui subscribendum erat ex Concilii sententia. Altero quidem membro Fides adstruebatur Catholica; altero verò Arii destruebantur errores. Ac proinde erat Formula peridonea solvendis quæstionibus duabus; quarum alteram dicere possis *Quæstionem juris*, quid ex sacris litteris & traditionibus de Trinitate sentiendum. Alteram verò *Quæstionem facti*, ecquid ab Ario traditum in sua Thalia aliisve scriptis contra SS. Trinitatem. Hoc certum est Nicænos Patres non utcumqne errores contra SS. Trinitatem, sed errores Arii condemnasse. Sic enim scribunt; " Impia & perversa dogmata Arii coram san„ctissimo Imperatore perquisita sunt: unde placuit Con„cilio, communibus suffragiis anathema denuntiare ejus „nefariæ opinioni & verbis sententiisque execrabilibus."

Huic

Huic Formulari, prosequebatur Venantius, alacriter subscripserunt trecenti & amplius Episcopi; tergiversabantur Ariani, utpote quibus displicebat vox ὁμόστος, nec non Arii dogmata feriens Anathematismus. Tandem ad cavillationem adjecerunt animum, & distinxerunt *Quæstionem juris* & *Quæstionem facti*, quemadmodum patet ex illa Epistola, quam exilio damnati dederunt ad Synodum ipsam. " Consentimus, aiebant, illi ,,fidei decisioni: atque vi & notione verbi CONSUBSTAN-,,TIALIS diligenter ponderatâ, paci nos totos addiximus: atque nullum errorem secuti sumus. Sed tum ,,quò Ecclesiarum securitati proinde consuleretur, ea, ,,quæ in nostram cogitationem venerant, vobis suggessimus: tum quò illos, qui nostro consilio & sententiâ ,,acquiescere deberent, certâ persuasione confirmaremus, ,,Fidei illi subscripsimus. ". Videsne, D. Baccalauree, ut fateantur haud ægre se inductos ad subscribendum Formulæ, quâ parte illa respondebat *Quæstioni juris?* Audi cetera. " Anathemati autem Ario à Concilio denuntiato, non ob eam causam non subscripsimus, quòd Fidem illam incusaremus; sed quòd minimè crederemus ,,eum, qui erat accusatus, hominem ejus generis fuisse; ,,præsertim cum ex illis, quæ privatim ad nos ab eo, tum ,,per Epistolas relata erant, tum per ejus sermonem coram habitum declarata, pro certo eramus persuasi, ,,ipsum longè alium fuisse. " Videsne jam, ut fateantur non potuisse se induci ad Formulæ subscribendum, quâ parte respondebat *Quæstioni facti?*

D. Baccalauree, inquit Ariovistus, mutato nomine de te fabula narratur. Nam tu tuique omnes damnatis quidem 5. famosas propositiones, sed numquam additis *Jansenii*, numquam *in sensu ab eo intento*, numquam fatemini illas *esse excerptas ex ejus libro, cui nomen Augustinus*; aut si quando dicitis illas esse hæreticas *in sensu obvio*, non tamen dicitis *in sensu obvio Autoris sive libri*, quòd minimè credatis eum, qui à S. Sede damnatus est, Augustinum Iprensem *ejus generis esse*; præsertim cum ab iis quibus operam datis, Doctoribus persuasi estis, *ipsum longè alium esse*. Hæc autem à me non sine fun-

fundamento dici, conficitur ex dissertatione nostra secunda (a) ubi quædam tuorum facta in medium protulimus. Hæc, D. Baccalauree, ait Venantius, audire numquam coactus fuisses, si nullam de Nicæna fide movisses quæstionem. Et ut verum fatear, non est gutta guttæ similior, quàm vos similes estis Arianis. Clament tui Belgæ Theologi, quantum volent, *se ab Arianæ perfidiæ suspicione expurgatos.* Numquam tamen fidem invenient apud eum, qui hæc rectè expenderit.

Tum Baccalaureus ratus Ariovistum & Venantium tam longos hâc super materia habuisse sermones, quia non poterant refellere quod ab illis Belgis Theologis octavo loco objicitur, dixit; Scitum herculè consilium! Molimini tam odiosâ comparatione me avocare aliò, & sic subterfugere responsionem ad octavum, ubi Archiepiscopus arguitur, quòd *Amplissimum Oratorii Præpositum canonicè electum, confirmare per annos omnino duos recusaverit.* Sed teneo vos, nulla fuga est, respondebitis, si viri estis.

Nobis, inquit Ariovistus, numquàm in animo fuit responsionem istam subterfugere. Et verò oportet illum Oratorii Præpositum valdè laborare famâ, cum illius nomen reticeatur: quæ enim alia causa potest esse, cur Belgæ Theologi illud non exprimant? Vocatur, ait Baccalaureus, Joannes Martinus de Hont. Virum novimus, reponit Ariovistus, admodum reverens est Sedis Apostolicæ, ut alio tempore (b) demonstravimus: Cum ipsi objiceretur Romana Cathedra, damnans 5. Jansenii propositiones; se in Sede collocabat. Tum induens nescio quam mimicam majestatem; *Ego*, inquiebat, *ex mea Sede loquor, sicut Pontifex ex Cathedra; ex 5. propositionibus famosis damnatis ab Innocentio X. & Alexandro VII. nullam reperire est in libro, cui titutus Augustinus Jansenii.* Commentum, inquit Baccalaureus, & somnium. Hoccine, reponit Ariovistus, tu commentum dices & somnium, quod testati sunt viri fide dignissimi & omni exceptione majores? Hoc dicto, in medium adduxit testimonia autentica. Quæ ubi sibi præ-

(a) *Pag.* 58. & 59. (b) *Pag.* 58.

legi Baccalaureus audiverat, tantum non exanimis corruit: neque enim erat adeò effrons, ut testes illos mendacii postulare auderet. Postea Venantius; An ergo inquit, poterat religiosissimus Antistes talem hominem confirmare? an non debebat religione impediri, præsertim cum videret tot testimonia autentica. Quamquam fuerint & causæ aliæ, quare Archiepiscopus eum confirmare noluerit. Nobis sufficiat aperuisse unam. Tamen eum confirmare, infit Baccalaureus, à Summo Pontifice jussus est. Respondit Venantius; Ita quidem tui Theologi asserunt, sed id falsum est, adeóque calumniis reliquis accensendum. Sic est, inquit Ariovistus, Archiepiscopus tale mandatum Româ numquam accepit.

Sed videamus, idem Ariovistus prosequebatur, an quid simile numquam præstiterit invictus ille Arianorum impugnator Athanasius, quicum Archiepiscopum vestrum & Primatem comparari tam ægrè vos habet. A Summo Imperatore Constantino jussus Arium ad communionem fidelium recipere, constanter recusavit. Et quod amplius est, scripsit ad Damasum, *mirari se cur Auxentius nondum depositus dejectusque esset ab Ecclesia*, eumdemque Pontificem iisdem litteris hortatus est, ne quos susciperet Nicænæ Formulæ subscribere detrectantes. Quibus ex litteris conjicimus, quid facturus fuisset Athanasius, si quis ei P. Joannem Martinum de Hont confirmandum obtulisset. Nunc juvat, D. Baccalauree, tuorum mores cum moribus Arianorum conferre, quemadmodum Archiepiscopum cum Athanasio contulimus. Primò Ariani objectabant Athanasio, quòd *quorumdam perjurio ad Episcopatum ascendisset*; vos Humberto objectatis, quòd eò ascenderit *tremendo Dei judicio ac Jesuitarum artibus*. Deinde Ariani malè interpungebant Evangelium S. Joannis; vos malè interpungitis Bullam Pontificiam. Tertiò.....

Doctissime Arioviste, interturbat Venantius, si cuncta ordine recensere aggrediare, non poteris tam citò exitum evolvere. Sine potiùs D. Baccalaureum recitare ea quæ suorum Theologorum manipulus num. 22.
pro-

proloquitur. Bonus Baccalaureus, nullâ interjectâ morâ, recitavit sequentia; " Quod tandem ait (Memoriale) „nos Breve Apostolicum SS. D. N. Innocentii XII. „tantopere extollere, non ut sacram Vicarii Jesu Chri„sti autoritatem tueamur; sed ut sub apparenti Brevis „illius favore, parti Catholicæ, Regi, Regiisque Mini„stris silentium dolosè imponamus, ea demùm in Sum„mum Pontificem & Regem insignis contumelia est. „Quid enim hoc est aliud, quàm apertè dicere, dolum „latere in ipso Brevi Apostolico, quem nequaquam „summus Pontifex neque Rex Catholicus advertat? „Equidem cum Breve Apostolicum simpliciter, absque „restrictione, expositione, aut interpretatione admit„tamus; non possumus per illud dolosè silentium impo„nere, nisi ipsum Breve Apostolicum dolosum sit, at„que ad imponendum parti Catholicæ, Regi, Regiis„que Ministris silentium compositum." Hactenus Belgæ Theologi.

Hæc ipsa verba, inquit Venantius, unà tecum legebam; sed mirabar à Belgis Theologis supprimi id quod ibi habet idem Memoriale, nempe Theologos, qui Breve Innocentii XII. tantopere extollunt, esse " eosdem qui „tam sæpè & tam apertè jam inde à sectæ suæ primor„diis exuerunt omnem reverentiam hodieque exuunt „erga decreta summorum Pontificum Pii V. Gregorii „XIII. Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VII. & „Alexandri VIII. qui proscripserunt novas opiniones „Michaëlis Baii, Cornelii Jansenii & novi Rigorismi, „ita ut Alexander VII. in suâ Bulla ad sacram anno „1657. 18. Octobris, eos vocaverit INIQUITATIS FILIOS. Miror, inquam, hoc à tuis Theologis supprimi. Est enim antecedens, unde Autor Memorialis concludit Belgas Theologos in admittendo Brevi Innocentii XII. non sincerè procedere, sed dolum aliquem & fraudem machinari. Et numquid rectè, D. Baccalauree, hoc inde concludit? Nam si sincerè agant neque ullas struant insidias, cur hoc Innocentii XII. Breve tot aliorum jam nominatorum Pontificum Bullis & Constitutionibus anteponunt? Et ut mittam infinita alia quæ antè

adduximus, cur adhuc nuperrimè Abbas S. Juliani in Tractatu Historico de Gratia & Prædestinatione pag. 116. aliorum Pontificum Bullas appellat *turbines qui paleam quidem possunt movere & tollere, sed non triticum bonum*, quale isti Autori est doctrina Jansenii ejusque sequacium? Usque adeò amant tui Confœderati semper mutilare adversariorum scripta, ne observet Lector quàm merito illi ab his accusentur.

Tum Baccalaureus dixit; Quousque tandem, Venanti, perges & summum Pontificem & Regem contumeliâ insectari? Quam ego, reponit Venantius, dixi in Regem & Pontificem contumeliam? O te obliviorum! exclamat Baccalaureus; jam nunc oblitus es quid in Confutatione legerimus. Igitur refricabo memoriam. „Dicere quòd nos Breve S. D. N. Innocentii XII. tan„topere extollamus, ut SUB APPARENTI BREVIS IL„LIUS FAVORE, parti Catholicæ, Regi, Regiisque Mi„nistris silentium dolosè imponamus, ea in summum „Pontificem & Regem insignis calumnia est." Ridiculum, inquit Venantius. Næ tu Venanti, reponit Baccalaureus, homo mirabilis es. Antè judicas quàm adjunctam probationem audiveris. Hæc autem est: "Quid „enim hoc est aliud, quàm apertè dicere, dolum la„tere in ipso Brevi Apostolico, quem neque summus „Pontifex, neque Rex Catholicus advertat?

Si hanc probationem, inquit Venantius, involvisses silentio; meliùs tuorum famæ consuluisses: etenim mihi visa est adeò frivola, ut eam indignam responsione putarem. Nunc autem, quoniam cogis me, ad eam respondebo. Cedo igitur, D. Baccalauree, nulline hæretici magnopere extollunt Scripturam sacram, non ut falli nesciam Dei autoritatem tueantur, sed ut sub apparenti Scripturæ illius favore hominibus dolosè imponant? Baccalaureus non poterat non hoc concedere Venantio, & reverà concessit. Extemplo Venantius, Ergo, inquiebat, tu D. Baccalauree, impius es & blasphemus in Spiritum Sanctum, si quid nervi cogitetur habere superior illa tuorum argumentatio. Nam pari jure dicam; Quid hoc est aliud, quàm apertè conce-

dere,

dere, dolum latere in ipsa Scriptura Sacra, quem neque dictans Spiritus Sanctus advertat? Imo verò subnectit Ariovistus, blasphemus est S. Petrus, dum secundæ suæ Epistolæ cap. 3. ait in Scripturis *esse quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant..... ad suam ipsorum perditionem.* Contendam enim S. Petrum hîc apertè dicere, *perditionem* latere in ipsis sacris paginis & fuisse à S. Spiritu ignoratum.

Hîc aqua hærebat Baccalaureo. Sed aliquanto pòst, ac si quis per machinam demissus Deus ad solvendum nodum intervenisset, triumphabundus clamabat; Illi hæretici non admittunt Scripturam simpliciter, absque restrictione, expositione, aut interpretatione, quemadmodum nos Breve Innocentii XII. admittimus; & consequenter hîc dispar ratio est. Sensus Catholicus, reponit Venantius, sæpè à restrictione, ampliatione, aliave interpretatione dependet; adeòque insulsa est hæc tua responsio, neque quidquam ad rem facit. Sed ut ad rem faceret, interjicit Ariovistus, an tuæ Sectæ Theologi illud *Breve Apostolicum simpliciter, absque restrictione, expositione, aut interpretatione admittunt?* Nonne, reponit Baccalaureus, jam illos audisti hoc protestantes. Audivi quidem, respondit Ariovistus, sed est iterum protestatio non sincera, & facto contraria, ut fidem faciunt ea quæ alibi adduximus, præcipuè verò dissertatione secunda (a) ex Abbate Du Manoir.

Postea itum est ad §. 3. cujus hic titulus & argumentum est, " Vindicantur Belgæ Theologi ab irreverentia erga Constitutiones Summorum Pontificum Pii V., „Gregorii XIII., Urbani VIII., Innocentii X. & Alexandri VII. simulque eorum erga easdem observantia & „obedientia ostenditur. " Sed nihil ibi fermè inventum fuit quòd aliàs refutatum non sit in Hennebello. (b) Atque imprimis Ariovistus notabat hos Theologos adeò presse vestigiis Hennebelli inhærere, ut etiam sequantur ipsius errorem, vel potiùs malam fidem in citandis litteris Alexandri VII. anno 1660. die 7. Augusti ad

(a) *pag.* 60. (b) *pag* 62. 63. 64. 65. 95. 96. *& seqq. pag.* 114. *& seqq. & alibi passim.*

Facultatem Theologicam Lovanienſem datis. Etenim non ſecus atque Hennebellus (a) ſupprimunt illam litterarum partem, ubi Alexander VII. dicit; *Atque adeò ſperamus, vos non ſolùm egregiè perſanctèque impleturos, verùm etiam omnibus aliis in hanc S. Sedem obſervantiæ & obedientiæ documentis effecturos*, UT OMNI RERUM PRÆTERITARUM EX ANIMIS HOMINUM EVULSA ET PENITUS ABOLITA MEMORIA, PRISTINUM DECUS EXISTIMATIONI ET LAUDI ANTIQUÆ VESTRÆ RESTITUATUR. An his litteris, inquiebat Arioviſtus, vindicantur Lovanienſes Theologi ab omni irreverentia erga Conſtitutiones Summorum Pontificum? vindicantur dico? imo verò an non potiùs irreverentiæ coarguuntur? Et quàm meritò aliqui coarguantur, apparet omni luce clariùs ex innumeris factis ſcriptiſque, quæ in ſuperiorum Diſſertationum decurſu ego & Venantius commemoravimus.

Optime Arioviſte, infit Venantius, æquum dicis; & hunc paragraphum velle iterum confutare eſt velle actum agere. Quamobrem tranſiliamus ad §. 4. Non ita feſtinemus, clamat Baccalaureus. Eſt adhuc aliquid in fine numeri 26., ad quod aveo veſtrum audire reſponſum." „Si tam vehementer, inquiunt mei Theologi, inſtemus „pro debita Brevis illius obſervantia; quomodo ſibi cohæ„reat Palazolius, qui nos accuſat de irreverentia in Con„ſtitutiones Innocentii X. & Alexandri VII.? Cum „enim Breve iſtud Conſtitutiones illas confirmet, ne„mo poteſt debitam Brevi obſervantiam præſtare, quin „ſimul eandem erga Conſtitutiones in eo confirmatas „profiteatur."

Illud argumentum, reponit Arioviſtus, poſſet fortè obtinere vim aliquam, ſi P. Palazolius admitteret tuos illos Theologos ſeriò ac ſincerè inſtare pro debita Brevis illius obſervantia. At verò cum (ut ipſimet fatentur) dicat Palazolius, Breve illud tantopere à tuis extolli, " non ut Sacram Vicarii Jeſu Chriſti autoritatem „tueantur; ſed ut ſub apparenti Brevis illius favore, „parti Catholicæ, Regi, Regiiſque Miniſtris ſilentium doloſè

(a) *pag. 65. & 66.*

,,dolosè imponant," liquet argumentum illud esse nullum, atque adeò Palazolium sibi optimè cohærere. Nam & multi hæretici vehementer instant pro debita Scripturæ Sacræ observantia, non tamen ex eo consequens est, ut ipsi credant, doceant, ac profiteantur quidquid in Scriptura Sacra divinitùs revelatum est. Insuper, D. Baccalauree, aliud est illi Brevi præstare observantiam, aliud pro illius Brevis observantia instare. Hoc tui faciunt, sed non seriò satis ac sincerè; illud autem faciunt nullo modo, quemadmodum jam sæpè irrefragabilibus argumentis demonstratum est.

Ad hoc ultimum, subdit Venantius, iterum demonstrandum ad hominem, uti proderit eâdem, quâ adversarii usi sunt, argumentandi ratione. Si tui Theologi, D. Baccalauree, Constitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. tractent tam irreverenter, quàm ante variis locis ostendimus; quomodo sibi cohærent iidem Theologi, dum se aiunt reverenter recipere Breve Innocentii XII.? Cum enim Breve istud Constitutiones istas confirmet, nemo potest illas Constitutiones irreverenter tractare, quin simul irreverenter tractat Breve, quo Constitutiones illæ confirmantur. Hæc argumentatio, subdit Ariovistus, non laborat eo vitio, quo superior argumentatio adversariorum, neque ullâ falsâ hypothesi innititur.

Id cum audiret Baccalaureus, ipsi venit in mentem vereri, ne cogeretur iterum audire ea omnia, quæ audiverat suos in Constitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. evomuisse. Atque hæc causa fuit, cur suâ sponte diceret; Transeamus ad §. 4. Inscriptio illius hæc est; *Concordiam Decretorum Apostolicorum cum Regiis evertit Palazolius, & Summum Pontificem cum Rege Catholico variè committit.* Hîc tandem, excipit Venantius, tui mangones Theologi videntur aliquantulum à suo D. Hennebel recedere, quanto in reum Magistrum magis pii, tanto in innocentem adversarium crudeliores. Quò hæc, inquit Baccalaureus, evadit oratio? Respondet Venantius; Memoriâ repete quæ alibi nominatim dissertatione 6. diximus, (a) videbis non esse Patrem Pala-

 zol

(a) *Pag.* 109. *& seq.*

zol, qui negat Decreta Apostolica cùm Regiis consentire, sed Doctorem Hennebel. E contrario Pater ille adstruit omnimodam conformitatem inter utraque Decreta, ut ibidem ostendimus. Quâ igitur religionis specie tui Theologi culpam, quam admisit Hennebellus, in Palazolium transferunt?

Lepidus est quoque, subdit Ariovistus, modus iste alius, quo hîc num. 28. iidem Theologi videntur velle à suo Hennebello propulsare invidiam, quam, quia Decreta Regia Decretis Apostolicis opposuit, meritò apud omnes bonos incurrit. *Jam supra*, inquiunt, *ostensum est, summam esse inter Decreta Apostolica & Regia consensionem; si qua verò inter ea primâ fronte dissensio appareat* (ut apparuit Doctori Hennebello). *id inde oriri, quòd quoad expressionem diversa sint.* Lepidus est, inquam, iste modus, neque sufficiens ad dictam invidiam ab Hennebello propulsandam, quasi verò Doctor ille Eximius non potuerit propter *diversam expressionem* statim cernere Decreti utriusque consensum. Estne igitur tam leviter imbutus scientiâ Grammatices?

Hoc, ait Venantius, nemini mortalium umquam persuaserint. Imo, si mihi fas sit liberè loqui, puto ego illos Belgas Theologos æque ac Hennebellum sentire quòd Decreta Regia Apostolicis adversentur, sed non audere hanc suam sententiam apertè & publicè defendere in ditione Hispanica, quemadmodum ipse fecit Romæ. Sic nec Hennebellus audet Romæ publicè effutire ea quæ hîc in Belgio effutiunt suæ factionis Theologi contra indicem Tridentini, contra Ritualia., contra Eminentissimos Cardinales & Consultores S. Officii, contra Summos Pontifices eorumque Constitutiones: Multo minùs audebunt iidem Theologi publicè dicere Parisiis id quod Madriti anno 1696. in suo Memoriali sparserunt adversùs Regem Christianissimum & ejus Ministros, nec quod adversùs Galliam adhuc dicunt vel in hac ipsa Confutatione. Usque adeò servi illi ad oculum gaudent ubique servire scenæ.

Diverticula quæritis, inquit Baccalaureus; quæso, respondete potiùs ad sequentia; " Apostolica Decreta

inter

„inter & Regia concordiam evertere conatur Palazolius.....cum eos dicit juxta Decreta Regia habendos „esse tamquam graviter, prudenter & fundatè de Jansenismo suspectos, proindeque ab Officiis & Dignitatibus excludendos, quos tales esse testantur Belgii Episcopi. Manifestum est enim neminem juxta Breve Apostolicum posse isto nomine traduci aut nuncupari *nisi „priùs suspectum esse legitimè constiterit*, *aliquam è quinque „propositionibus docuisse aut tenuisse*: adeò ut quantumvis „testentur Episcopi esse aliquem Jansenistam, aut de Jansenismo suspectum; testimonium tamen istud pro *vaga tantùm accusatione* habendum sit, quandiu constare „non faciunt legitimè ipsum aliquam è quinque propositionibus docuisse aut tenuisse, quod ad gravem, prudentem, & fundatam hac in re suspicionem requirit „Breve Apostolicum." Quid opus est, inquit Venantius, ad ista respondere iterum? in illis diluendis dissertationem sextam ferè totam insumpsimus ut nihil dicam de aliis, quæ adversùs eadem passim alibi disputavimus.

Rectè ais, subdit Ariovistus; verùm pace tua dixerim, Venanti. nobis sic prætereunda non sunt hæc ultima adversariorum verba; *Quandiu constare non faciunt legitimè ipsum aliquam è quinque propositionibus docuisse aut tenuisse*. An ergo hoc ad gravem & prudentem hac in re suspicionem requirit Breve Apostolicum? Certè quem Episcopi legitimè probant *aliquam è quinque propositionibus docuisse aut tenuisse*, ille non solum suspectus habendus est Jansenismi, sed Jansenista etiam; sicuti ille qui probatur homicidium commisisse, homicida dicendus est; non tantùm homicidii suspectus. Quid hîc, D. Baccalauree, de tuis Theologis judicem, incertus sum. Judicemne illos velle, nescio quas insidias simplicioribus iterum tendere; an ludibrio exponere Innocentium XII., tamquam si in suo Brevi ad meram criminis suspicionem exigeret id quod cunctis Tribunalibus ad convictionem sufficit? Perpende illa Pontificis verba; *Nisi priùs* SUSPECTUM ESSE *legitimè constiterit*, *aliquam è quinque propositionibus docuisse aut tenuisse*, & fraudulentiam tuorum

rum interpretationem perſpexeris.

Magis fraudulenta, infit Baccalaureus; eſt ejuſdem Pontificii Brevis interpretatio, quam Autor Memorialis adhibuit: dicit enim "Breve Apoſtolicum, dum vetat „*quemquam ſub prætextu* (Janſeniſmi) *repelli ab Officiis*, „*Muniis*, *Beneficiis*, *Gradibus*, *ac Concionibus habendis*, „*vel alia quacumque functione Eccleſiaſtica*, *niſi ſervato juris* „*ordine eam pœnam*, *quæ Viris alioquin Catholicis graviſſima* „*eſt*, *commeruiſſe probatum fuerit*, intelligendum eſſe de „officiis, muniis, &c. Jam obtentis: Mandata autem Re„gia, dum ab illis jubent ſuſpectos de Janſeniſmo non „ſervato juris ordine repelli, intelligenda eſſe de iiſdem „nondum obtentis." Atque ſecundum Belgas Theologos, hæc eſt altera, quàm Palazolius excitat, Apoſtolica inter & Regia decreta diſſenſio.

Sed hiſce ita conſtitutis, quænam, ait Venantius, hîc poteſt eſſe Decretorum diſſenſio? Audies, reſpondet Baccalaureus; *Ex ipſo Brevi Apoſtolico*, ut ſubjungunt mei Theologi, *conſtat illud intelligendum eſſe etiam de Officiis nondum obtentis.* Bene habet, inquit Arioviſtus, fac tantiſper ita eſſe. Quomodo tui poſſunt dicere ſummam eſſe inter decreta Apoſtolica & Regia conſenſionem? Decreta Regia in terminis imperant, *ut* dicti homines *excludantur omnibus proviſionibus conferendis*; vetant autem Decreta Apoſtolica, ſicut tui quidem aſſerunt Theologi. An conſenſio eſt inter duo decreta, quorum unum imperat quod alterum vetat? Jam video D. Baccalauree, verum eſſe id quod paulò antè dicebat Venantius, ſcilicet tuos Belgas Theologos æque ac Hennebellum ſentire, quòd decreta Regia Apoſtolicis adverſentur, ſed non audere id apertè & palam dicere in Belgio Hiſpanico, quamquam incauti hîc ſeſe prodiderint. Sic ſemper veritati patet rima, per quam emicet. Tum Venantius inferebat; Ergo illi Belgæ Theologi, non Autor Memorialis, evertunt decretorum Apoſtolicorum cum Regiis concordiam, & ſummum Pontificem cum Rege Catholico committunt, Magiſtrum ſuum Hennebellum ſecuti, licet non æquis paſſibus.

Quid

Quid si, pergebat idem Venantius, nunc videamus argumenta quibus ille Theologorum manipulus probare nititur, Breve Pontificium *intelligendum esse etiam de Officiis nondum obtentis*? Ut lubet, respondit Ariovistus. Itaque confestim Baccalaureus recitavit sequentem suorum textum; "Probat id primum vox ista, *repelli*, quâ „Sua Sanctitas utitur: Repelli enim propriè non „dicitur, qui exuitur officio jam obtento, sed qui ab „officio obtinendo arcetur. Deinde idem significat Sua „Sanctitas manifestiùs, dum vetat quemquam repel„li à *gradibus*: cum enim impossibile sit gradu jam „obtento quemquam spoliari, sequitur Breve Apo„stolicum de gradibus (adeoque & de aliis muniis) „adhuc obtinendis intelligi debere. Accedit quòd cum „eandem illam cavillationem in Schola Lovaniensi „jactare non desineret Doctor Steyaert; jam pridem „silere ex urbe jussus sit, & Breve Apostolicum tam „de Officiis & Beneficiis obtinendis, quàm de ob„tentis intelligere. Si de hoc dubitet Palazolius; Do„ctorem Steyaert interroget; non poterit hic factum „Belgio notissimum negare. Quid, quòd ipsum jus Ca„nonicum & Civile, ac simul utriusque fori constans „praxis sic jubeant Breve Apostolicum intelligi. Agi„tur enim in Brevi de iis, qui ab Officiis vel Bene„ficiis repelluntur *prætextu Jansenismi*; prætextus autem „Jansenismi, *titulus infamans* est: jam verò expeditum „est apud Jurisperitos omnes, titulum infamantem, „dum allegatur, probari debere, non tantum dum il„lius prætextu spoliatur quis Officiis jam obtentis, sed „etiam dum repellitur ab obtinendis. Postremò sic Bre„ve Apostolicum nuper intellexit sanctius Catholicæ „suæ Majestatis Consilium in Belgio. Cum enim nescio „quibus prætextibus Doctor Martin & æmuli quidam „conarentur aliquos sibi non devotos à gradu Doctorali „in Academia Lovaniensi impedire, hanc sententiam „Latinè hìc versam tulit sapientissimum Consilium: „*Viso hoc Libello & Epistolâ Archiepiscopi die 7. hujus men„sis datâ, Majestas sua declarat, materiam dogmaticam de „qua illic mentio, ad cognitionem hujus Consilii non perti-*

nere

„*nere : mandat supplicanti, aliisque omnibus, quorum inter-*
„*est, conformare se Decreto Suæ Sanctitatis dato* 6. *Februarii*
„1694. *& Mandatis Suæ Majestatis super eo secutis* 20. *De-*
„*cembris* 1697. *Declaratque Gradum Doctoralem quem præ-*
„*tendunt Licentiati Verschuren & Claes, non impediturum*
„*quominus privari possint prærogativis jurium, quas gradus*
„*Doctoralis illis tribuet, si ita decernatur per Suam Sancti-*
„*tatem vel alios, quibus materiæ dogmaticæ cognitio compe-*
„*tit juxta dictum Breve & suæ Majestatis Decretum.*
„*Actum Bruxellis* 14. *Januarii* 1699.

Tum Venantius, hîc argumenta video esse quinque, sed omnia frivola, omnia talibus Theologis, quales haberi se volunt, prorsus indigna. Tamen propter te, D Baccalauree, respondere ad singula non gravabor. 1. Falsum est *eum propriè non dici repelli, qui exuitur officio jam obtento, sed qui ab officio obtinendo arcetur.* Etenim *repelli* idem est quod *submoveri, ejici.* Itaque quoniam *submoveri, ejici* dicitur de eo qui officio jam obtento exuitur, consequens est, ut *repelli* etiam de utroque pari ratione dicatur. Et verò, addit Ariovistus, dum post reditum in Senatu dixit Tullius; *Tu meum generum propinquum tuum, tu affinem tuam, meam filiam superbissimis & crudelissimis verbis à tuis genibus repulisti*, nonne satis indicat, quòd illi jam ad genua Clodii accidissent, ea antiquo ritu complexi?

Nihilo plus nervi est in secundo, ubi ponderant illud *à gradibus*, aiuntque *impossibile esse gradu jam obtento quemquam spoliari.* Fortè nervi esset aliquid, subdit Venantius, si Pontifex dixisset *ab Ordinibus sacris*, cum eorum character semel impressus deleri numquam possit. At quis mortalium audivit umquam, impossibile esse quemquam deturbari de gradu, E. C. Doctoris, quem semel adeptus est? Siccine obliti sunt Arnaldum suum à Sorbona exautoratum esse, sive de Doctoris gradu dejectum? Hujusmodi exautorationes, depositiones, degradationes fieri ob quædam crimina sæpe jura præcipiunt, quod præcipi quî potest, si impossibile sit? Hoc ultimum argumentum, interjicit jocans Ariovistus, non valet apud Baccalaureum ejusque Confœderatos,
utpote

utpote qui etiam *aliqua Dei præcepta impossibilia* esse affirmant.

Hic jocus nihil moratus est Venantium, quò minùs statim pergeret ad tertium. Nusquam ego audivi, inquiebat, Reverendissimum D. Steyaert *silere ex Urbe jussum esse & Breve Apostolicum tam de Officiis & Beneficiis obtinendis, quàm de obtentis intelligere.* Neque ego, addebat Ariovistus. Tamen uterque nostrum soliti sumus, vel minimos hujusmodi rerum rumusculos aucupari. Mirum est, quòd fama illius *facti*, *Belgio*, ut aiunt, *notissimi*, ad neutrius aures advolarit. Puto, infit Venantius, merum esse commentum, ne graviore verbo utar. Sic antè num. 24. dicebant; "Tam clarè sensum nostrum „expressimus in *Responsione* ad 1. articulum inter 42. à „Doctoribus Steyaert & Harney accusatos, item in *Re„futatione synopseos* circa eundem articulum, ut ipse Fra„trum suorum Accusator Steyaert fateri coactus fuerit, „nihil prorsùs habere se quod posset in Responsione no„stra reprehendere." Et tamen tantum abest, ut Reverendissimus D. Steyaert id fateri coactus fuerit, ut reipsa aliquid reprehenderit. Non temere itaque putaverimus, D. Baccalauree, tuos Theologos & hoc silentii præceptum commentos fuisse. Sed quò de hujusce facti veritate edoceamur pleniùs, juvat ad Reverendissimum Dominum scribere. Ariovistus consilium approbavit, & Venantius sine mora ad eum scribere aggressus est, inquiens; Tu interim, doctissime Arioviste, D. Baccalaureo responde ad reliqua. Neque ideo necesse est demissâ voce colloquamini: mihi enim scribenti non officietis. Pergite.

Perrexit Ariovistus ad hunc modum. Abest à verò, D. Baccalauree, *quòd ipsum jus Canonicum & Civile, ac simul utriusque fori constans praxis sic jubeant Breve Apostolicum intelligi.* Admitto autem *agi in Brevi de iis, qui ab Officiis vel Beneficiis repelluntur* PRÆTEXTU JANSENISMI. Admitto præterea *prætextum Jansenismi* TITULUM INFAMANTEM *esse.*

Hoc ultimum, clamat scribens Venantius, non videtur mihi de communi illorum Theologorum scrip-

tum esse sententia. Nec mihi reponit Ariovistus. Hoc non admittit saltem Pastor ille N. qui palam dixit *Utinam omnes essent Jansenistæ!* Non admittunt reliqui omnes qui Jansenismum censent esse puram putam S. Augustini doctrinam; aut si admittant, sibi constant parum. Hîc loquuntur, inquit, Baccalaureus, de Jansenismo prout à vobis aliisque adversariis falsò traducitur.

Missa faciamus hæc, infit Ariovistus, & ad rem redeamus. Admitto, inquam, *prætextum Jansenismi* TITULUM INFAMANTEM *esse*. Do etiam *titulum infamantem, dum allegatur, probari debere*. Sed nota τὸ *dum allegatur*. Eum non allegant Episcopi dum aliquibus in Belgio negant Officium vel Beneficium, neque ad eum allegandum ullo modo obstringuntur, sed satis est quòd privatâ scientiâ norint aut certè prudenter suspicentur eos, quos rejiciunt, Jansenismi reos esse. Sic ego non debeo allegare titulum, si Titium, quem scio vel prudenter suspicor non satis fidelem esse, ad mihi famulandum admittere noluero. Sic non debet Rex allegare titulum, dum quem scit vel prudenter suspicatur esse proditorem patriæ, arcet ab urbium præfecturis. Sic neque Officiorum aut Beneficiorum Collatores debent allegare titulum, dum alicui recusant curam animarum committere propter prudentem suspicionem incontinentiæ, Calvinismi, Quietismi. Quid itaquæ causæ potest esse, cur Belgii Episcopi, quemquam excludentes ob certam scientiam vel prudentem rectéque fundatam Jansenismi suspicionem, allegare titulum debeant? posthæc Baccalaureus dixit; Negant mei Theologi *parem esse de Jansenismo rationem. Siquidem*, aiunt, *potest quis de incontinentia & proditione prudenter esse suspectus: de Jansenismo autem neminem in Belgio prudenter suspectum esse posse, jam demonstratum est.*

Hîc indignatus Ariovistus; Quid hoc, inquit, est aliud quàm omnes Belgii Episcopos, Vicarium Silvæducensem, aliosque viros integerrimos, etiam ex Universitate Lovaniensi, temerariæ suspicionis arguere? Sed inspiciamus, prosequebatur idem Ariovistus, momenta

rationum

rationum quibus tui Theologi demonstrasse se putant, quòd de nemine in Belgio possit esse prudens Jansenismi suspicio.

Nihil cunctatus Baccalaureus sequentia recitavit; „Equidem definivit Sedes Apostolica, nullâ ratione „quemquam posse vagâ istâ accusatione & invidioso no„mine Jansenismi traduci aut nuncupari, *nisi priùs „suspectum esse legitimè constiterit, aliquam è quinque pro„positionibus docuisse aut tenuisse*: Jam verò adeò non legi„timè constat aliquem in Belgio de hoc suspectum esse, „ut certissimè constet contrarium. Jam enim sex anni „sunt, & amplius, cum Belgii Episcopi, aliique Ac„cusatores nostri coram Sede Apostolica provocantur, „ut vel unum proferant, qui aliquam è quinque propo„sitionibus doceat vel teneat, vel de eo legitimè suspe„ctus sit; neque hactenus è tot, quos accusant, protu„lêre vel unum. Habent tamen ipsi Episcopi potestatem „investigandi & deprehendendi Jansenistas, si qui sint; „possunt quos volunt ad Tribunalia sua citare, & jura„mentum in condemnationem quinque propositionum „ab illis exigere: sed experti jam per annos plures, ne„minem in Belgio inveniri, qui non promptissimè pro„positiones illas juxta Breve Apostolicum ejuret, vel „ipsi testes esse coguntur non esse in Belgio Jansenistas, „aut legitimè de Jansenismo suspectos."

O bone Baccalauree, subdit Ariovistus, non vides hæc eadem aliis verbis ab Hennebello dicta esse, & à nobis refutata dissertatione 6.? (a) Ibi ostensum est primò, Viros dignitate præstantes paratos fuisse qui probationibus juridicis fidem facerent, Dominum Opstraete, D. Verschuren. & D. Claes Jansenianâ labe afflatos esse, sed illos Triumviros ausos non fuisse hujusmodi subire periculum. Ostensum est secundò, quare Episcopi in Belgio adversùs vos juridicè procedere usque adhuc non potuerint. Ostensum est tertiò, cogitandum esse de potentiore aliquo remedio à Sua Catholica Majestate adhibendo, ut Constitutiones Apostolicæ in Belgio executioni mandentur. Ostensum est quartò, quòd

(a) *Pag.* 124. *& seqq.*

quòd ex eo, quia nullus juridicè Ianſeniſmi accuſatur; non ſit conſequens nullos Janſeniſtas eſſe. Quintò, oſtenſum eſt alibi quomodo illud juramentum ab aliis detrectetur, reſtringatur ab aliis, à quibuſdam etiam explodatur tamquam manifeſtiſſimum perjurium. Oſtenſum eſt ſextò, idque loco non uno, quòd, quando vos quinque propoſitiones damnatis, numquam fateamini illas excerptas eſſe ex libro cui titulus *Auguſtinus Cornellii Janſenii*, & in ejus ſenſu hæreticas. Septimò denique Janſeniſtas graſſari in Belgio, oſtenſum eſt totâ noſtrâ diſſertatione ſeptimâ. Quæ omnia ſi æquâ mente perpendas, videbis, D. Baccalauree, fuere atque diſſipari quidquid hîc tui Commilitones ex ſuo Hennebelio congeſſere.

Dein idem Arioviſtus orationem ſuam proſecutus, aiebat; Porrò, D. Baccalauree, iidem tui Commilitones hîc de ſuo adjecerunt modum loquendi, qui mihi quidem admodum mirus accidit. Eſt autem hic; "Definivit Sedes Apoſtolica, nullâ ratione quemquam poſſe vagâ iſtâ accuſatione, & invidioſo nomine Janſeniſmi traduci aut nuncupari, *niſi priùs ſuſpectum eſſe legitimè conſtiterit, aliquam è quinque propoſitionibus docuiſſe aut tenuiſſe.*" Mirus, inquam, mihi accidit hic modus loquendi: quo enim ex tempore, D. Baccalauree, *mera prohibitio* facta eſt *definitio*, apud vos præcipuè, qui nihil familiarius habetis, quàm *veras ac proprias* Sedis Apoſtolicæ *definitiones*, quando vobis refragantur, naſo adunco ſuſpendere? An vultis fortè hâc loquendi formulâ perſuadere rudioribus, eſſe punctum fidei à Sede Apoſtolicâ definitum, quòd nullus ſit, aut poſſit eſſe Janſeniſta, aut de Ianſeniſmo prudenter ſuſpectus? Dixit quidem ille commentitius, de quo antè Palæophilus, *nullos Janſeniſtas umquam extitiſſe, nec exiſtere umquam poſſe*; ſed id eſſe à Sede Apoſtolica definitum non dixit. Aliquid amplius in Confutatione videntur audere tui Theologi. Non puto, inquit Baccalaureus, noſtros vim aliquam ponere in illa vocula *definivit.* Quare, acutiſſime Arioviſte, per me licet, ſubſtitue voculam *prohibuit.*

Ne ſic quidem, reponit Arioviſtus, difficultatem omnem

omnem evaditis. Peccat enim illa tuorum argumentatio; Prohibuit Sedes Apoſtolica, ne quis vagâ iſtâ accuſatione, & invidioſo Janſeniſmi nomine traducatur aut nuncupetur, *niſi priùs ſuſpectum eſſe legitimè conſtiterit*: Atqui quemquam in Belgio de hoc ſuſpectum eſſe legitimè non conſtat: Ergo nullus in Belgio Janſeniſta eſt, vel de Janſeniſmo prudenter ſuſpectus. Peccat, inquam, illa argumentatio; quippe ex præmiſſis poteſt tantùm concludi, Ergo nullus eſt in Belgio, qui poteſt vagâ iſtâ accuſatione & invidioſo Janſeniſmi nomine traduci aut nuncupari. Ex illo conſequente, ſubdit Baccalaureus, conficitur ulteriùs, nullum in Belgio poſſe eſſe de Janſeniſmo prudenter meritòque ſuſpectum. Erras, D. Baccalauree, inquit Arioviſtus, & vehementer quidem erras: aliud eſt enim Janſeniſtam eſſe vel Janſeniſmi ſuſpectum, aliud poſſe illo nomine traduci vel nuncupari. Sic non poſſum proximum palam traducere vel nuncupare incontinentiæ nomine, licet mihi ſit incontinentiæ prudenter ſuſpectus, imo licet certò ſciam eum incontinenter vivere.

Hîc Arioviſtum plura adjicere meditantem interturbavit Venantius, qui ſcriptis jam, & miſſis ad Reverendiſſimum D. Steyartium litteris, aiebat; Ex hac villa nemo noſtrûm priùs diſcedet, quàm à Reverendiſſimo Domino reſponſum accepero. Interim ſermones noſtros continuemus. Inter ſcribendum, amiciſſime Arioviſte, animadverti te nihil reſpondiſſe ad ſententiam, quam tulit ſanctius Catholicæ ſuæ Majeſtatis Conſilium in Belgio. Profectò, infit Arioviſtus, hujus me rei ceperat oblivio. Eapropter, D. Baccalauree, eam ſententiam nobis prælege iterum; quod cùm Baccalaureus feciſſet, Arioviſtus ſic fatus eſt; Nihil in ea ſententia Belgis illis Theologis video eſſe præſidii. Quid enim? an *mandare ſupplicanti, aliiſque omnibus, quorum intereſt, ut conforment ſe Decreto Suæ Sanctitatis & Mandatis Suæ Majeſtatis*, eſt utriuſque decreta ſic intelligere & interpretari, ut nemo poſſit juxta illa à gradibus nondum obtentis, prætextu Janſeniſmi vel alio ſimili repelli, *niſi ſervatò juris ordine eam pœnam, quæ viris alioquin Catho-*

 licis

licis gravissima est, commeruisse probatum fuerit? An hoc non est potiùs ab utriusque decreti interpretatione omnino præscindere?

Est, respondit Venantius, & quòd ab omni interpretatione sanctius Consilium præscindat, videtur ipsum Consilium voluisse significare hisce subsequentibus verbis; *Declaratque Gradum Doctoralem, quem prætendunt Licenciati Verschuren & Claes, non impediturum quominus privari possint prærogativis jurium, quas gradus Doctoralis illis tribuet, si ita decernatur per suam Sanctitatem vel alios, quibus materiæ dogmaticæ cognitio competit juxta dictum Breve & suæ Majestatis Decretum.* Vide, D. Baccalauree, quam Consilii sententiam tui Theologi in sui patrocinium adducant. Jam verò, pergit idem Venantius, excludi à gradibus & muniis nondum obtentis non esse *pœnam*, nedum *gravissimam*, dictum est aliàs.(a)

Tum Ariovistus, ne eatur, inquit, in antiquam silvam, mittamus hæc jam, & quoniam Belgæ isti Theologi id tam impotenter exoptant, concedamus decreta & Regia & Pontificia à sanctiore Regis Consilio intelligi de gradibus, beneficiis, ceterisque muniis tam obtinendis quàm obtentis. Hoc ego, ait Venantius, numquam concessero. Ah! amicissime Venanti, reponit Ariovistus, sine hoc concedam, & monstrabo tibi aliquem, quem legitimè constat Jansenistam esse vel saltem de Jansenismo suspectum, nempè Joannem Opstratium. Hunc idem sanctius Regiæ suæ Majestatis Consilium repulit à Doctoris gradu nondum obtento; quare, si illud Consilium utraque Decreta ita intelligat, ut aiunt isti Theologi; *priùs suspectum esse legitimè constitit*, Opstratium *aliquam è quinque propositionibus docuisse aut tenuisse*, & *servato juris ordine probatum fuit eum eam pœnam commeruisse*; vel Consilium in causa Opstratii non processit secundùm suam illorum Decretorum intelligentiam, id quod Belgæ Theologi non ausint dicere.

Hîc se non cohibuit Venantius, quin effusè rideret. Baccalaureus verò indoluit, quia videbat sibi esse angustias undique. Si affirmaret Apostolica & Regia Decre-

ta

(a) *Pag.* 122.

ta ita intelligi à sanctiore Consilio, ut volunt isti Theologi, inferebatur; Ergo legitimè constat Joannem Opstratium esse Jansenismi saltem suspectum. Sin autem negaret, inferebatur; Ergo isti Belgæ Theologi autoritatem Sanctioris Consilii Regii ad stabiliendam suam thesim perperam falsóque allegarunt. Quid ageret miser ita malleum inter & incudem constitutus? Non habuit aliud quod diceret, quàm Opstratium non esse prætextu Jansenismi, nec alio simili titulo à Doctoris gradu repulsum. Quod ergo, quærit Ariovistus, crimen aliud admisit tuus Opstratius? quod flagitium? Quid ei ab adversariis objectum fuit præterea? His & similibus interrogatiunculis, tamquam totidem punctionibus, Baccalaureum infestabat durus Ariovistus.

At mitior Venantius; ut à Baccalaureo talem amoliretur molestiam, dixit; Nos vocat numerus 37. Hunc numerum quando vidit Baccalaureus, animos recepit. Est autem talis; " Mitto errata ipsius (Palazolii) leviora, ut quod num. 5. dicit, Doctorem Huygens, aliosque ante nominatos (DD. Van Geet, Baerts, Backx, Vande Nesse) suis officiis spoliatos esse, præmissis probationibus juridicis, & omnibus quas jus requirit solennitatibus: Cum enim Belgio toti constet id falsissimum esse, sufficiet errorem istum observasse, ut omnes intelligant, quàm hospes & peregrinus, ac temerarius in rebus Belgicis scribendis sit Palazolius, qui talia coram Rege Catholico effutit. Doctor Huygens etiamnum est Præses Collegii Adriani VI. Pontificis Lovanii, Canonicus S. Petri ibidem & Membrum Strictioris Facultatis Theologicæ; D. Van Geet adhuc est Canonicus Graduatus & Pœnitentiarius Ecclesiæ Cathedralis Gandensis; qui & circiter à biennio, Serenissimo Bavariæ Electore commendante, Reverendissimo Episcopo Gandensi allaborante, à Capitulo Cathedrali ad dignitatem Cantoris canonicè electus est, quam tamen constanter & humiliter recusavit. D. Baerts & Backx hodiedum, ille quidem in Metropolitana Mechliniensi; hic verò in Cathedrali Antverpiensi, Canonici & Plebani esse perseverant: D. Vande Nesse in

„hunc usque diem officio suo Pastorali in S. Catharinæ „Bruxellis pacificè fungitur. Eundem errorem repetit §. „sequenti num. 63. pari inscitiâ & temeritate; novoque „errore addit quinque illos esse Doctores Lovanienses, „cum ex illis Doctor non sit nisi unus, reliqui Licen-„tiati."

Ad quæ Ariovistus, cum tam liberalibus Theologis, inquiebat, oportet & ego agam liberaliùs. Itaque mitto vicissim errata ipsorum leviora, quæ vel hoc ipso numero 37. & in uno quidem versu admisere, ut cum dicunt *Mitto pro Mittimus*, & *numero* 5. pro *numero* 51. atque iterum in fine numeri 54. *rogo* pro *rogamus*. Tam sæpè oblitus est eorum Scriba se personam agere multorum. Non inquiram etiam, quàm *pacificè* officio suo Pastorali fungatur Bruxellis D. Vande Nesse.

An ergo, quærit Venantius, illis Theologis concedis P. Palazolium hîc verè errasse. Non enimverò, respondet Ariovistus: Quia ex numero 51., quem volebant accusare adversarii, non magis colligi potest Patrem Palazol per *quosdam Jansenistas*, quos ibi dicit *ab officiis exclusos & missos in exilium*, nominatim intelligere DD. Van Geet, Baerts, Backx, Vande Nesse, quàm colligi possit, ipsum ibidem asserere, eosdem illos exilio esse mulctatos. Atqui modò nominatos Dominos in exilium missos esse, asserere ibi non voluit Pater Palazol, cum vocibus minimè dubiis affirmet num. 23. D. Gummarum Huygens *residere* Lovanii, Van Geet Gandavi, Baerts Mechliniæ, Backx Antverpiæ, Vande Nesse Bruxellis. Ergo P. Palazolius per *Jansenistas ante nominatos* noluit jam dictos intelligere, sed eos de quibus egerat num. 30., nempè Sancyranum, Arnaldum, aliosque, quos, ut ibidem narratur, Rex Christianissimus pro suo Jansenianæ hæreseos horrore, & zelo Orthodoxæ Fidei in exilium expulit.

At, inquit Baccalaureus, accusato loco disertè & ante omnes exprimitur Doctor Huygens. Assentior, reponit Ariovistus. Quid jam? nonne iste Doctor à Strictiore Facultate Theologica suspensus est tum per Regem Catholicum, tum etiam per Romanum Pontificem? Nequaquam,

ait

ait Baccalaureus; etenim, ut jam audiſtis, dicitur à meis Theologis ejuſdem Facultatis Membrum. Suſpenſum ſcilicet, ſubjungit Arioviſtus. Venantius verò dicebat; Aliquid amplius volunt illi Theologi, cùm de illorum ſententia *impoſſibile ſit gradu jam obtento quemquam ſpoliari*. Vide, optime Arioviſte, quò ſpectet hæc illorum ſententia. Eò nimirum, ut Suæ Catholicæ Majeſtatis & Sedis Apoſtolicæ mandata, quibus Doctor Huygens à Strictiore Facultate ſubmotus eſt, ſenſim perſuadeant eſſe irrita, neque quidquam contra illum Doctorem perfeciſſe. Sic moliuntur illum in hac re ſenſim juriſdictioni ſubtrahere & Pontificiæ & Regiæ. Tum verò iterum Arioviſtus; Jam ante, inquiebat, tamquam de ſpecula proſpiciebam futurum, ut falſa ea ſententia & contra omnium ſenſum adſtructa eò tandem evaderet.

Sed illud, pergebat idem Arioviſtus, quod in fine ſubtexitur, *Pari inſcitia & temeritate novoque errore addit quinque illos eſſe Doctores Lovanienſes*, quàm illiberale eſt! Quaſi verò ingens inſcitia ſit & digna quæ erudito homini in Hiſpania conſtituto exprobretur, neſcire utrum Van Geet, Baerts, Backx, Vande Neſſe in Belgio *Doctores Lovanienſes* ſint, an *Licentiati* tantum. Mihi crede, D. Baccalauree, id vel in ipſo Belgio extra urbis Lovanienſis pomœrium paſſim ignoratur etiam ab Eruditis & rei Janſeniſticæ non incurioſis indagatoribus. Quid ergo hoc exprobrant Palazolio, qui in Belgio numquam fuit? At illi Eruditiſſimi Domini, objicit Baccalaureus, notiſſimi ſunt in Hiſpania. Eſto, inquit Arioviſtus, quamquam unde illi in Hiſpania tantopere innotuerint, ego non ſciam. Sed eſto, inquam. Sint in Hiſpania notiſſimi. Ideone ibi etiam notus eſt gradus, quem in Academia Lovanienſi adepti ſunt. Eſtne ullus per totum, quà patet, orbem notior, quàm Michaël de Molinos? Quotus tamen quiſque ſcit, *Doctorne* fuerit iſte Michaël, an tantùm *Licentiatus*.

Sic Baccalaureum ejuſque Theologos refellebat Arioviſtus, nec malè; multo tamen meliùs Venantius dixit; Certè Molinos Doctor fuit ſummæ impietatis, & ideò poſſet appellari *Doctor*, licet nullum alium quàm *Licen-*

tiati aut etiam *Baccalaurei* Gradum in Academia obsinuisset. Quidni igitur quatuor illi Licentiati Van Geet, Baerts, Backx, Vande Nesse possint quoque appellari *Doctores Lovanienses*, quia novam aliquot Lovaniensium doctrinam docent & inculcant? Doctor, ut nosti D. Baccalauree, à docendo dicitur, neque semper sumitur pro Gradu Academico. Jam verò Palazolius non aliam ob causam quàm ob jam dictam vocat ipsos *Doctores Lovanienses*. Atque id vel ex eo colligitur, quòd dicat; *Quinque Doctores Lovanienses supra nominati, & inter illos celebris Doctor Gummarus Huygens*. Ubi observate, quæso, posteriora illa verba *Et inter illos Doctor Huygens*, non *Dominus Huygens*. Profectò dum hîc Palazolius, Gummarum Huygens nominans, repetit illam vocem *Doctor*, satis indicat se quatuor aliis non tribuere hunc titulum prout sonat Gradum Academicum, sed tantùm prout sonat eum qui aliquid, puta novitates, docet. Alioqui frustranea esset illius vocis repetitio, atque adeò in hac oratione esset turpissimum battologiæ vitium, quod de Palazolii stylo tam culto, tam concinno, tam expolito, & absoluto numeris omnibus præsumi non potest.

Hæc differendi ratio maximopere placuit Ariovisto, qui dein ad Baccalaureum conversus, aiebat; Admiror sanè, D. Baccalauree, quòd tuorum Theologorum Scriba non dissimulaverit hunc locum. Multis fortasse videbitur, Doctoris titulum invidisse istis Licentiatis, præsertim cum ipse inter eos præter sua merita nominatus non sit. Major, inquit Baccalaureus, est nostrorum humilitas, quàm ut titulis falsò attributis delectari queant. Dignitates etiam oblatas respuunt, sicut fecisse jam vidimus Dominum Van Geet, dum ad dignitatem Cantoris canonicè electus fuit. D. Baccalauree, infit Ariovistus, numquamne legisti id quod est apud Ecclesiasticum cap. 19. *Est qui nequiter humiliat se, & interiora ejus plena sunt dolo?* Examinet sese Dominus Van Geet, & videat, an illam Cantoris dignitatem non recusaverit potiùs ad novitates faciliùs propagandas, quàm ad colendam humilitatem. Hoc autem pro comperto habeo doctrinam Novatorum, qui hærent in imis Belgii visceribus,

ribus, posse meliùs à Graduato Canonico & Pœnitentiario, quàm à simplici Cantore propagari.

Hîc indignatus Baccalaureus in innocuum Ariovistum effudit quædam convicia, quibus chartam coinquinare non convenit. Non his tamen movebatur Ariovistus, sed dicebat; Abjice, D. Baccalauree, arma muliebria, & mecum revertere ad D. Gummarum Huygens, qui an immerito dicatur *convictus de Jansenismo tam in Cathedra, quàm in libris, Romæ & Madriti per Tribunalia fidei condemnatis*, potes statuere ex iis quæ dixi hactenus, & quæ mox dicam. Agedum, D. Baccalauree, cedo, nonne *Methodus remittendi & retinendi peccata* est opus Gummarianum? Est, respondet Baccalaureus, & hoc opus esse suum fœtum agnoscit ipse Dominus Huygens tam publicè quàm privatim. Subsumo, inquit Ariovistus; Atqui suprema Inquisitio Toletana anno 1681. die 28. Augusti hoc opus proscripsit, *quia continet propositiones condemnatas Jansenii, temerarias, & doctrinam quæ possit avocare fideles à Sacramento Pœnitentiæ & Confessarios ab ejusdem Sacramenti administratione.* Quid est, D. Baccalauree, convictum esse de Jansenismo in libro Madriti per Tribunal fidei condemnato, si hoc non sit?

Madrito, prosequebatur idem Ariovistus, properemus Romam, ubi Congregatio S. Officii 17. Januarii anno 1691. prohibuit & damnavit ejusdem D. Gummari Compendium contextum ex variis thesibus, quas ab anno 1672. usque ad 1679. in lucem emiserat. Hoc Compendium dixit *Theologiæ Compendium*, sed veriùs dixisset *omnium Novitatum*, quæ hodie Belgium conturbant. Româ revertamur in Belgium, cujus omnes 5. Episcopi anno 1697. Bruxellis congregati, censuerunt D. Gummaro adimendam esse potestatem excipiendi confessiones, sicut Mechliniensium Archiepiscopus hanc ei potestatem reipsa ademit.

Taceo quòd variæ illius propositiones per eorumdem Belgii Episcoporum Deputatum Romæ accusatæ fuerint, & illic provisionaliter censuratæ. Et licet censuræ publicatæ non sint, aliquid tamen ponderis accedit ad prædicta,

dicta, quòd conceptæ esse non ignorentur. Illum Regio jussu & Pontificio suspensum esse à Stricta Facultate significavi antea.

Sed hîc præterire non possum, quòd nuper ad tentandas vias pacis quascumque, Reverendissimus D. Martinus Steyaert Vicarius Silvæducensis per Doctorem Thomam du Jardin ex Ordine S. Dominici nihil aliud ab eo petierit, nisi ut Episcopis sese conformans, in Alexandri VII. Formularium juraret, & eorumdem Decreto subscriberet. Nihil autem horum obtineri potuit, ut patet ex testimonio, quod proferam, ubi opus fuerit.

Ex his omnibus concludere contra Doctorem Huygens parabat Ariovistus, sed eum impedivit Venantius, dicendo; Si, Arioviste, fert animus ita peregrinari ex Belgio in Hispaniam, ex Hispania in Italiam, ex Italia in Belgium, & ex Belgio iterum in Italiam, idque in gratiam unius Domini Gummari; non perveniemus umquam ad Confutationis Paragraphum quintum, qui nos jam dudum expectat, ut ostendat nullos in Belgio esse Jansenistas.

Huic toti Paragrapho, inquit Ariovistus, oppono totam nostram Dissertationem septimam. Mihi crede, optime Venanti, tam inopes sunt illi Theologi Belgæ, ut hîc non potuerint quidquam de suo penu proferre, & *ut bona summa putent alienâ vivere quadrâ.* Omnia, inquam, habent eadem quæ Hennebellus, eundemque ferè servant ordinem. Hoc unum adhuc deerat, infit Baccalaureus, ut Ariovistus amarulenta dicta, quibus meos Theologos incesseret, à Satyrico mutuaretur. Tum ad Venantium conversus, erupit in hæc lamenta; Mitissime Venanti, malè fidus Ariovistus utrique nostrûm imponit. En, mei Theologi ad calcem hujus Paragraphi de suo adjiciunt hunc syllogismum.

„ Nullâ ratione quisquam invidioso nomine Jansenis„mi traduci aut nuncupari potest, nisi priùs suspectum „esse legitimè constiterit, aliquam ex quinque proposi„tionibus docuisse aut tenuisse:

„ Atqui hoc de nullo in Belgio Theologo constat le„gitimè: immo verò legitimè constat, neminem illic

esse,

„esse, qui aliquam ex istis propositionibus doceat aut „teneat, cum nemo illic sit, qui illas non ejurarit jam „pridem, aut certe illas ejurare non sit paratissimus.

„ Ergo nullus est in Belgio Theologus, qui invidioso „nomine Jansenismi traduci aut nuncupari possit; mul„tò minus, qui sit Jansenista."

Bone Baccalauree, inquit Venantius, hìc iterum præbes Ariovisto occasionem loquendi de tuo Opstratio, tamquam de homine, quem suspectum esse legitimè constat, aliquam ex quinque propositionibus docuisse aut tenuisse.

Porrò Ariovistus Baccalaureum otioso animo esse imperavit. De Opstratio, inquiebat, jam non loquar. Sed dissimulatâ majore syllogismi, & minore pro prima parte, hanc nego pro secunda. Neque enim etiam dato quòd hoc de nullo in Belgio Theologo constet legitimè, sequitur ut legitimè constet neminem illic esse, qui aliquam ex istis propositionibus doceat aut teneat. Sic non constat legitimè aliquem in Belgio Calvinistam aut Judæum esse, tamen non sequitur; Ergo constat legitimè ibi nullum esse Calvinistam aut Judæum. Sic, inquam, non constat legitimè, D. Baccalaureum [illegible]quam mentitum esse, non tamen sequitur; Ergo legitimè constat D. Baccalaureum numquam esse mentitum.

At nostri Theologi, ait Baccalaureus, secundam illam Minoris partem aliunde probant, ex eo scilicet quòd *nemo sit* in Belgio, *qui illas propositiones non ejurarit jam pridem, aut certè illas ejurare non sit paratissimus.*

Jam dictum est centies, inquit Ariovistus, quomodo tui Theologi illas propositiones ejurent, nempè in sensu imaginario quem istis propositionibus attribuunt, voceantque *sensum obvium*, ut imperitioribus imponant; non verò in *sensu obvio* quem in *Augustino Cornelii Jansenii*, unde excerptæ sunt, præ se ferunt; ideóque hìc iterum cautè dicunt *illas propositiones*, non autem *propositiones Jansenii*, non *excerptas ex libro*, *cui titulus Augustinus Cornelii Jansenii.*

Quin imo, subdit Venantius, adeò non ejurant istas pro-

propositiones in sensu Jansenii, ut doceant illas in Jansenii sensu esse maximè orthodoxas maximeque Augustinianas. Quinam autem hoc apertè docuerint, dictum est tum dissertatione 7. (a) tum alibi sæpius. Mitto jam Paulum Aurelium, qui 5. propositionum in sensu Jansenii ejurationem damnat perjurii. Satis nobis fuerit audire Vincentium Palæophilum in Opusculo nuperrimè edito & paulò ante adhuc allegato ita loquentem pag. 61. " Dari Jansenistas, hoc est sectatores Jansenii, qui „doctrinam ejus, Evangelio, Apostolo, statutis Conci„liaribus, seu Ecclesiasticæ fidei consentientem, illam„que unam & eamdem, quam Augustini arbitrantur, „nemo umquam inficiatus est. Et qui eò futilitatis ve„niret, nave onerariâ chartarum, Augustini Iprensis cum „Hipponensi concordiam concentumque tuentium, con„vinci obruique posset. Dari Jansenistas, qui quinque „propositiones in sensu à Pontificibus damnato (quem „Augustinianum non esse, vivæ vocis oraculo multoties „declaraverunt) vel ipsas etiam propositiones nudas, ut „jacent, doceant; tu, mi Notarie, quamvis omnes an„gulos etiam glyribus & muribus impervios atque ignotos „excutias non deprehendes." Vides, D. Baccalauree, quomodo hic Autor distinguat inter propositiones nudas, & propositiones prout excerptæ sunt ex libro Jansenii, & substant ejus sensu? posteriore modo acceptas damnare paratissimi sunt omnes; acceptas autem priori modo non item. Quod tamen ad vitandam notam Jansenismi necessarium est etiam secundùm Innocentium XII. Ait enim in Brevi 6. Februarii anno 1694. edito; *Illud* (juramentum) *præstare debent sincerè, absque ulla distinctione, restrictione, seu expositione, damnando eas propositiones* EX LIBRO JANSENII EXCERPTAS *in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba præ se ferunt, prout sensum illum damnarunt Summi Pontifices Prædecessores nostri, damnatumque haberi voluerunt à Christi Fidelibus.*

Jam quoque, pergit Venantius, distinguo Theologorum Belgarum consequens pro prima parte; Ergo nullus est indeterminatè in Belgio Theologus, qui invidioso

(a) *Pag. 146. & seqq.*

dioso nomine Jansenismi traduci aut nuncupari possit, nego consequentiam. Nullus est determinatè, transeat.

Quàm rectè dixisti *transeat!* subdit Ariovistus, quia id apertè falsum est. Non loquor jam de D. Opstratio, sed de eo qui coram me privatim defenderet aliquam è quinque Jansenii propositionibus. Quid enim? An ei dicere non possum hoc Jansenianum esse, & defendentem esse Jansenistam, & ut talem corripere inter me & ipsum congruenter legi Evangelicæ? Et tamen eum in judicio nec convincere possum nec accusare defectu testium. Eodem modo eum, qui mihi privatim profitetur Judaismum vel Calvinismum, possum sine dubio privatim nuncupare Judæum vel Calvinistam, eumque ut talem corripere; non possum publicè quia occultum crimen publicare non possum, nec possum in judicio defectu testium. Neque verò postulat Innocentius XII. convictionem in jure, ut aliquis possit nuncupari Jansenista; sed ut tamquam Jansenista possit *repelli* seu deturbari *ab Officiis, Muniis, Beneficiis, &c.* Ad meram autem Jansenistæ nuncupationem Pontifex postulat dumtaxat, ut *suspectum esse legitimè constiterit, aliquam ex 5. propositionibus, docuisse vel tenuisse.* Numquamne tu D. Baccalauree, tuique Theologi huic suspicioni fundamentum posuistis?

Ad alteram autem consequentis partem nihil attinet respondere: etenim antè demonstravi non sequi: *Nullus potest nomine Jansenismi nuncupari, ergo nullus est Jansenista.* Nec etiam sequitur *De nullo legitimè constat esse Jansenistam, ergo nullus Jansenista est.* Nam quam multi sunt fures, homicidæ, adulteri, aliique malefactores, de quibus id legitime non constat, nec constare potest? Quid, quòd nec sequatur, *Nullus est qui 5. Propositiones non ejuret, ergo nullus est Jansenista.* Quia, ut modò dixit Venantius, non satis est illas Propositiones simpliciter ejurare, sed oportet addere illas *ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen* AUGUSTINUS, *esse excerptas, & in sensu ab eodem Autore intento, sive in sensu obvio ejusdem libri hæreticas* confiteri, & ut tales in eo sensu ejurare. Hoc ultimum quamdiu facere detrectant tui isti Belgæ Theolo-

gi,

gi, censendi non sunt ejurare Jansenii doctrinam à Sede Apostolica damnatam. Ubi jam sunt, D. Baccalauree, tui Theologi cum suo famoso & decantato syllogismo, in quo omne sibi præsidium constitutum esse existimabant?

Posthæc dixit Venantius; Istis Theologis multo sincerior candidiorque est vester ille Vincentius, quem antea audivimus ita pronuntiantem; *Dari Jansenistas, hoc est, sectatores Jansenii, qui doctrinam ejus, Evangelio, Apostolo, statutis Conciliaribus, seu Ecclesiasticæ fidei consentientem, illam unam & eandem, quam Augustini arbitrantur, nemo unquam inficiatus est.* Est, inquam, vobis multo candidior, quia quod vos non facitis, animi sensa clarè & sine ulla tergiversatione eloquitur. Et verò nonne & vos D. Baccalauree, licet illas 5. Propositiones nudè ac simpliciter ejuretis, arbitramini *doctrinam Jansenii, Evangelio, Apostolo, statutis Conciliaribus & S. Augustini placitis planè consentientem?* Responde mihi categoricè.

Categoricè autem ad hoc respondere Baccalaureus noluit, sed aliò sermonem divertens, me tædet, inquiebat, eadem audire toties. Tædet & nos, reposcit Venantius; eadem toties repetere & inculcare. Sed quid vis faciamus istis hominibus, qui nihil novi adducunt. Sic Paragrapho 6. qui proximè subsequitur, de Rigoristis & Novatoribus obganniunt omnia eadem quæ Doctor Hennebellus, & quæ nos dissertatione 8. confutavimus, tum præsertim, cum nobis aderat D. Parochus. (*a*) Placuit tamen Ariovisto eum paragraphum relegere integrum, quo relecto, Miror, inquiebat, istos Theologos tam pressè sequi Hennebellum suum, ut cum P. Palazolius hîc Novatoribus multa particularia objiciat, ad ea in particulari nihilo magis respondeant, quàm ipse Hennebellus. Id nobis, ait Venantius, argumento esse debet, illos ad ea in particulari respondere non posse: nam si possent, Belgæ isti Theologi respondissent ad ea certo certiùs, quò major appareret suum inter & Hennebellianum Scriptum varietas.

Sed

(a) *Pag. 216. & seqq.*

Sed novi aliquid, clamat Baccalaureus, cerno num. 56. qui sub medium sic habet; *Lovanienses invaserunt* Moralem Jesuitarum *tum scriptis* (*quod inter ceteros præclarè præstitit Sinnichius*) *tum lato adversus quasdam Propositiones laxiores judicio*; *at præcipuè missâ in Urbem anno* 1677. *legatione : ubi pugnante pro illis Sede Apostolicâ, sexaginta & quinque è laxiori Theologia propositiones ab Innocentio XI. profligatæ sunt*; *dum interim tota Moralis Lovaniensis à Vaticano fulmine mansit illæsa. Post tantam cladem non adeò mirum, tam atrociter in nos vociferari Palazolium; debacchari in nos, tamquam Sedi Apostolicæ rebelles, atque adeo ad reformandos mores parum idoneos; concitare nobis invidiam, quasi alios ut carnales aspernemur, &c.*

Hæccine, D. Baccalauree, quærit Ariovistus, tibi nova videntur esse? Belgæ tui Theologi ea ex Hennebelliani Scripti Conclusione huc transtulere, sicut constare potest ex iis quæ tu ipse nobis prælegisti dissertatione 10. (*a*) Usque adeò illis Theologis curæ fuit, ne quid ex Hennebelli Scripto periret. Et quid est, cur 65. istarum propositionnm condemnatio Jesuitas magis discruciet, quàm ullos alios sive Religiosos, sive Sacerdotes seculares, sive Lovanienses Academicos? Noli Arioviste, inquit Venantius, hoc loco cum jactura temporis repetere eadem quæ jam allegatâ dissertatione (*b*) breviter quidem, sed nervosè contra Hennebellum similia garrientem protulisti.

Venantio obsecundavit Ariovistus, aiens; Perlustremus igitur Paragraphum septimum. Hunc perlustra, inquit Venantius, quantum volueris; nihil offendes quod Hennebellus non habeat, atque adeo quod à nobis dissertatione 9. & alibi confutatum non fuerit. At præcipuè hîc conqueruntur, quòd sibi accommodetur illud Isaiæ 28 *Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus.* Imo, infit Baccalaureus, confidenter petunt mendacia sua detegi ac probari. An non sat multa, reponit Venantius, detecta sunt ac probata in jam dicta dissertatione. Aliud mendacium novum verisimiliter deteget

(a) *Pag.* 295. (b) *Pag.* 297.

teget Reverendissimus D. Steyaert, ad quem jam scripsi. Expecto avidissimè, inquit Ariovistus, quid respondeat. Interim velis remisque, quod aiunt, contendamus ad Paragraphum 8. quo continetur Belgarum Theologorum Conclusio sive Epilogus.

Hæc saltem meorum Theologorum Conclusio, ait Baccalaureus, multùm differt ab Hennebelliana Conclusione. Fateor, inquit Ariovistus, quamquam à num. 66. ad 68. usque, nihil fermè sit nisi repetitio & anacephalæosis eorum, quæ antè passim dicta sunt in utriusque Scripti serie atque contextu. Ob eamque causam ista Conclusionis pars novâ refutatione non indiget. Sed refutatione, subdit Baccalaureus, indiget numerus 68. ubi ostenditur imaginarium esse tumultum Civium Bruxellensium, quos Palazolius fingit *tumultuariè & junctâ manu die 39. Januarii 1698. ivisse ad Palatium Archiepiscopi Mechliniensis, vocibus incompositis, malè sonantibus, & vultu minaci petentes, ut in Plebanum seu Pastorem S. Gudulæ Bruxellis admitteret Illustrissimus Archiepiscopus Dominum van Eesbeecke ab insigni Capitulo ejusdem Ecclesiæ electum.*

Reliqua illius numeri licet prolixissimi recitavit Baccalaureus, & ita sonant; "Imaginarius est, quem Palazolius fingit, civium illorum tumultus: sed res ita se habet. „R. Admodum atque Eruditissimus D. Petrus van Eesbeecke S. T. L. natus Vilvordiæ prope Bruxellas, Diœcesis Mechliniensis, & pro eadem Diœcesi primùm ordinatus Presbyter, deinde vocatus ad Pastoratum de Helversel, Diœcesis Gandavensis, indè ad Curam Pastoralem Civitatis Cortracensis postulatus ab Episcopo Tornacensi, ac tandem ab Illustri Capitulo S. Gudulæ Bruxellis in suam Diœcesim revocatus; & ob insignes dotes Pastorales & diuturnam in animarum cura experientiam unâ ferè omnium voce die 23. Decembris „1696. in ejusdem Ecclesiæ Plebanum canonicè electus, „atque in possessionem missus, petiit ab Illustrissimo „Archiepiscopo, concedi sibi curam Animarum. Re„cusavit hic, & eam se illi daturum negavit, nisi priùs „ab Episcopo Tornacensi impetraret veniam, seu *Exeat*,

ut

„ut ajunt, ad Parochiam Cortracensem deferendam:
„prætexebat id tum juxta SS. Canones, tum juxta re-
„cens aliquod Episcoporum Belgii Decretum requiri.
„Cumque jam minaretur Electum omni jure & posses-
„sione acquisitâ ipso facto privare, nisi sibi istud *Exeat*
„compararet, coactus hic fuit supplicare Consilio Bra-
„bantiæ die 5. Octobris 1697. ut in sua possessione ma-
„nuteneretur; adeoque mandaretur Archiepiscopo Me-
„chliniensi tollere obstacula omnia, quibus illum à pa-
„cifica Plebanatûs functione arcebat, & concedere cu-
„ram animarum, quam prætextu *Exeat* nondum obten-
„ti negabat: esse siquidem novitatem in hisce Provin-
„ciis inauditam, quâ & Subditis Catholicæ suæ Maje-
„statis, & beneficiorum Ecclesiasticorum Patronis gra-
„ve detrimentum infertur. Dum variis effugiis rem tra-
„hit Illustrissimi Archiepiscopi consilium, atque interea
„Parochiam S. Gudulæ Plebano suo viduam reliquit;
„cives quidam sat magno numero, iique spectabiles,
„ipsum adeunt, eâ quâ par est reverentiâ humillimè ro-
„gantes, ne diutiùs Gregem Pastore suo destitui permit-
„tat. Sed dum nullis eorum precibus flectitur, ex illis
„unus, Vir honoratissimus: Si, inquit, hîc repulsam
„patiamur, ire cogemur ad Electoralem suam Celsitudi-
„nem, atque ab ea remedium postulare. Ad hæc Illu-
„strissimus Archiepiscopus: Ivistis adhuc, ire potestis
„iterùm. Reposuit Civis, se non ivisse: neque id falsò
„aut mendaciter. Duriusculum tamen (quod hic sileo)
„responsum accepit: cum interim cives nullis verbis
„incompositis aut malè sonantibus priùs usi dicuntur.
„Ceterùm cùm sententia in Concilio Brabantiæ jam con-
„cepta ac dicta esset 22. Martii 1698. quâ in possessione
„Plebanatûs manutenebatur D. van Eesbeeck, lis ami-
„cè composita est, omneque impedimentum ab Illu-
„strissimo Archiepiscopo sublatum. Nec multò post cum
„ingenti totius Parochiæ gaudio Pastorale officium obire
„cœpit vir zelosissimus, & hodiedum illud cum magno
„fructu pacificè administrat."

Hæc à Baccalaureo recitata Ariovistus ita excepit;
Non esse imaginarium civium illorum tumultum,
vel

vel ex hac ipsa tuorum narratione conficitur. Quid enim potest esse tumultuosius, quàm cives aliquot, homines laicos, facto agmine ad Palatium Archiepiscopi concurrere, ab eoque petere, ut hominem, qui suam Parochiam deseruit, admittat ad curam animarum in alia Diœcesi, sine licentia & litteris dimissoriis Episcopi, cujus Parochiam & Diœcesim deserit? Hoc autem illi cives Bruxellenses petierunt, ut hîc confitentur vel tui ipsi Theologi. Petierunt? inquit Venantius. Imo verò, ut iidem illi Theologi confitentur, Archiepiscopo ac Primati suo comminati sunt, se, si hîc repulsam patiantur, ituros ad Electoralem suam Celsitudinem, atque ab ea remedium postulaturos. An illæ voces, D. Baccalauree, non sunt incompositæ? An non malè sonantes? An non sunt minaces? An non tumultuosæ? Quomodo igitur iste civium tumultus dici potest imaginarius?

Eo modo, subnectit Ariovistus, dici potest imaginarius, quo imaginaria ab ipsis dicitur Janseniana hæresis. Sic etiam videntur velle insinuare imaginarios esse sacros Canones, quos ad exigendas litteras Exitûs, contra illum Plebanum Archiepiscopus allegabat: aiunt enim; *Prætexebat id tum juxta SS. Canones, tum juxta recens aliquod Episcoporum Belgii Decretum requiri.* Nota τὸ *prætexebat*. An ergo illi Canones, rogat Baccalaureus, imaginarii non sunt?

Hanc interrogationem non tulit Venantius, & cum nollet in iis stabiliendis Canonibus temporis aliquid aut operæ ponere, Baccalaurei porrexit *Motivum Juris Canonici de Translatione Parochorum, quo asseritur Regula Canonica, non licere, Parochum desertâ suâ Parochiâ, transire ad ministerium alterius Parochiæ in alia Diœcesi, sine licentia & litteris dimissoriis Episcopi, cujus Parochiam & Diœcesim derelinquit, autore Petro Govarts Catholicæ suæ Majestatis in Magno suo Concilio Mechliniæ Consiliario, Archiepiscopi ejusdem Provinciæ Vicario Generali.* Porrexit quoque ejusdem Autoris *Replicam ad libellum cui titulus Reponse au Motif du Droit publié en Latin.* Dixitque, cum tibi otium fuerit, D. Baccalauree, perlege utrumque Opusculum, & quàm non sint imaginarii illi Canones, vide.

videbis. Videbis, inquam, istos Canones jam inde ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis ad hæc usque tempora sæpiùs repetitos esse in variis Conciliis per quatuor mundi plagas habitis, in iisque declarari, quòd licentia illa adeò necessaria sit, ut sine illa tam suscipiens quàm susceptus, vinculo excommunicationis irretiatur.

Sed illi Canones, asserit Baccalaureus, in hac Patria in usu non sunt. Ita quidem, ait Venantius, sentiunt tui Theologi, utpote qui dicunt *esse novitatem in hisce Provinciis inauditam, quâ & subditis Catholicæ suæ Majestatis, & beneficiorum Ecclesiasticorum Patronis grave detrimentum infertur.* Verùm non esse hanc novitatem in hisce Provinciis inauditam, evincitur per attestationes omnium Belgii Episcoporum, Vicarii Apostolici Silvæducensis, Vicariorum Generalium Diœcesis Tornacensis & Examinatoris Synodalis Mechliniensis, qui omnes testati sunt non solere quemquam in suis Diœcesibus admitti ad curam animarum, nisi priùs exhibuerint istud *Exeat* sive facultatem Episcopi sui ad aliam Diœcesim migrandi.

Tum, ne qua Baccalauro relinqueretur dubitandi ratio, singulas singulorum attestationes Venantius prælêgit, nec non addidit exempla variorum, qui quòd istâ sui Episcopi facultate carerent, propterea ad suam Diœcesim remissi sunt. Ipse, adjiciebat Venantius, ipse D. Van Eesbeeck, ut cernere est in Actis & Registro Episcopatûs Gandavensis, non inde priùs transivit ad Diœcesim Tornacensem, quàm à Gandavensi Episcopo veniam exeundi obtinuerat. Et quod amplius est, numquam poterit assignari ullus Pastor, qui sese Pastoratu in hisce Provinciis abdicavit, invito & reluctante Ordinario, quemadmodum Episcopus Tornacensis reluctatus est abdicationi Pastoris Cortraceni.

Quid itaque, inquit Ariovistus, illi Theologi vociferantur hanc *esse novitatem in hisce Provinciis inauditam?* Sed agedum, D. Baccalauree, fac ita esse. Regula illa Canonica in his Provinciis non fuerit in usu. Nihil adhuc proficiunt tui Theologi: Etenim ex nudo non usu necessario non potest inferri deficiens usus seu utendi

potestas L. *de quibus* in fin. & ibi Doctores de legibus. Imo licet defecisset usus ille, & invaluisset consuetudo Regulæ non consentiens, corruptela censenda hæc foret & consuetudo mala, adeoque ab Episcopis eradicanda: nam non sequi, sed penitùs eradicare oportet malam consuetudinem C. *consuetudo* 8. dist. Panorm. in C. *cum causam* de Elect. Non enim debet attendi quod fortè non rectè factum est, sed potiùs quod fieri debuit L. *sed licet* de offi. Præsid. Sic Concilium Nicænum primum can. 15. Carthaginense sextum can. itidem 15. Parisiense sextum can. 36. & alia Concilia *consuetudinem* quæ contra Regulam est in hac materia omninò exscindi & auferri voluere. Et ne longiùs evagemur, tertius Mechliniensium Archiepiscopus Matthias Hovius in sua Oratione exhortatoria ad universum Clerum in Concilio Provinciali anno 1607. congregatum, ita loquitur; *Nemo contra id quod verum, justum, & sanctum est, quod Canonibus veteribus, quod denique novo juri sacrosancti Concilii Tridentini conforme, ... consuetudines alleget: sed evelli obedienter patiatur, quod per inolitam consuetudinem malè succrevit, ut meliori plantæ locus fiat: nemo hìc jus acquisitum contra jus in sacris Canonibus.....sancitum alleget.*

Neque obest, prosequebatur idem Ariovistus, quod (ut dicunt illi Theologi) Dominus Van Eesbeeck *natus sit Vilvordiæ prope Bruxellas, Diœcesis Mechliniensis, & pro eâdem Diœcesi primùm ordinatus Presbyter.* Hoc, inquam, nihil obest, quo minus testimoniales & litteras *Exitûs* afferre debuerit: Quia ubi Canones non distinguunt, nec nos distinguere debemus. Et nonne octo & viginti annis, quibus à Diœcesi Mechliniensi iste Dominus abfuit, potuit Canonico impedimento irretiri? Ergo etiam juxta Bullam Innocentii Papæ XII. incipientem *speculatores* circa Ordinandos, testimoniales Episcopi Domicilii afferre debuit. Profectò, subdit Venantius, si sine illis litteris post 28. annorum absentiam omnes Diœcesani (nam par pro omnibus eadem militare debet ratio) possent ita reverti, jam facinorosi atque inhabiles sese ingerent in curam animarum, & oves lupis committentur.

Solers

Solers observatio! acclamat Ariovistus. Et hoc est etiam unum ex fundamentis, quibus sanciti hac de re Canones præcipuè innituntur. Jam adhuc, D. Baccalauree, clamitent tui Belgæ Theologi, hâc ratione procedendi *& subditis Catholicæ Suæ Majestatis, & Beneficiorum Ecclesiasticorum Patronis grave detrimentum inferri.* Grave detrimentum est scilicet ab Ecclesiis Belgicis propulsare periculum, easque securas reddere quòd aliundè adventantes Pastores sint homines frugi, probatæ fidei atque doctrinæ, neque ullo impedimento Canonico illigati. Grave detrimentum est, inquam, Episcopos invigilare, ne subditi Catholicæ Suæ Majestatis, & Christi sanguine redemptæ oves credantur lupis rapacibus, ne gregem occupet hæretica scabies, aliave pestis depopuletur. Mitto plura alia quæ in hanc rem afferri queant, & solum quæro ex te, D. Baccalauree, quo jure tui Theologi hîc in Scripto publico commemorent Dominum Van Eesbeeck confugisse ad Concilium Brabantiæ. Hîc veritatem dicunt mei Theologi, respondet Baccalaureus, quia iste Dominus hoc reipsa fecit.

Scio, inquit Ariovistus, & antea confugerat ad sanctius Regis Consilium. Sed sanctius Consilium, audito Archiepiscopo, eum dimisit: agnoscebat enim hanc materiam ad suam nequaquam spectare cognitionem. Cur & hoc tui Theologi non commemorant? Scio ergo, D. Baccalauree, Dominum Van Eesbeeck verè ad Consilium Brabantiæ confugisse, eique supplicasse, *ut in sua possessione manuteneretur.* Sed tantùm quæro, quo jure & quâ caritate id publicè narrare potuerint. An ergo putant tali narratione non lædi famam Domini Van Eesbeeck, neque scandalizari Christianum populum? præsertim cum id factum fuerit paucis pòst mensibus, quàm Episcopi Belgii Breue S. D. N. Innocentii XII. autoritate suâ & prædecessorum suorum Constitutionibus inhibentis effugia ad Laica Tribunalia die 24. Novembris anno 1696. Romæ datum, per Belgium promulgarant, & dictas Constitutiones in Decretis suis pro insertis habentes, earumdem observantiam omnibus ac singulis seriò inculcaverant, in prævaricatores, quemad-

in dictis suis Decretis declarabant, sedulò animadversuri.

Quid ille Pastor fecisset aliud? inquit Baccalaureus. Nam Archiepiscopus, ut nunc audistis ex meis Theologis, *minabatur Electum omni jure & possessione acquisitâ ipso facto privare, nisi sibi istud Exeat compararet.* Debuisset igitur, inquit Venantius, sibi ab Episcopo Tornacensi comparare istud *Exeat*, & non refugere ad Tribunal seculare. Tunc iterum Baccalaureus; Episcopus Tornacensis istud dare recusabat. Nihil hoc, ait Venantius, Pastorem Cortracenum purgat: etenim si ille Pastor censeret Episcopum suum Tornacensem id recusare sine justa causa, quod quidem præsumendum non est, debuisset ad Superiorem ejus Metropolitanum Archiepiscopum Cameracensem, vel Judicem Apostolicum recurrere juxta cap. *Nullus* ✠ *de jure patr.*

Hoc ipsum consilium, inquit Ariovistus, D. Pastori suggessit Archiepiscopus Mechliniensis; imo inquiebat hic æquissimus Antistes, Si existimes, Domine Pastor, ex recusatione mea læsum esse te, eo quòd causa recusationis tibi videatur insufficiens, utere remedio ordinario appellationis ad Judicem Apostolicum ab Internuntio Belgii designandum juxta C. *Unam sanctam de Maj. & obedientia in extravag. commun.* An quid poterat dici æquius? Tamen Pastor non ad Archiepiscopum Cameracensem Metropolitanum Episcopi Tornacensis, non ad Summum Pontificem aut ejus in partibus Internuntium, ut par erat, sed denuò ad Judicem Laicum, ad Concilium Brabantiæ recurrit contra inchoatum per Monitoriales ab Archiepiscopo judicium in materia merè spirituali circa observantiam SS. Canonum & Disciplinam Ecclesiasticam. Dic modò, D. Baccalauree, quid hoc est aliud, quàm ab Episcopali recusatione approbationis ad exercendam curam animarum appellare ad Judicem Laicum? Nonne, id vetitum est non solùm per sacros Canones, sed etiam per Decreta Regia & Concordata?

At Dominus Van Eesbeeck, inquit Baccalaureus, jam Plebaniæ possessionem adiverat, in eaque petebat
à

à Brabantiæ Consilio manuteneri. Hanc objectionem ubi Venantius audiverat, tantùm non ipsi bilis commota est. Mitiùs tamen respondit Baccalaureo, quàm objectionis indignitas postulare videbatur. Quid? inquiebat, tu D. Baccalauree, tuique Theologi audetis de hac possessione mentionem injicere? Ego totis artubus contremisco, quoties subit nefasta illa dies, quâ Domino Van Eesbeeck coram vidi illam possessionem dari. Fortè Baccalaureus, dicit Ariovistus, non scit modum quo data est ista possessio, ceterasque circumstantias omnes; & ego ipse eas libenter intelligam ex teste oculato; quare amicissime Venanti, quæso te, eas nobis edisſere.

Continuò dixit Venantius; Quamquam animus meminisse horreat, tamen quoniam ita vis, rei totius seriem pandam ordine. Die 16. Aprilis anno 1697. à meridie mittit ad Archiepiscopum Mechliniensem Dominus Van Eesbeeck Notarium, qui requirat, ut dignetur Archiepiscopus curam animarum Plebaniæ Bruxellensi annexam ceteraque necessaria dicto Domino conferre; & in casu ulterioris recusationis aut dilationis protestetur de damnis & interesse, ut vocant. Cum autem eo tempore Archiepiscopus impediretur, ita ut non posset positivum ab ejus Ministris responsum dicto Notario reddi; eodem tempore pomeridiano sine ulteriore requisitione, sine scientia Archiepiscopi, sine institutione autorizabili aut approbatione ad exercendam curam animarum, non agnito ad hoc Capitulo S. Gudulæ (ex quo Canonicus Cantor juxta ejus statuta solet Plebanum & Beneficiatos in possessionem introducere) Dominus Van Eesbeeck non per dictum Cantorem, sed per Notarium introduci se sinit. Notarius homo Laicus ei Sedem Confessionalem, Cathedram Concionatoriam, Baptisterium, & quo nihil potest excogitari indignius, etiam Sanctissimi Sacramenti Tabernaculum aperit, in contemptum Archiepiscopi omniumque Belgii Episcoporum tunc Bruxellis præsentium, cum scandalo populi, qui tunc in templo frequens aderat. En, D. Baccalauree, qualem possessionem hîc tui jactitent Theologi.

Crediderim ego, inquit Ariovistus, Episcopos non minus ingemiscere ad istam jactantiam, quàm ad factum ipsum ingemuêre. Hoc & ego crediderim, subdit Venantius; & quàm altè ad illud factum Episcopi omnes ingemuerint, non habeo dicere.

Cum adhuc recens esset, inquit Ariovistus, præclari illius facti memoria, aliquis ad me scripsit, quòd Archiepiscopus eodem illo die se ei Domino paratum obtulerat ad omnia, quæ fieri in ejus commodum permitteret religio. Id verum esse asseverabat Venantius; Et semper aliàs, idem Venantius adjiciebat, Illustrissimus illum Dominum benignissimè exceperat. Tandem 22. Aprilis prædicti anni Archiepiscopus, ut palam ostenderet se tantùm velle observare SS. Canones, insinuari Domino van Eesbeeck jubet Monitoriales, quibus eum monet & hortatur, ut quam primum curet amoveri obstaculum, quo ab animarum cura arcetur, proveniens ex positiva renitentia Ordinarii sui, nempe Episcopi Tornacensis recusantis ei licentiam dimittendi Parochiam suam Cortracenam. Pastor ille, acceptis his litteris, contra Archiepiscopum recurrit ad sanctius Regis Consilium, à quo, ut rectè Arioviste dixisti, rejectus est. Archiepiscopus interea non videns ullam à Pastore adhiberi diligentiam, ut ab Episcopo Tornacensi iste consensus obtineretur, misit ulteriores ad Pastorem Monitoriales, assignans ei mensem à data Monitorialium pro secundo ac peremptorio, nec non alterum subsequentem mensem pro tertio & omnimodo termino, infra quem sæpe dictam licentiam sive *Exeat* sibi procuraret sub pœna privationis. Et in hoc Archiepiscopus secutus est canones allegatos apud Fagnanum in cap. *Admonet* ꝗ *de Renunc.*, scilicet ut curis animarum quàm posset citissimè prospiceret.

Hanc narrationem Venantius absolverat, cum Ariovistus scienter & argutè infert; Ergo Archiepiscopus non ipso facto, ut aiunt Belgæ Theologi, sed tamquam Judex & ex officio Episcopali voluit istum Pastorem prætenso jure & possessione privare.

Nequiter etiam, inquit Venantius, ab iisdem Theologis

logis in fine dicitur; *Ceterum cum sententia in Concilio Brabantiæ jam concepta ac dicta esset* 22. *Martii* 1698. *quà in possessione Plebanatûs manutenebatur D. van Eesbeeck, lis amicè composita est, omneque impedimentum ab Illustrissimo Archiepiscopo sublatum.* Nequiter, inquam hoc dicitur, & ad famam Illustrissimi denigrandam. Quasi verò fortissimus ille Archipræsul non fortiùs stetisset pro immunitate Ecclesiastica, & causam merè spiritualem permisisset judicari in Tribunali Laico, & latæ in eo sententiæ contra Ecclesiæ Canones obtemperasset. Non sic egit profectò, non sic, sed contra temeritatem Pastoris ad summum Pontificem, ad Christi Vicarium perfugit, & contra Judicem secularem ad Serenissimum Electorem. Hic dignatus fuit inhibere Consilio Brabantiæ, ne ulteriùs in hac materia procederet, donec aliter statutum fuerit; ille petere informationes ab Illustrissimo ac Reverendissimo Belgii Internuntio, ut de hoc casu judicaret.

Tum Baccalaureus dixit; *Lis* tamen *amicè composita est, omneque impedimentum ab Illustrissimo Archiepiscopo sublatum.* Vis dicere, inquit Venantius, *ab Illustrissimo Episcopo Tornacensi*: hic enim facultatem seu *Exeat* ad Parochiam Cortracensem deserendam D. van Eesbeeck tandem concessit. Et ipse Dominus van Eesbeeck Mechliniensi Archiepiscopo satisfecit. Atque hoc pacto *lis amicè composita est.* Aveo scire, ait Baccalaureus, quid Dominus van Eesbeeck egerit ad satisfaciendum Archiepiscopo.

Si, inquit Venantius, hæc te cura remordeat, hoc tibi perlibenter dixero. Ausculta igitur. *Omnia quæ contra Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum Archiepiscopum Mechliniensem acta aut attentata sunt per se vel per Procuratores suos, tam in Concilio Brabantiæ quàm quolibet alio modo, improbavit ac ab iis destitit. Protestationi suæ per Notarium N..... die* 16. *Aprilis anno* 1697. *factæ & sententiæ contumaciali in dicto Concilio ex parte sua obtentæ renuntiavit, totumque processum, in quantum in se est, annullavit ac pro non acto haberi voluit... Quòd ante licentiam... deserendi Pastoratum Cortracensem, & exeundi è Diœcesi*

Tornacensi ad Mechliniensem juxta modum & formam ordinariam, à prædicto Illustrissimo Domino requisitam, excesserit per irregularem procedendi modum aut aliàs, de hoc absolutionem veniamque enixè flagitavit. Imposterum omnem reverentiam Illustrissimo Domino Archiepiscopo debitam promisit. In quorum omnium & singulorum fidem, manu propriâ subscripsit die 23. *Augusti* 1698. Quamquam quid hæc ego tibi commemoro? Accipe potiùs, D. Baccalauree, ipsum exemplar, istud describe, & ostende tuis Theologis, ut si forte eum secuti sunt peccantem, sequantur & pœnitentem.

Jam solum superest, inquit Ariovistus, istud quod hîc Belgæ Theologi silere se aiunt, nempe *Duriusculum responsum* cuidam civi ab Illustrissimo datum. Scisne, Venanti, quodnam illud fuerit? Scisne tu, D. Baccalauree? Ah! Arioviste, respondit Venantius, ne nos istud responsum solicitet. Quivis satis novit licitum esse Archiepiscopo ac Primati Belgii, tumultuantem civem duriusculo responso rejicere. Quis hoc ipsi vitio vertat? Hic numerus refutatus est satis, ait Ariovistus. Relinquamus igitur Dominum van Eesbeeck in pacifica sua possessione, ut pergat vir ille zelosissimus Pastorale officium cum magno fructu pacificè administrare.

Doleo sanè, inquit Venantius, quòd illi Belgæ Theologi nos hæc de illo viro enarrare coëgerint. De ipso tamen meremur meliùs, quam alii isti Belgæ: non enim, ut illi, laudabilem ipsius resipiscentiam præterivimus. Humanum est peccare, nolle resipiscere diabolicum. At minori cum sensu quædam de D. Gummaro Huygens enarranda jam sunt. Huic dant Belgæ Theologi totum numerum sequentem. Non immeritò, clamat Baccalaureus, & hîc debuissent multo acriùs, quàm fecerunt, excipere Palazolium, utpote qui in Memoriali suo num. 104. in fine audet dicere *celebrem Doctorem Gummarum Huygens à Facultate Theologica strictiore Lovaniensi rescissum fuisse mandato suæ Majestatis & Sedis Apostolicæ, tamquam omnium Belgii Novatorum caput, & ut talem notum omnibus.*

Ad hoc autem respondent mei Theologi non minùs succinctè,

cinctè, quàm mansuetè, saltem pro rei gravitate;" Quot „verba, tot contumeliæ. Verum non est, Doctorem „Huygens à Facultate strictiori Theologica rescissum „fuisse. Verum non est, eum rescissum fuisse mandato „suæ Majestatis. Verum non est, rescissum fuisse man„dato Sedis Apostolicæ. Verum non est, rescissum fuis„se tamquam omnium Belgii Novatorum caput. Verum „non est, eum ut talem notum esse omnibus. Sed vera „sunt hæc. I. Unanimi Magistrorum omnium suffragio „eum in Facultatem strictiorem Theologicam ab annis „plusquam undecim adlectum. II. Ejusdem Facultatis „Munia illum obiisse. III. Suadentibus quibusdam Mini„stris Regiis, ultro eum à muniis illis obeundis pacis „causâ destitisse. IV. Promisisse eosdem Ministros Re„gios, fore ut intra paucos menses iisdem restitueretur. „V. Cum molirentur Æmuli loco eum suo exturbare, „à Consilio Brabantiæ litteras Manutentiæ, ut vocant, „illum petiisse. VI. Jus dixisse Consilium Brabantiæ & „Manutentiæ litteras concessisse; sed malevolorum quo„rumdam artibus impeditum, ne expedirentur. VII. „Non potuisse ipsius æmulos post tot annorum labores „quidquam proferre, quo eum Novatorem esse proba„rent. VIII. Innocentiam ipsius & integritatem Orbi „toti notam esse, Accusatorum verò ipsius calumnias „omnibus manifestas.

Itane verò? inquit Ariovistus. Mansuetè hîc loquuntur tui Confœderati Theologi? Liceat igitur & mihi uti tam mansuetâ loquendi ratione, *Quot verba, tot contumeliæ*. Verum non est, dixisse Palazolium, quòd Doctor Huygens à strictiore Facultate Theologica *rescissus* fuerit, sed tantùm dixit quod ab eadem Facultate *suspensus* fuerit sive *exclusus*. An Gummarum Huygens *suspensum* fuisse negare audebunt tui Theologi? Id confitentur ipsi in altero libello supplice Statibus Brabantiæ oblato, & ad hujus Confutationis calcem pag. 80. à Belgis Theologis prolato. Sed Palazolius, objicit Baccalaureus, usurpat vocem Hispanicam *desterrado* quam mei Theologi Gallicè vertunt *retranché*, id est, *rescissus*. An sic vertunt rectè? rogat Ariovistus. Certè eamdem Hispa-

nicam

nicam vocem vertunt iidem Theologi num. 51. *Banni*, id est, *extorris*, sive *exclusus*. Ita etiam eandem vocem vertunt num. 30. & rectè quidem, subjungit Venantius: ea est enim Hispanicæ illius vocis propria ac germana significatio.

At hîc, inquit Ariovistus, opus erat illam alio modo vertere ad fucum faciendum. Summa. Verum est, Doctorem Huygens, ut ait Palazolius, exclusum sive suspensum fuisse à strictiore Facultate Theologica, idque mandato tum suæ Majestatis, tum etiam Sedis Apostolicæ. Mandatum suæ Majestatis declaratum fuit anno 1683. per Brabantiæ Cancellarium D. Christyn, suæ Sanctitatis autem per Internuntium Tanara, nunc S. R. E. Cardinalem.

Id quod Ariovistus jam dixit, ait Venantius, probare possum ex Epistola ejusdem Internuntii. Tum Epistolam in manus accipiens, ita affatus est Baccalaureum; D. Gummarus post hanc exclusionem accessit prædictum Internuntium petiturus consilium, quid facto opus esset ad sese purgandum Sedi Apostolicæ, cujus nomine Internuntius processerat. Internuntius verò in his, quas in manibus habeo, litteris declarat, quòd Doctorem Huygens exhortatus fuerit, ut refugeret ad Sedem Apostolicam, eidemque redderet & doctrinæ & personæ suæ rationem, cumque sciret se pariter à Catholica sua Majestate exclusum, ad eamdem consimiliter refugeret. Verùm " non placuit Doctori Huy-„gens hoc meum consilium, inquit præfatus Internun-„tius, vel saltem non est illud secutus, quamdiu egó „habui honorem istic habitandi, & si res non sint mu-„tatæ postea, apparet evidens, quòd duret ad ipsius „gravamen exclusio tam Romana, quàm Hispanica, „& quòd sine injuria utriusque aulæ, non possint „audiri ipsius querimoniæ & instantiæ, ne extra judi-„cium quidem." Hæc. quæ Internuntius scripserat Italicè, ita Latinè efferebat Venantius.

Tum Ariovistus; Jamne vides, D. Baccalauree, inquiebat, jamne sentis, Doctorem Huygens à strictâ Facultate fuisse exclusum jussu & Regio & Pontificio?

Hîc

Hic prætereo duos vel tres illius Doctoris Confœderatos anno 1684. Bruxellis ad Regium Consilium sanctius citatos fuisse ac graviter correptos, eo quòd fuissent ausi conqueri, quòd " cum anno præcedenti in festo S. Hie„ronymi à Facultate sint exclusi quinque Doctores.....
„Internuntius Apostolicus in hac exclusione, Ministris „Regiis id attentantibus, fuit Consiliis junctus, ipseque „præ ceteris liberiùs Doctoribus Facultatis Theologicæ „Bruxellas evocatis, illam exclusionem intimavit." Prætereo multa alia, ut aliud tuorum Theologorum mendacium detegam. Falsum est, Doctorem Huygens, postquam à Francisco van Vianen commendatus fuerat tamquam non amplius exclusus, *unanimi Magistrorum omnium suffragio in Facultatem strictiorem Theologicam adlectum*. A majori parte quidem adlectus fuit, sed non ab omnibus. Si dubites, D. Baccalauree; interroga Reverendissimum D. Steyaert qui isti vitiosæ electioni interfuit. Id agam, reponit Baccalaureus; interim hoc verum est, *ejusdem Facultatis munia illum obiisse, & ultro pacis causâ destitisse*.

Ad hoc revincendum, inquit Ariovistus, sufficit expendere, quòd Internuntius Apostolicus die 14. Decembris anno 1687. scripserit mentem esse Suæ Sanctitatis, ut Huygens maneat suspensus à functione, quam in stricta Facultate occupaverat. Non igitur ultrò & suadentibus quibusdam Ministris Regiis à muniis illis obeundis Doctor Huygens pacis studio destitit, ut nunc asserit illa Theologorum turba; sed qui anno 1683. unà cum quatuor aliis Regio & Pontificio decreto exclusus fuerat, is anno 1687. die 30. Septembris perperam electus, die 14. Decembris Pontificio decreto suspensus fuit. Imò, subdit Venantius, Sedes Apostolica perpetuis illius Doctoris excessibus fatigata tandem decrevit, ut ejus in stricta Facultate locus declararetur vacans, quemadmodum cernere est ex litteris Internuntii Piazza die 17. Februarii anno 1691. datis.

Hic dictis, Venantius istarum litterarum exemplar ostendit Baccalaureo, qui cum illud legisset, dixit; Nondum video exclusum fuisse *tamquam omnium Belgii*

Nova-

Novatorum caput. Confestim Ariovistus quæsivit, quam ob aliam causam exclusus fuerit? Age, D. Baccalauree, ostende nobis causam aliam. Ostende quis alius Novatorum caput sit in Belgio post obitum Doctoris van Vianen, nisi Dominus Gummarus. Abest quoque à vero quòd dixerit Palazolius, *eum ut talem notum esse omnibus*, licet id verè dici possit. Ejus verba expendamus. „Fama est, inquit Palazolius, Consilium Brabantiæ al„laborare ad restituendum celebrem Doctorem Gum„marum Huygens, exclusum à dicto Collegio per De„cretum suæ Majestatis & per Sedem Apostolicam, „tamquam omnium Belgii Novatorum caput, quem„admodum notorium est omnibus." Ubi hæ ultimæ particulæ *Quemadmodum notorium est omnibus*, afficiunt exclusionem, non orationem illam incidentem. Ecce iterum infida versio ad imponendum populo.

Dum hæc ab Ariovisto satis subtiliter proferebantur, Venantius inspiciebat textum Adversariorum, & mox inquiebat; Quod Belgæ Theologi hîc dicunt Consilium Brabantiæ egisse de restituendo Doctore Huygens, id Palazolii orationem corroborat potiùs quàm infirmat. Neque Palazolius id de illo Consilio asseverat, sicut Belgæ Theologi, sed tantum ait id per famam divulgari. Verumne sit an falsum, Palazol non dicit. At verum esse apertè dicunt tui Theologi. Igitur si hîc Pater Palazol peccaverit, tui Theologi peccarunt multo magis. Hîc quo se verteret, Baccalaureus nesciebat. Tandem arripuit suorum Scriptum, ex eoque iterum recitavit punctum VII. & VIII.

Ilicò Ariovistus; Quid? inquiebat. An Doctor Huygens non probatur *novator* ex jam dicta exclusione & suspensione? An non probatur *novator* ex libro quem inscripsit *Methodum remittendi & retinendi peccata*, & quem suprema Inquisitio Toletana damnavit? An non probatur *novator* ex Compendio Theologiæ quod Roma prohibuit? An non probatur *novator* ex famosis Thesibus de Castitate, in quibus omne luxuriæ genus & circumstantias omni ætati tam periculosè exhibuit, ut eas Concilium Brabantiæ publico Decreto prohibuerit ac suppresserit?

scrit?

ferit? An non probatur *novator* ex variis, quas de facro Confeffionis figillo excitavit quæftionibus? An non probatur *novator* ex praxi adminiftrandi Sacramenti Pœnitentiæ, ob quam omnes quinque Belgii Epifcopi Bruxellis anno 1697. congregati cenfuerunt hanc poteftatem ei revocandam effe, prout Archiepifcopus Mechlinienfis reapfe revocavit? An non probatur *novator* denique ex multis propofitionibus per Belgii Epifcoporum Deputatum Romæ accufatis & illic cenfuratis provifionaliter? Eant nunc Belgæ illi Theologi, & *innocentiam* fui Gummari *toti Orbi notam effe* jactitent.

Talia, fubdit Venantius, jactitare numquam defìnent, & fimile quid invenio in Donatiftis, de quibus ita Baronius ad annum Chrifti 313. " Mira res! cum enim „ipfum Melchiadis, & Coëpifcoporum judicium de con„demnatione Donati, & Cœciliani abfolutione fic fue„rit toto Orbe Chriftiano vulgatum.....tamen eò im„pudentiæ atque procaciæ pervenerunt Donatiftæ, ut „petulanter jactarent, caufam tunc adjudicatam fuiffe „Donato; Cœcilianum verò tuliffe pofteriores. Jacta„runt iftæc illi inter fuos, ut eos in officio continerent: „re autem in magna Epifcoporum collatione ad Judi„cem perlatâ, rifu & fibilis digni habiti funt. " An hîc Donatiftas non imitentur Belgæ illi Theologi, ftatui poteft ex antè dictis.

Hîc etiam, ait Ariovistus, imitantur Julianum Pelagii Hærefiarchæ Difcipulum. Etenim Pelagio, atque Cœleftio, ceterifque Pelagianæ impietatis convincendis pœnam exilii decreverat Honorius Imperatur, ficut Rex Catholicus & fupremus Pontifex Doctori Gummaro decrevit prædictam exclufionem. Sanctionem Imperatoriam ludificari aufus eft Julianus ufque eò ut afferet, fcriptoque jactaret, pro fe fuifque refponfum effe ab Imperatore. Vide, D. Baccalauree, an Sanctionem Regiam pariter non ludificentur tui Theologi, ac præcipuè Gummarus ipfe dum in libello fupplice, quem Regi Catholico Madriti obtulit, audet afferere *certum effe quòd fuâ fponte defliterit ab obeundis ftrictioris Facultatis muniis fine ullo Decreto aut Mandato Superiorum neque*

Eccle-

Ecclesiasticorum, neque Secularium. Quid, quòd Gummarus Julianum multùm exuperet: numquam enim hic ausus fuit ita *publicas potestates* allegare, ut discimus ex S. Augustino, qui lib. 3. contra Julianum cap. 1. hanc ejus jactantiam omnis veritatis expertem castigat, inquiens; *Sanè, ut dicis, si pro vobis potiùs ab Imperatore responsum est, cur non in medium prosilitis, & hoc ultrò* PUBLICIS POTESTATIBUS *allegatis?*

Hæc ubi Ariovistus finierat, visum fuit scrutari illa quæ in conclusione dicuntur præterea. Sed nihil deprehensum est, ad quod in superioribus dissertationibus non responderint, adeò ut diceret ipse Baccalaureus; Hîc mei Theologi paucis multa complectuntur & satis solida. Et licet tu, Venanti, ac Congerro tuus Ariovistus ad ea omnia antè responderitis, tamen nihil adhuc labefecistis. Tam levia sunt vestra argumenta omnia, minimeque idonea quæ me de sententia dejiciant. Dicite vos itaque quodcumque volueritis, plus apud me valebit meorum Theologorum autoritas, quàm contorta vestra & aculeata sophismata.

Hoc Baccalaurei dictum meritò riserunt Ariovistus & Venantius: quid enim egissent potiùs? Cernentes itaque majorem esse Baccalaurei pertinaciam, quàm ut suis dissertationibus quidquam apud eum proficerent, deinceps collocuti sunt de rebus aliis, & plusculum modicis deambulationibus indulsere, saltem per dies aliquot, donec afferrentur Reverendissimi D. Steyaertii ad Venantium litteræ, quibus jungebatur aliquod Lovanii Impressum folium.

Hujus litteras postquam Lovanio acceperat Venantius, non statim illas prælegit Baccalaureo, sed voluit illius animum ancipiti expectatione aliquamdiu suspendere. Quo factum est, ut secundùm illud Poëtæ Tragici *Quod nimis miseri volunt, hoc facilè credunt*, Baccalaureus subinde existimaret Reverendissimi Domini Steyartii ad Venantium litteras favere suis Theologis Belgis. Idque oblatâ occasione non obscurè innuebat, inquiens; Si litteræ Steyartianæ vobis faveant, quin eas producis? Tandem ipse Venantius, impatiens longioris moræ, prælegit folium ante dictum, & tale est.

MEN-

MENDACIUM NOVUM

Eorum qui se vocant

BELGAS THEOLOGOS,

Omni luce luculentius.

„IN Libello novo anonymo nuper edito, cui Titulum „dedêre, *Confutatio Memorialis P. Palozol*, pag. 24; „post memoratam & oppugnatam tantisper explicatio„nem quam dederat P. Palazol Brevi primo SS. D. N. „Innocentii XII. ad Episcopos Belgii, de non *repellen„dis* prætextu Jansenismi *ab Officiis, muniis, &c. nisi qui „seruato Juris ordine eam pœnam commeruisse probati fue„rint*; addere dignantur hi *Belgæ Theologi: Accedit*, aiunt, „*quòd cùm eandem illam cavillationem, in Schola Lovanien„si jactare non desineret Doctor Steyaert, jam pridem silere „ex Urbe jussus sit, & Breve Apostolicum tam de Officiis „& Beneficiis obtinendis, quàm de obtentis intelligere. Si „de hoc dubitet Palazolius; Doctorem Steyaert interroget „non poterit hic factum Belgio notissimum negare.* Ita illi.

„ Parùm interest, qualis sit ista suprà dicta explicatio „Palazolii; quamquam ex jam dictis & mox dicendis „aliquid intelligi de ea possit; breviter sufficiat ad osten„sionem hujus luculenti mendacii, quod hodie à me di„ctum est in Schola Publica, & hîc repetitur.

„ 1. Coram Deo protestor, me neque ex Urbe, ne„que aliunde, unquam jussum esse silere super re aliqua „hanc materiam repulsæ attingente.

„ 2. Tantùm abesse ut hoc factum sit Belgio notissimum, „ut ne de eo unquam vel per rumorem aliquid audie„rim.

„ 3. Si de contrario saltem probabiliter convinci potue„ro; tum velle me infamem & omni fide indignum ha„beri.

„ 4. Si verò non potuero; tum petere Me, ut tanquam

men-

„mendaces audacissimi, & omni in posterum fide indig-
„ni habeantur hi *Belgæ Theologi*; qui etsi nomen suum
„pro more premant, latere tamen nec possunt, nec ipsi
„volunt.

„ Ut verò unà disertè exprimam, quæ mea sit senten-
„tia, & semper fuerit, circa intellectum suprà dicti Bre-
„vis Apostolici de non repellendis qui juris ordine pro-
„bati non fuerint Jansenistæ, Rigoristæ &c. : candidè
„profiteor (cum submissione debitâ ad judicium S. Se-
„dis) me nunquam crediturum, velle SS. D. N. Pa-
„pam, ut munus adeoque Sacramentum Sacerdotii ne-
„gare non possit ei, quem Episcopus seu Ordinarius pro-
„babiliter, imò certò, noverit esse vel Jansenistam, vel
„Calvinistam, vel Concubinarium, vel Magum v. g.
„si hic juridicè convinci non possit esse talis. Addo, quòd
„nulli id minùs prætendere possint, quàm qui ad colla-
„tionem Sacramentorum, etiam tantò inferiorum Or-
„dine Sacerdotii, requirunt in conferente moralem cer-
„titudinem de suscipientis dignitate. In hac professione
„vivere & mori desidero; & in eadem à summo distri-
„cto Judice judicari. Conserva, Deus, hanc volunta-
„tem. Lovanii 20. Junii 1699.

M. STEYAERT V. A.

Cum Venantius hoc folium prælegisset, nonne dixe-
ram, inquiebat, hoc merum esse commentum? An jam
adhuc, D. Baccalauree, ægrè ferent tui Theologi in se
accommodari illud Isaiæ 28. *Posuimus mendacium spem
nostram, & mendacio protecti sumus*? Judicet orbis, an hoc
de iis non rectè dixerit Palazolius. Ecce autem, inquit
Ariovistus, in aversa folii parte adjicitur mendacium al-
terum, nempè *Attestatio DD. Vice-Pastoris & Custodis
S. Catharinæ Bruxellis*. Deinde Ariovistus legit istam at-
testationem, & sic habet.

„ Infrascripti rogati dare Testimonium Veritatis de-
„clarant, quòd Lovanii in Schola Theologica nullus
præ-

„ præsidere possit Disputationibus publicis pro suscipien-
„ dis Gradibus Academicis, qui non sit Membrum Stri-
„ ctæ Facultatis Theologicæ. Insuper declarant quod sit
„ assignata dies Lunæ proxima quæ est 1. Junii, ut Exi-
„ mius D. Damen præsideat Disputationibus publicis tunc
„ habendis, idque tamquam Membrum Strictæ Faculta-
„ tis Theologicæ. Actum 30. Maii 1699. Signatum erat

G. Verschuren S.T.B.F.
F. De Smet Pbr.

Qualis est ista attestatio? quærit Baccalaureus. Falsissima, respondet Ariovistus, & Reverendissimus D. Steyaert de hac perhibet sequens testimonium. *Attestationem supra oblatam in judicio, testor & testatur mecum Lovanium, non solum pro secunda parte falsissimam fuisse, sed nec rumorem talis rei auditum esse isto tempore. Lovanii* 16. *Junii* 1699.

Ne vos, ait Baccalaureus, viri estis mirabiles, qui plus uni Steyartio creditis, quam tot meis Belgis Theologis. Tum Ariovistus; Quinam sunt, inquit, tui isti Belgæ Theologi? quot? quales? Si viri honesti sint ac graves, cur se in fronte Confutationis suæ non nominant? cur latent; Hîc iram diutiùs frœnare non potuit Baccalaureus, & insalutatis Venantio & Ariovisto, foras se proripuit. Accurrunt hi subitò, ut hominem revocare & placare conarentur, sed ille vento ociùs evolarat. Postea famâ & auditione accepimus illum rectâ tetendisse Lovanium, & ibi inter suos de Venantio & Ariovisto cecinisse victoriam. Quâ in re Pascentium Arii sectatorem aliosque id genus homines imitatus est.

Hæc Baccalaurei fuga improvisa fuit atque inexpectata Venantio & Ariovisto: nam quis suspicaretur hominem festivæ sanè indolis, qui sub initium Dissertationum agebat tam moderatè ob spem impetrandi opulenti alicujus Sacerdotii, qui postea etiam lepidè jocabatur, & aliis insultabat comiter, eosque acriùs interdum vellicabat, qui jam multa devoraverat, qui tantâ cum humanitate antè discesserat, inde emersurum tam inurbanè,

quò suâ sponte, nemine cogente, rediverat. Hujusce rei admiratio diu tenuit Venantium præcipuè, qui vehementer orabat sibi amicissimum Ariovistum, ut adhuc aliquamdiu apud se subsisteret. Verum Ariovistus huic ejus cupiditati obtemperare nequaquam poterat: cogebatur enim repetere suos, qui illius absentiam non ferebant diutiùs. Ergo postridie multo manè ad suos discessit, comitante aliquo usque Venantio, cui certum erat æstatem totam rusticando in villa procul à strepitu urbis transigere.

FINIS.

APPROBATIONES.

DISSERTATIONES ARIOVISTI ET VENANTII, per NICEPHORUM BORRADIUM Sac. Theologiæ Professorem collectas ac digestas, legi attentè à principio usque ad finem: & quia in iis Ecclesiastica autoritas, variis Scriptis læsa, legitimè defenditur, censeo dignas, quæ lucem aspiciant; nisi forte aliter visum fuerit Sedi Apostolicæ, cui me in omnibus lubens submitto. Datum Antverpiæ 26. Jun. 1699.

ANTONIUS HOEFSLACH
Eccl.Cath.Can.Grad.Lib.Censor.


LEgi præsentes DISSERTATIONES ARIOVISTI ET VENANTII per NICEPHORUM BORRADIUM conscriptas, quæ cum nihil omnino sapiant Ortho-

Orthodoxæ Fidei quod derogativum foret, sed potius ejusdem ex causis ibidem insertis potenter sint conservativæ; neque bonis moribus aliquid adversum, quin magis ad eosdem rite componendos monita salubria contineant, eapropter easdem pro veritatis propugnatione prælo publico committendas esse censeo. Coloniæ hac 28. Junii 1699.

JOANNES THEODORUS PONTINUS
SS. Theol. Doctor. Protonotarius Apostolicus, Equestris Ordinis Melitensis Commendator ad SS. Joannem & Cordulam.

HAS DISSERTATIONES ARIOVISTI ET VENANTII per NICEPHORUM BORRADIUM Sac. Theologiæ Professorem scriptas, quia plenæ sunt eruditione Scholasticâ, Morali, Historicâ, nec quidquam continent à Fide vel bonis moribus alienum, judico ad veritatis defensionem, & occulti Jansenismi cognitionem acquirendam utiliter edi. 1. Julii 1699.

CLAUDIUS LA CROIX SS. Theologiæ Doctor & in Universitate Coloniensi Professor Ordinarius.



ERRATA

PRÆCIPUA.

Pag.	Verf.		Errata.	Corrige.
8	13	*à fine*	tale	tales
14	3		efls	effe
24	24		ipfe	ipfi
29	12		adftingit	adftringit
32	19		adundè	abundè
38	3	*à fine*	facrificum	facrificium
43	15		fua	fuæ
48	1		Bullas	Bulla
50	4		faluberrimus	faluberrimos
ibid.	16		*Paftor*	*Pater*
51	13	*à fine*	convenientius	convincentius
54	7	*à fine*	judicia	judicio
63	11		fed ubique	fed non ubique
ibid.	14	*à fine*	Gregorii VIII.	Gregorii XIII.
66	15		a fcopus	ac fcopus
ibid.	21		aboletâ	abolitâ
ibid.	6	*à fine*	cum Venantio	cum Baccalaureo
73	6	*à fine*	ex toto	& toto
79	23		an nullus	an ullus
84	9		tyranns	tyrannus
ibid.	22		*ipfam effe Maffiliam*	*ipfam Romam effe Maffiliam*
85	9	*à fine*	fatuum	ftatuum
91	8		quæ commentus eft	quam commentus eft
95	10	*à fine*	interpunctionem	interpunctionum
97	10	*à fine*	5. annorum	50. annorum
99	12	*a fine*	Romanæ Curiæ	Romanæ Ecclefiæ
112	1		Lovaii	Lovanii
117	5	*à fine poft*	& Gregorio XIII. *adde* damnatas	
124	7		videret. Præfati	videret, quòd Præfati
ibid.	14		feriunt	fovent
126	4	*à fine*	Brevia	media
133	10		nullo	ullo

Pag.	*Verſ.*	*Errata.*	*Corrige.*
141	8	abuterentur	uterentur
165	20	jumnos	ſummos
167	4 & 6 *à fine*	religionibus	regionibus
173	10	ora	ova
ibid.	15	ſuſpiciat	ſuſcipiat
175	20	voluerunt	noluerunt
184	19	velut	velit
192	9 *à fine*	& jam	etiam
196	1	ſit	ſcitur
199	13	eſſe debet	eſſe non debet
ibid.	6 *à fine*	1653	1654
211	3	non unam	nullam
ibid.	11 *à fine*	excerptæ numquam	excerptæ, numquam
ibid.	12	ſint, excerptæ	ſint excerptæ *commate omiſſo.*
212	2 *à fine*	Theodoteti	Theodoreti
214	8	Libri	Libro
221	17	impenda	impendenda
225	2	Pachus	Parochus
235	7 *à fine*	phantaſma?	phantaſma *ſine* ?
237	8	97	79
ibid.	14 *à fine*	ac mentiatur	aut mentiatur
281	11	circa anno	circa annum
238	24 *à fine*	proprios	præcipuos
239	4	harum	ſuarum
240	19	gregre	grege
246	3 *à fine*	enim	*deleatur*
247	9 *à fine*	*poſt* inquit *interſere*	quod illius ſectatores inculcare ſolent, hanc etiam eſſe Thomiſtarum doctrinam, dum, &c.
249	12 *à fine*	feruntur	fruuntur
251	13	Theologi	*adde* Belgæ
254	12 *à fine*	proxima	proximam
ibid.		remota	remotam
256	9 *à fine*	ſuggeret	ſuggereret
259	10 *à fine*	1697	1687
268	12	nationibus	notionibus
271	17	phrarafis	phraſis

Pag.	*Verſ.*	*Errata*	*Corrige.*
273	7 *à fine*	ſupernaturalem	ſupernaturalium
274	19	adimplerc	non adimplere
281	11	Sede	Sedes
285	3	accuſent omneſque,	accuſent, omneſque
		poſito commate inter	accuſent & omneſque.
288	14	gaviſſimas	graviſſimas.
303	10 *à fine*	tam	jam
309	14 *à fine*	præpoperè	præproperè
ibid.	11 *à fine*	centoribus	centonibus
323	22	*propoſitione*	*prohibitione*
331	8 *à fine*	alàs	aliàs
332	13 *à fine*	Eccleſiaſtices	Eccleſiaſticas
340	12	obliviorum	oblivioſum
343	21	tractat	tractet
345	1 *à fine*	fraudulentiam	fraudulentam.
368	12 *à fine*	Baccalaurei	Baccalaureo
379	4 *à fine*	cadem	*deleatur*

Notandum eſt denique tres ultimos verſus paginæ 291. *ſignandos eſſe uti antecedentes, quia ſunt ejuſdem Autoris. Reliqua per ſe facilè eruditus Lector corriget.*